Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Brandanus Heinrich Gebhardi

Zephanias A Pseudhermenia R. Abarbenelis Aliorumqve Vindicatus, Et Ad Oppugnandam Partem Priorem Muniminis Fidei R. Isaaci Ben Abraham Adhibitus

Gryphiswaldiae: Starck, [1707?]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863437893

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863437893/phys_0001
DFG

Pr. 86 p. Elench.
Pr. 277 p.
Pr. 114 p.

F. c – 1295 1–3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863437893/phys_0002
DFG

ZEPHANIAS

A PSEUDHERMENIA

R. ABARBENELIS ALIORUMQVE

VINDICATUS, ET AD OPPUGNANDAM

PARTEM PRIOREM

MUNIMINIS FIDEI

R. ISAACI BEN ABRAHAM

ADHIBITUS,

CURA

BRANDANI HENRICI GEBHARDI,

S. Theol. D. & P. P. Conſ. Reg. Aſſeſſ. & Paſt. ad D. Jacobi.

GRYPHISWALDIÆ,

TYPIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

REG. ACAD. TYPOGR.

35½

VIRIS

Maxime Reverendis ac Excellentissimis, Plurimum Reverendis, Amplissimis ac Clarissimis, Ecclesiæ, quæ in Urbe Sedinensi CHRISTO colligitur Ministris fidelissimis,

DN. HERMANNO WITTE, SS. Theol. D. ejusdemqve Professori Primario, Templi Cathedr. Pastori, Commissario Consistoriali & vicinæ Synodi Præposito;

DN. CHRISTOPHORO CRAMERO, SS. Theol. D. Ecclesiæ Jacobææ Pastori, & Scholæ Senatoriæ Ephoro;

DN. ADAMO CHRISTOPHORO FABRICIO, Pastori Aulico;

DN. BALTHASARI BLECCIO, SS. Theol. D. ad Div. Nicolai Pastori, & Ministerii Seniori;

DN. GOTTLIEB EKSTEINIO, SS. Theol. D. ac Professori, ad Ædem Cathedr. Archi-Diacono, & Gymnasii CAROLINI Bibliothecario;

DN. M. PETRO BLUTH, Archi-Diacono Jacobæo;

DN. JACOBO DEGENER, Diacono Jacobæo & Pastori ad Divi Georgii;

DN. JOANNI HINSCH, Pastori Paulo-Petrino;

DN. JOANNI GOLITZ, Diacono Nicolaitano;

DN. JO. CHRISTIANO BARDTELS, Diacono Mariano & Aulico;

DN. M. JOANNI NORBY, Pastori Ecclesiæ Svecicæ;

DN. GOTTLIEB BURMEISTER, Pastori Johannæo;

Amicis Fautoribusqve ac Fratribus suis in CHRISTO venerandis,

Gratiam & pacem a DEO Patre & Domino nostro JESU CHRISTO precatur

AUTOR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863437893/phys_0006
DFG

VIRI

Maxime ac Plurimum Reverendi,

Amici ac Fratres optatissimi.

PLuto Vobis non inutilem videri laborem qvem in Judæos sumsi. Omnis enim & Scripturæ contorsio & veræ doctrinæ corruptela a Judæis originem primo capit. Enimvero ea laus Judæis merito relinqvenda est, qvod literam Legis fideliter custodiunt, & apprime cavent ne verba textus ipsa a qvopiam laterentur. At qvod sensum attinet, nemo magis est contortor qvam Judæus, nemo infelicior mentis divinæ indagator. Qvod qvidem mirum videri nemini potest, qvi perpendit qvam periculosis præjudiciis Judæus mentem gerat occupatam, de viribus hominis, de peccato, de CHRISTO ejusqve regno. Hæc vero supinum rapiunt Judæum ad torqvendas Scripturas, donec accipiant sensum, qvem ipsi animo commenti sunt. Atqve horum præjudiciorum semina in qvasvis sectas qvæ inter Christianos veritati contradicunt sese diffudere, cum inde Pontificii suam traxerint doctrinam de libertate arbitrii in spiritualibus: Sociniani suum dogma de unitate personæ in DEO, de φιλανθρωπία CHRISTI: utriqve suum de merito operum errorem: imprimis autem Chiliasta sua de seculari CHRISTI regno adhuc expectando somnia. Ut adeo, qvi Judæos refutat, plurimorum errorum refellendorum ponat fundamenta. Qvamobrem etsi magnus hodie est Novatorum, qvi nostram operam ad scribendum efflagitant, numerus, tamen nos non pœnitet laborem ad Judæos confutandos suscepisse. Rabbi Isaac ben Abraham superioris seculi Anno XV. librum edidit virulentum contra fidem Christianam, qvem MUNIMEN FIDEI vocat, in duas partes distributum, in qvarum altera argumenta qvædam Christianorum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863437893/phys_0007
DFG

rum ex V. T. petita enervare conatur, in altera vero centum loca ex N. T. producit falsitatisqve & corruptelarum arguit. Huic posteriori parti ante aliqvot annos vindicias nostras opposuimus. Prioris partis refutationem textui Zephaniano annectendam judicavimus, singulosqve versus in usum vindicandæ veritatis adhibuimus, eo ordine loca considerantes, qvo Judæus adduxit, ut appareret, qvam promtas V. T. libri suppetias ferant tuendæ firmandæqve N. T. veritati. Hoc autem qvidqvid est scripti Vobis, Amici æstumatissimi, sacrum esse volui, ut aliqvod monumentum publicum extaret nostræ in CHRISTO conjunctionis, & communis contra qvosvis veritatis osores zeli. Qvorum sanctis ego laboribus ad amplificandum CHRISTI regnum & impugnandas feliciter inferni portas divinæ benedictionis cumulum apprecor largissimum. Dabam Gryphiswaldiæ 28. Jan. 1707.

Maximè Reverendorum & Clarissimorum Nominum vestrorum

Cultor observantissimus

BRAND. HENRICUS GEBHARDI, D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863437893/phys_0008
DFG

Vaticinium I.
ZEPHANIÆ.
Cap. I.
Inscriptio.

vers. 1.

VERBUM DOMINI, QVOD FUIT AD ZEPHANIAM, FILIUM CHUSI, FILII GEDALIÆ, FILII AMARIÆ, FILII EZECHIÆ, IN DIEBUS JOSIÆ, FILII AMMON, REGIS JUDÆ.

NOTA.

UTi Jeschajahu *à salute DEI* **cognominatur**, eo qvod de salute Messiæ prædicavit, ita Zephanjahu *ab arcanis DEI* nomen habet, eo qvod illa populo revelatum missus. Et vero non futuras tantum minas prædixit, sed & qvasi præsentes digitis ostendit. Ultimus enim fuit Prophetarum, qvi ante captivitatem Babylonicam vaticinati. In hoc dispar plerisqve sociorum suorum. Ejus fere ætate effluxerunt 452. anni, qvi Judæorum mansioni in terra dati. Mystice hoc latere ajunt Rabbini in ונושנתם qvæ vox occurrit, *Deut. IV. 25.* Cabbalistice vox continet 852. Exponit Bechai *in Leg. fol. 210. col. 2.* ונושנתם בארץ דרשו רזל רמז להם שיגלו לסוף תתנב שנה במנין ונושנתם שהרי כתוב ויהי בשמונים שנה וארבע מאות שנה לצאת בני ישראל מארץ מצרים ובן הבית ליו ועמר הבית תו שנה טול מהם ארבעים שנה שבמדבר נשארו תתן והקדים שתי שנים להגלותן כדי שלא יתקיים בהם כי אבד תאבדון וזהו שכתוב וישקד ה זמנה *Reſp.* Friderie. Virov, Gnoyensis Meclenb.

Quod dicitur Deut. IV. 25. *Et inveterati fueritis in terra mystice significat qvod elapsis 852.*

annis sint Judæi in exilium migraturi. Ille enim numerus est in VENOSCHANTEM, INVETERATI ESTIS. *Extat* 1. Reg. VI. 1. 480. *anno posteaqvam egressi sunt filii Israël è terra Ægypti ædificavit Salomon domum Jehovæ. Jam vero stetit domus Salomonis* 410 *annis. si inde abstuleris annos* 40. *qvibus Israëlitæ in deserto commorati, remanent* 850. *Et vero duobus annis* DEUS *celerius immisit Judæis exilium Babylonicum, ut evitarent plenarium exitium qvod* Deut. IX. 26. *ipsis denunciatum. Atqve huc respexit Daniel* Cap. IV. 14. Idem Cabbalisticum mysterium adducit Raschi in locum ex Deut. all. qvem confer. Hujus mysterii etiam Zephanias non obscurus interpres fuit, qvi si non attigit ipse exilii tempora, certe paulo ante irruptiones Babyloniorum mortuus est.

Usus.

Si JESU Nazareno competunt vera divini Prophetæ reqvisita, erit tanqvam divinus Propheta à Judæis amplectendus. Major probatur; qvia potiora Prophetæ τεκμήρια sunt duo, 1. præclara stirps juxta effatum Rabbinorum qvod Abarb. adducit *in Proœm. in Es. fol. 1. col. 3.* אין הקבה משרה שכינתו אלא על המשפחות חמיוחסות DEUS *non largitur donum prophetandi, nisi iis qvi ex clara prosapia sunt orti.* 2. Prædictorum eventu probata veritas: Ramban in *cap. XIIX. Deut. v. 21.* כל נביא נצפה בדבר העתיד להיות ואם יגיד ולא בא נודע שהוא נביא שקר ויומת ואם בא וזכא הכתוב הנה הוא נאמן לנביא לה' ונתחייב לשמוע אליו ככתוב אשר יצוה בשם ה' וכמו שאמר אליו תשמעון *In unoqvoqve Propheta futuræ res spectandæ sunt. Qvod si qvædam prædicit qvæ non implentur, certo nobis constabit Pseudoprophetam esse, capitali supplicio afficiendum. si vero prædictorum veritas eventu erit comprobata, verus veri* DEI *Propheta erit, cui nos oportet obtemperare in omnibus qvæ in nomine* DEI *profert, juxta id qvod dicitur* Deut. XIIX. 15. *Ipsum audite.* Qvod si divina Zephaniæ autoritas propterea certa est, qvod & nobilem

stirpem

stirpem habuit, & qvod ea qvæ de captivitate Babylonica prædixit, exacte evenerunt, qvis de divina JESU Nazareni missione dubitare poterit? Regia ille stirpe satus fuit, ut fatetur R. Ula in *sanhedr. fol. 86.* ישו הנוצרי קרוב למלכות הוח ותלאוהו בערב הפסח *JESUS Nazarenus propinqvus fuit regio stemmati. Hunc in vespera Paschatos suspenderunt.* Præterea exacte impleta sunt qvæ de excidio Hierosolymitano *Luc. XIX. 43. 44.* impœnitentibus Judæis prænunciavit, siqvidem vel ipsi Judæi fateri coguntur, ne lapidem qvidem super lapide, uti Salvator ait, relictum, teste *Abarb. in Cap. III. Michæ v. 12.* Neqve vero obstat divinæ ejus missioni qvod leges forenses ac ceremoniales abrogavit. Potest enim Propheta, qvi alioqvi habet divinæ autoritatis χρίσηρια, aliqvid contra consvetudinem & Leges hactenus receptas præcipere, id qvod autoritate Veterum asserit Bechai *in Leg. fol. 221. col. 3.* ita scribens ad *Deut. Cap. XIII.* אם יאמר לך נביא עבור ערל דברי תורה כאלהו בהר הכרמל שמע לו חוץ מעון *Etiamsi dixerit tibi Propheta; transgredere verba Legis; qvod ipsum fecisse Eliam in monte Carmel accepimus, obtemperandum ipsi est, præterqvam si idololatriam tibi velit injungere.* Et vero cum totius Reipublicæ interitus immineret, ipsas qvoqve leges ceremoniales ac forenses interire necesse erat, utpote qvæ soli Judaicæ politiæ erant præscriptæ. Cum ergo hanc Prophetiæ CHRISTI veritatem hodie tanto evidentius videant Judæi, qvanto ipsorum exilium protrahitur longius, qvid adhuc ipsis supereſt causæ, qvo minus ejus verba tanqvam divinitus missi Prophetæ amplectantur?

Periocha I. 2. 3.

Denunciat impiis judicium, & qvidem I. in genere: COLLECTA CONSUMAM OMNIA A FACIE TERRÆ: DICIT JEHOVAH. II. In specie: CONSUMAM HOMINEM, ET BESTIAM, CONSUMAM VOLUCRES COELI, ET PISCES MARIS:

ET SCANDALA CUM IMPIIS: ITA CONSUMAM HOMINEM A FACIE TERRÆ, DICIT JEHOVAH.

Sensus ex mente Abarbenelis.

2. *Consumendo consumam omnia à facie terræ, dicit Dominus.* 3. *Consumam Agricolas, consumam Principes & violentos oppressores, & insidias cum impiis: & consumam Artifices sapientesqve qvosvis de facie terræ.*

NOTÆ.

1. Qværitur de qvonam judicio agat Propheta. Abarbenel putat Prophetam in hac priori vaticinii sui parte indicere חרבן בית ראשון וגלות בני יהודה *excidium domus Salomonææ, & deportationem filiorum Jehuda*, qvemadmodum posteriorem partem ad excidium templi secundi restringit. Verum talem restrictionem non patitur phraseos amplitudo: *Consumam omnia de terra*. Hac phrasi enim plenaria ruina denunciatur, cui opponitur inchoata & cum spe reductionis ac reformationis conjuncta vastatio. Hanc distinctionem expresse exhibet Jeremias *cap. IV. 27. c. V. 18.* ubi DEUS minatur sese vastitatem immissurum terræ, tempore imperii Babylonici, at non tamen facturum כלה *consummationem*. Sic & *vers. 17.* Zephanias denunciat plenarium exidium, qvod inchoatæ vastationi opponitur כלה אך נבהלה יעשה את כל יושבי הארץ *consummationem eamq; præcipitem facturus est cum omnibus terræ habitatoribus.* Non tamen tantum παυολεθρία Reipublicæ Judaicæ indicitur, sed & conjunctim extremum Judicium, ita ut tam Babylonicæ qvam Romanæ in terram irruptiones & vastationes proponantur tanqvam typi qvidam ac præludia extremæ diei. Sic cum exeidio templi primi combinatur extremum judicium, *Es. II. 19. Hos. X. 8. Apoc. VI. 6.* Idem conjungitur cum ruina templi secundi *Es. XXIV. 4.* Expressius CHRISTUS conjungit, *Matth. XXIV. 3. seq.* Movit nos imprimis collatio phraseos græcæ, qvam CHRISTUS usurpat, *Matth. Cap. XIII. 41.* συλλέξουσι ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ πάντα

πάντα τὰ σκάνδαλα καὶ τὰς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν. Hanc qvis neget petitam esse ex hoc Prophetæ loco? ואספו מן ארמתו את כל המכשלות ואת הרשעים *colligent de terra ejus omnia scandala, & impios.* Verba Græca cum Hebræis apte conveniunt, nisi qvod pro ארמה positum sit βασιλεία, qvod non sine ratione factum esse auguror, sed ut simul innuatur typicus terræ respectus. Est autem Terra Israël symbolum Ecclesiæ tam militantis, qvam triumphantis conf. *Apoc. XXI. 21.* Hac itaq; phrasi, *omnia de terra consumere*, indicitur non tantum corporalis pœna, qvæ consistat in externo exilio, sed & spiritualis ac æterna, qvæ infert abiectionem, indurationem, æternam damnationem, qvæ hic inchoatur, in die extremo autem de qvo CHRISTUS loqvitur v. 49. complementum suum accipiet.

2. Hoc judicium innuitur duabus vocibus אסוף אסף de qvibus ita scribit Abarb. לשון כליון וחסר אלף שהיה לו לכתוב באסף ויש כאלו חברו כמו לא יחר *significare eas consumtionem, & in posteriore voce deficere aleph. scribendum enim fuisse aaseph. ejus enim extrusionem non esse infreqventem patere exemplo Jabel. Job. XXXI. 26.* Ita qvoq; Raschi. Utramq; vocem deducunt ad radicem אסף / qvod & *consumere* notare ajunt, qvam significationem tamen Kimchius in Schoraschim non adducit. Abenesra ait, esse qvi utramqve vocem referant ad סוף & אסוף infinitivum esse cum prosthetico א Unam radicem etiam hic agnoscunt interpretes Chald. Græc. Lat. Germ. Amstelodamenses ita verterunt ich werd alles gantz machen vergehn von dem Erdes-Boden. Ben Melech hic qvidem duas agnoscit radices אסף np. & סוף sed eandem tamen utriqve imponit significationem, np. *consumendi.* Nos ut duas radices ita etiam duas notiones hic agnoscimus, *colligendi* & *perdendi.* Certum enim est qvod אָסֵף non possit esse ex אסף qvo Rabbi reducit, eo qvod punctationem habet conjugationi Hiphil verbi סוף genuinam. Et si Hiphil est ex אסף qvæ ratio qvod non scribatur אוסיף ut *1. Sam. XV. 6, Jer. VIII. 13.* legitur אסיפם אסוף *colligendo consumam illos.* Locus huic nostro plane parallelus. Aut ergo duorum horum

verborum una radix est אסף, aut diversa. Si una, qvare sub א chatephpatach ponitur, qvod qvia ex duobus alpin contractum, necessario habere deberet Kametz immutabile? Si diversæ, qvid obstat qvo minus & hic diversæ esse possint? Diversos ergo hic actus innui putamus, alterum *colligendi*, qvem CHRISTUS expressit per συλλέξωσι *Matth.* XIII. 41. & ἀφορίσωσι v. 49. alterum vero *consumendi* qvem CHRISTUS expressit per βαλοῦσιν εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός v. 42. 50. Hinc autem iterum patet Prophetam his verbis non tantum Judæis πανολεθρίαν sed & toti orbi extremum judicium denunciare, in qvo impii è medio piorum separabuntur v. 49. separati colligentur, collecti vincientur, vincti conjicientur in ignem v. 50. At tempore captivitatis Babylonicæ non instituebatur talis separatio, sed tam pii qvam impii calamitatem exilii perferre cogebantur. Major convenientia inter ultimum Solymæ excidium & mundi ruinam.

3. Perdendi sunt homines & bruta, scandala cum improbis. Abarbenel qvi hic nonnisi de calamitate à Babyloniis inferenda cogitat, tres sententias adducit, primam eorum, qvi hæc verba hyperbolice accipiunt מה שזכר בחמה ועוף ודגים הוא כפי המפרשים עד הפלגה *qvæ dicit de jumentis avibus & piscibus, ea ex mente interpretum hyperbolice intelligenda sunt.* Alteram eorum qvi proprie accipiunt מן שכאשר גלו בני יהודה הארץ נדרו מעליה גם הבהמה והעוף לפי שהבהמות שהיו להם הלכו בבזה ועוב העופות לא ישכנו במדבר כי אם במקום היישוב שימצאו זרעים פירות ופרחים לאכול *quod up. cum Judæi è sua terra deportentur, etiam jumenta & aves simul qvasi in exilium eant, siqvidem jumenta, qvibus homines usi, ab hostibus diripiantur, pleræq; autem aves non in locis desertis commorentur sed in locis cultis, in qvibus ipsis semina fruges & flores sufficiant, qvibus vescantur.* His duobus sntentiis repudiatis suam affert allegoricam שהעוף והדגים הוו דבור המשלי למיני בני אדם כי יש שהם חמרים עובדי אדמה כאלו הם אדם ובהמה יחב ועליהם

ועליהם אמר אסף ארם ובהמה ר"ל שוכלה ויחריב כל
עמי הארץ עברי ארמתם וגם יכלה עוף השמים
שהוא רמז למלכים והשרים אשר יגביהו כעוף בממשלתם
וגם יכלה דגי הים והם כתות אנשים המתעסקים בניאוף
ובחמס כדגי הים *quod aves & pisces hic metaphorice significent certa hominum genera; Dari enim homines parum cultos, agricolas qvi pariter hominis & bruti speciem præ se ferant: de his dici: Consumam & devastabo omnes idiotas, qvi terram colunt: Porro cum dicit Jehova se consumturum aves cœli: Hoc ipso innui Reges & Principes, qvi avium instar se se ex altant in suo dominatu. Denique cum dicit se consumturum pisces maris, intelligi id hominum genus, qvi perpetuo in exercenda venere & inferenda aliis injuria piscium more occupantur.* Hanc allegoricam interpretationem suam qvoq; facit Arias Montanus. Verum præterqvam qvod ad allegoricam expositionem non sine necessitate descendendum est, non desunt rationes, qvibus hæc data expositio everti potest. Nam 1. manifestum est hominibus impiis hic denunciari pœnam, qvi una cum creaturis, qvibus ad DEI infamiam sint abusi, sint abolendi. Proinde si allegorice interpretanda sunt hæc vocabula, apta qvoq; esse debent ad denotandos homines impios. Jam vero 2. non morum rusticitas, nec agricultura per se hominem supplicio dignum facit. Et qvæ ratio qvod אדם & בהמה hic in unum subjectum conjiciantur? Incommode & contra Scripturæ consvetudinem hoc fieri qvis non videt? Nisi firma hujus combinationis ratio detur, non acqviescet lectoris animus, sed suspensus mirabitur qvare non simili modo עוף השמים & דגי הים in unum subjectum sint compacta. Cum itaqve palpabilis hic sit detorsio, duo hic subjecta omnino agnosci debent, qvorum alterum vocetur אדם alterum בהמה. Aut ergo hæc duo vocabula improprie accipientur, aut proprie. Si improprie, בהמה qvidem recte poterit transferri ad significandum hominem ψυχικὸν & σαρκικόν. At qvid אדם improprie notabit? Si autem proprie accipies, hic frivolus sensus prodibit: *Perdam hominem & hominem carnalem.* Si ergo utrumqve proprie accipi oportet, necesse est &

aves

aves & pisces proprie dictos intelligi. Enimvero si Reges impios, oppressores ac voluptuosos innuere voluisset Propheta, non ita generaliter debuisset loqvi, cum certum sit inter aves qvoqve reperiri, qvi figuram fidelium, ut columbæ *Cant. II. 14. C. V. 6. VI. 9.* hirundines *Ps. LXXXIV. 4.* inter pisces qvi per violentiam oppressorum *Chabuc. I. 14. 15. 16.* gerant imaginem.

4. Huic ergo allegoricæ expositioni duas priores longe præferimus, qvarum hæc Kimchii est, illa plurium aliorum. Nobis, propria placet acceptio, ita tamen ut non referamus vaticinium hoc tantummodo ad Babyloniorum irruptiones, sed præcipue ad judicium extremi diei. Tres hic creaturæ nominantur, qvibus ad luxum abuti solet hominum vanitas, cum εἰς διατροφὰς καὶ σκεπάσματα ipsis data essent à DEO, jumenta, volucres, pisces. Hæ dicuntur consumendæ & qvidem sine spe restitutionis, nam סוף innuit *finalem internecionem* ἀφανισμὸν ut verterunt LXX. *Jerm. XII. 4.* Per בהמות non tantum eqvos, asinos &c. intelligi, sed in genere כל חית השדת ex *Hos. IV. 3.* collatione apparet. Sic per aves non tantum circures ac domesticæ volucres intelliguntur, qvæ circa hominum habitacula nidos solent componere, nec per pisces illæ tantummodo species, qvæ littorales vocantur, nulla enim in textu addita est restrictio. Si autem in genere de omnibus feris bestiis, volucribus ac piscibus maris Prophetæ sermo est, an in captivitate Babylonica omnem hujus vaticinii sententiam exhaustam esse dices? Pecora vel una abducta sunt vel qvæ remanserunt ingravescente terræ vastitate perierunt, sic & cicurum avium facta solitudo est ob inhibitum frugum proventum. At qvo magis increvit terræ vastitas, eo numerosior facta ferarum avium ac bestiarum multitudo, cum illæ solitudinibus gaudeant, confer *C. II. 14.* Imo si & hoc concedam feras bestias & volucres tædio tam vastæ terræ in voluntarium exilium qvasi abiisse, an etiam eversa ac vastata regione in pisces maris potuit invehi solitudo? aut, ut vocis emphasin exprimam, finalis internecio? Ad hanc objectionem ita respondet Kimchi, qvi proprie verba exponere susceperat רגי הום אונם בכלל חרבן הארץ כי בים שוכנים

ואמר

ואמר כי גם כים הותח חקללה שב לא תזרע ולא
תצמיח ולא יעלה בה כל עשב וכן בים לא יעלה
בסלעים אשר בים וגם בקרקע הים עשב וצמח
שמהם ורעו הדגים *Piscibus cum in mari vivant, terræ vastatio nihil detrimenti afferet. Nihilominus & mari incumbet maledictio. Deut. XXIX. 23. dicitur: Non seminabitur neque germen proferet, neque procrescet ex ea quidpiam. Hoc ipso simul innuitur quod nec in scopulis, nec in fundo maris quidquam herbæ sit prodituram quo pascantur pisces:* in *Hos. C. IV. 3.* Desperata explicatio! Si terræ indicitur sterilitas, ergone & in mari desinet alga crescere? Terræ sterilitas inde est, quod nihil seminis in eam conjicitur: Ergone & mare solet conseri, ut impedita satione nihil in eo pronascatur herbæ? Aut si in desolata regione multa sua sponte terra prodeunt, an negabimus scopulos aut fundum maris suas consvetas herbarum species tempore C. B. produxisse? Si autem produxerunt, habuere, quo pascerentur, pisces. Cadente ergo allata ratione, quomodo pisces tempore C. B. interire potuerunt? Nullum ergo nobis dubium est quin ad tempora judicii extremi respiciat Propheta, quibus jumenta, pisces, aves atque reliquæ in hominum usum productæ creaturæ in nihilum redigentur, atque ita ab abusu, cui præter suam naturam erant expositæ, prorsus liberabuntur. *Rom. VIII. 19. 20. 21. 22.*

5. Hæ enim sunt, quas hic Propheta vocat impiorum מכשלות *offendicula.* Per hanc vocem intelligit Kimchi *calamitates*, quem Drusius sequitur: Benmelech, *defectionem virium.* Sic & LXX. ασενήσασιν οἱ ἀσεβεῖς. Vulgatus *ruinas.* Amstel. reddunt die Strauchelung mit den Bößwichters. Raschi & Abendana *idololatriam* intelligunt. Abarb. *insidias*, ita vertens חמה ותחבולותם ילכו בשבי *ipsi una cum suis insidiis ibunt in captivitatem:* quæ aperta est inversio: Non enim impii cum offendiculis, sed offendicula cum impiis consumenda dicuntur. Apparet alios offensam passivam, alios activam intelligere. Neutram acceptionem patitur prædicatum *internecio.* Intelligimus ergo objectum offensæ. Sic &

CHRISTUS dicitur σκάνδαλον 1. Cor. I. 23. & Petrus Matth. XVI. 23. Eodem modo & hic creaturæ σκάνδαλα dicuntur scandala qvæ colligi possunt Matth. XIII. 41. Syr. מכשולא Sunt tamen creaturæ objectum offensionis non datæ, sed acceptæ.

6. In postrema hujus versus parte consideranda est potissimum particula copulativa ו *& exscindam hominem de terra*. Connexio textus monet eam hic non nude copulare posse. Si enim nude copularet hic prodiret sensus: *consumam hominem & bestiam &c. & exscindam hominem*. Cum enim *consumere* & *exscindere* æqvipollentes sint termini, manifesta hic foret ταυτολογία. Vidit hanc Abarbenel, eamqve ut evitaret, in voce אדם diversum venatur significatum, & cum priora verba de agricolis, de Regibus, de violentis raptoribus exposuisset, hanc vocem de peritis artium & disciplinarum interpretatur כלומר כל האדם הרומש על הארץ הואת ביגיע כפיו ובאומנותו ויועצי העיום וחכמיהם כולם וכרתו מעל פני האדמה *q. d. omnis homo, qvi in hac terra vivit, & manuum suarum opificio victum qværitat, item senatores urbium, earumqve sapientes omnes exscindentur de facie terræ*. Mirum vero interpretem, qvi qvodvis ex qvovis potest exsculpere? Allegorice cœperat voces exponere, nunc ubi ad אדם perventum, ad proprium relabitur significatum. Scilicet, qvia palam est hominibus hic judicium denunciari, qvorsum אדם præterqvam ad homines, referat, non videt. Si ergo proprie accipienda est vox, ita late patebit, ut omnia hominum genera includat. Qvæ ergo ratio est, qvod hic debeat restringi? nullam prorsus affert Rabbi. Videtur hic assecla habere Drusium, qvi ita transfert. *Etiam eos qvi non plane impii sunt*, np. qvi, etsi impii sunt, Reipublicæ tamen serviant. Nos ut ταυτολογίαν vitemus, particulæ ו plus qvam nudam copulandi vim inesse dicimus. Observat Noldius eam interdum qvoque *adeo*, interdum *certe* notare, idqve exemplis probat, *Concord. pag. 270. 272*. Recte ergo verti potest: *Adeo ego exscindam*. Vel ut idem sit, qvod אכן *Es. XL. 6. 7. Profecto ego exscindam*, qvo Lutherus inclinat, transferens: Ja ich wil die Menschen ausreuten.

Usus

Usus ex versu 1.

Sumimus hinc JESUM ESSE VERUM MESSIAM. Hoc enim χριστὸν est veri Messiæ, nasci nondum destructa tota politia Judaica *Gen. XLIX. 10.* Hodie vero jamdudum omnia de terra sunt sublata, qvod in hoc versu prædictum⁊. Aut ergo JESUS Nazarenus verus est Messias, qvia justo tempore est exhibitus, aut alium nobis Messiam Judæi producant oportet⁊. Immotum enim argumentum est, qvod sibi ab erudito qvodam Christiano objectum esse asserit R. Isaac Ben Abraham *c. 1. Part. 1. Munim. fid.* IN QVO IMPLETA SUNT VATICINIA PROPHETARUM, ILLE VERUS EST MESSIAS. ATQVI IN JESU NAZARENO: ERGO.

Negat hic Minorem Rabbi & ait 1. se parte II. Muniminis sui ostendisse, *qvam male Apostoli vaticinia Prophetarum ad JESUM NAZARENUM applicarint.*

R. Qvam inanem hic operam ceperit Rabbi, ostendimus in vindicatione Centum Locorum N. T. a Judæo hoc depravatorum, vide imprimis *Loc. II. IV. V. VI. VIII. XXV. XXXVI. LXVIII. LXIX. LXXI. LXXVIII. LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXVII. LXXXIX. XC. XCI. XCV. XCVI. XCVII. XCVIII.*

2. Objicit contra Minorem⁊. *Messias debet esse Davidis Filius. JESUS non est Davidis filius, qvia non ex Joseph natus sed ex Maria adhuc virgine, cujus tamen genealogia ignota⁊.*

R. D. n. JESUS subinde in N. T. Filius Davidis vocatur⁊. Qvare te id scire dissimulas Rabbi, cum vel prima Matthæi verba hoc tibi inculcent, Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ χριστοῦ υἱοῦ Δαβὶδ Si ergo non ex Joseph sed ex Maria virgine natus est D. n. JESUS, qvid eam ex Davide genus trahere dubitas? Plenius responsum pete ex *Loc. I. & XXXV. partis II.*

3. *Messias pacem feret* Zach. IX. 9. Es. II. 2. *JESUS non tulit pacem, sed bellum* Matth. X. 34.

R. 1. Pacem Messias feret, sed non nisi prævio bello. Paritur enim pax bello. Bellum autem spirituale est, unde dicit

Zach. IX. 9. Loqvetur pacem. Idem qvi *v. 10.* pacem locuturus, bellumqve & arcus sublaturus dicitur, *v. 12.* Judæos tanqvam arcus dicitur intensurus in Græcos. Non hæc conciliari aliter possunt nisi admissa distinctione inter bellum externum ac internum. *2. Es. II. 2.* dicitur *non discent Gentes amplius bellum.* Nempe qvia Lex Sionitica i. e. Evangelium ipsis prædicabitur; Hac admissa dona Spiritus S. accipient ad colendam sinceram caritatem *Hebr. VIII. 10.* Eam Lex Sinaitica qvidem imperabat, at vires sincere exseqvendi non dabat *Gal. III. 2.* Neq; vero inferri debet: Evangelium docebit omnes pacem colere, ergo omnes huic doctrinæ aures substringent. Qvis enim asserat verbum DEI homini libertatem resistendi adimere? Cæterum qvomodo D. n. JESUS bellum pariter ac pacem tulerit, explicatum vide *P. II. Loc. XIII.*

4. *Messias regnabit* Ps. LXXII. 11. Zach. IX. 10. Dan. VII. 14. *JESUS venit ad serviendum* Matth. XX. 28.

℟. Regnabit Messias postqvam serviit. Hoc si nondum tenes Rabbi, disce à Tuis Præceptoribus כשיבא משיח במחרה בימינו אין אומרים שירה עד שיתחרב חמשיח שנ׳ אשר חרפו עקבות משיחך *Postqvam venit Messias, qvod cito fiat in diebus nostris, non canent DEO prius canticum eucharisticum, qvam Messias fuerit ignominia affectus, uti hoc prædictum*, Ps. LXXXIX. 52. *Probro affecerunt vestigia Messiæ Tui.* Medr. Till. *Ps. XVIII. §. 2.* Decet enim Messiam διὰ τῶν παθημάτων τελειωθῆναι, *Hebr. II. 10.* Disce ex *Es. LIII.* ubi primo Messiæ exinanitio describitur à *v. 1.* ad *v. 12.* dein exaltatio *v. 12.* Disce ex *Ps. LXXII. 11.* ubi Gentes Messiam culturæ dicuntur, *v. 12.* eo qvod ipsas eripuit è malo, in qvo nullus ipsis auxilator. Hoc malum peccatum est. Ex hoc autem nonnisi per servilem passionem gentes eripuit. *Es. LIII. 4.* Ex *Zach. IX. 9.* ubi prius עני *pauper* sistitur, qvam regnum universale *v. 10.* suscipiat. — Ex *Dan. VII. 13.* ubi is cui *v. 14* regnum datur, dicitur בר אנש *filius hominis*, qva appellatione R. Abarbenel, qvi verba hæc de Israele perperam exponit, ait שכוון בשפלות ודלות מפלג לתוקף צרותיו *respici ad infimam*

man ejus exinanitionem ob calamitatum magnitudinem: in Majiene hajieschua *pag. 50. col. 1.* Ergo is qvi regnum accepit prius fuit humillimus. Deniqve ex adducto *Matth. XX. 28.* ubi finis servitutis CHRISTI est δῶναι λύτρον ὑπὲρ πολλῶν *dato lytro redimere mundum e mortis vinculis.* Si ergo CHRISTUS redemit mundum, jure imperium habet in mundum qvem redemit. Venit in mundum ut serviret: reliqvit mundum ut dominium cœleste occuparet *Act. III. 21.* Vides ergo qvod textus servitutem CHRISTI ad visibilem ejus in his terris præsentiam restringat. Confer autem *Part. II. Loc. XXI.*

5. *Messias venire debuit in fine dierum* Es. II. 2. Ez. XXXVIII. 8. Hos. III. 3. Dan. II. 28. *JESUS non venit in fine dierum.*

R. Finis dierum sunt tempora Messiæ juxta illud Kimchii in *c. II. Es. v. 2.* כל מקום שנאמר באחרית הימים הם ימות המשיח *ubicunqve finis dierum mentio fit, ibi intelliguntur tempora Messiæ.* Jam vero tempora Messiæ post expletos duos Legis millenarios incipere debebant juxta illud R. Salomonis *in Sanhedr. cap. chel.* ומאחר שני אלפי תורה הוו דינו שובא מלך המשיח *post decursum duorum millenariorum Legis, æqvum erat Messiam venire.* Hinc inverto Rabbini argumentum: Messias post decursum duorum millenariorum Legis venire debuit. JESUS venit post decursum duorum millenariorum Legis: Ergo JESUS est verus Messias. Majorem probat experientia: confirmant Apostoli, qvi hæc tempora vocant ἔσχατον τῶν ἡμερῶν *2. Petr. III. 3. Judæ 18. Hebr. I. 2. 1. Petr. I. 20.*

6. *Messiæ tempore unus tantum Rex, unum regnum futurum est.* Dan. II. 44. *At vero jam sunt multa regna Legibus & institutis a se diversa.*

R. Loqvitur Daniel de bestiali abusu politicæ potestatis, non de vero ejus usu. Illum sustulit regnum CHRISTI. Hunc tantum abest ut sustulerit ut potius confirmaverit *Rom. XIII. 1. sqq.* Confer autem de hoc argumento *Part. II. Loc. LIX.*

7. *Tempore Messiæ una tantum erit religio Es. LII. 1. Es. LXVI.*

LXVI. 23. Zach. XIV. 16. Zach. VIII. 23. At ea est non tempore JESU.

R. Una tantum omnibus temporibus fuit religio, qvia una veritas. Ad eam in adventu CHRISTI primo omnes populi fuere invitati. Etsi autem prædicato Evangelio ingens hominum multitudo εἰς ὑπακοὴν πίστεως fuit captivata *2. Cor. X. 5. Eph. IV. 5.* tamen propterea non exstirpata prorsus sunt mendacia omnia, *Mich. IV. 5.* Locus *Es. LII. 1. Non amplius te pervadet immundus aut præputiatus*, loqvitur de liberatione Ecclesiæ à dominio Antichristi Pharisaici, qvæ inchoabatur in adventu CHRISTI primo, consummanda in secundo. Conf. *Rom. X. 15.* cum *v. 7. & Rom. II. 24.* cum *v. 5.* allegati capitis Esaiæ. Nota Rabbi, non dici, *non erit amplius immundus in orbe*, sed, *non te pervadet.* Cum *Es. LXVI. 23.* dicitur: *omnis caro veniet incurvatura se mihi*, non factum sed jus & officium omnium hominum innuitur. Confers hic opportune *Zach. XIV. 16. Omnis residuus veniet ad incurvandum.* Versu 17. & seq. denunciatur pœna illis, qvi non veniunt. Unde apparet omnes qvidem vocari, at paucos vocationi obtemperare. Ex *Zach. VIII. 23. Decem homines ex omnibus linguis gentium prehendent alam Judæi, &c.* manifestum est non singulos generum, sed genera singulorum in כל præcedentium duorum locorum intelligi. Si enim decem ex omnibus lingvis convertentur, multi manebunt inconversi. Vides ergo his locis potius stabiliri diversitatem religionum, qvam everti.

8. *Tempore Messiæ delebuntur Idola*, Zach. XIII. 2. Es. II. 18. Zeph. II. 11. *Ea jam nondum sunt delata.*

R. Nihil probas. Nam 1. verba Zachariæ *Excindam nomina dolorum de terra*, non de universali excidio Idolorum loqvuntur, sed de particulari. Additur enim *de terra*. Kimchi exponit: Nomina Idolorum, qvæ fuerunt ibi, anteqvam primum in exilium deportarentur. Idem patet ex contextu, qvi loqvitur de Prophetis falsis, qvi fuerunt בבית ראשון *tempore sanctuarii Salomonæi*. ut exponit Kimchi. Ait, Prophetas falsos è vita sublatum iri, si qvi orti fuerint. Ergo erit tale tempus qvo adhuc oriri poterunt.

poterunt. Unde per רוח טומאת העברת *remotionem impuri spiritus* non potest intelligi plenaria amotio יצחר *concupiscentiæ pravæ*, sed tantum debilitatio. 2. *Idola penitus exscindet*, Es. II. 18. R. Vis est in voce כליר *prorsus*. Notatur ergo plenaria Idolorum tam subtilium, qvam crassorum exstirpatio. Eam hujus seculi non esse, largimur. Pertinet enim ad adventum CHRISTI secundum, ליום דין *ad diem judicii*, de qvo exponit Raschi. Non ergo seqvitur: Plenaria Idolorum exstirpatio nondum evenit. Ergo nec inchoata. 3, In *Zeph. II. 11. Emaciabit omnes Deastros*, notanda est vox *emaciabit* E. non plane tollet. Eqvidem Abenesra & Kimchi Hebræum רזה per וכרות *exscindet* exponunt; At Chaldæus, Raschi & Abarbenel per יתוש כוחן ויכחושן *debilitabit robur eorum & emaciabit eos*: aut, *mendaces faciet, confutabit*. Id ergo tantum seqvitur: Idololatriæ eversionem in adventu CHRISTI primo inchoatum iri: Id autem factum viverbi Evangelici qvis ignorat? Conf. *Part. II. Loc. LX. Obj. 3.*

9. *tempore R. Messiæ nulla peccata erunt in orbe: imprimis vero aberunt ab Israële* Deut. XXX. 6. Zeph. III. 13. Jer. III. 17. Jer. L. 20. Es. XXXVI. 26. Ez. XXXVII. 23. *Id hodie non est. E.*

R. *Deut. XXX. 6. circumcidet DEUS cor tuum &c.* Hoc Messiæ temporibus futurum recte hic docent Judæi: vid. R. Salomo, Baal Hatthur. Bech. Imo contextus totus hoc infert. At hinc minime concludendum: Nondum circumcisi sunt Judæi: Ergo Messias nondum venit: Sed ita inferendum. E. non passi sunt Judæi se circumcidi. Non enim convertit DEUS hominem בעל כרחן *vi qvadam coactiva*. Fatentur hic Judæi se nondum circumcisos esse corde. Præter circumcisionem χειροποίητον ergo habent nihil. At hæc sine vitæ sanctimonia ἀκροβυστία est. *Rom. II. 26.* Apertum deniqve est locum hunc de solo Israele agere. Nihil ergo evincit nisi qvod reformatio qvædam facta Ecclesiæ sit. Facta autem hæc est per CHRISTUM. Confer *Col. II. 11. 2. Zephan. III. 13. Reliqviæ Israelis non facient iniqvitatem.* R. Et hic locus de Israele solo agit. Distingvendum est

est inter non facere peccatum, & non habere peccatum. Illud piis conceditur: At hoc gloriari minime possunt 1. Joh. I. 8. Cap. III. 6.8.9. Impletum hoc tempore Apostolorum Act. II. 44. sq. 3. Jer. III. 17. *Omnes gentes confluent Solymam, neqve sequentur amplius sententiam cordis sui mali.* R. Omnes sc. Evangelio morigerantes. Dantur enim multi ex gentibus, qvi in infidelitate sua persistunt, *Mich. IV. 5.* Si omnes promiscue intelligas, tolles libertatem arbitrii. Deinde שרירות notat *malitiam* cordis, ex arabico שרר *malus, improbus fuit.* Non dicitur, nullam fore amplius in gentibus cordis malitiam, sed eam non secuturos qvosq; ex gentibus conversos. Pii enim qva tales destinata opera non peccant. 1. Joh. III. 6. 8 9. 4. Jer. L. 20. *Peccata Judæ nulla invenientur; Remittam peccata reliqviis.* R. Remissio peccatorum promittitur. E. habent peccatum: actu peccaverunt: actu peccare possunt. Soli Israëli hæc fit promissio: imo non omnibus individuis, sed reliqviis, qvi np. gratiam Evangelii non adspernantur 5. Ezech. XXXVI. 26. *Dabo vobis cor carneum.* R. Ergo adhuc habent Judæi cor lapideum, nec sunt populus DEI *v. 28.* nondum enim venit ex ipsorum mente Messias. Si adhuc induratum habent cor Judæi, inde non seqvitur, Messiam nondum venisse, sed Judæos non passos esse cor lapideum a se removeri. 6. Ezech. XXXVII. 23. sq. *Non impurabunt se amplius* Diis *stercoreis, sed mundabo ipsos.* R. Ergo adhuc exercent Judæi Idololatriam. Alias enim non possent a Diis stercoreis mundari. Cum ergo Judæi crassa idola jam non colant, discant ex hoc loco dari qvoq; subtilem idololatriam, qvæ est obseqvium pravæ Concupiscentiæ. Huic indulgent adhuc Judæi;

10. *Messiæ tempore pax ubiqve erit, nullibi bellum* Es. II. 3. Ezech. XXXIX. 9. Hos. II. 18. Zach. IX. 10. 11. *Contrarium est hodie: Ergo.*

R. Ad Es. II. 3. Zach. IX. 10. 11. jam responsum supra *obj. 3. Ezech. XXXIX 9. Comburent Gogitarum arma.* R. Gogitarum: Ergone omnium gentium? Comburent in terra Israelis: Ergone ubivis? Annon occisis Aqvilinaribus hostibus *v. 2.* super-

sunt

sunt Eoi, meridionales, occidui? Ne dicam qvod spiritualis hostis intelligatur, & arma non externa sed interna: argumenta, qvibus antichristiani oppugnant Ecclesiam. Hæc comburunt i. e. facili negotio refutant, stipulæ instar consumentes.

11. *Tempore Messiæ pax erit inter feras* Es. XI. 6. C. LXV. 25. Ezech. XXXIV. 25. Hos. II. 18. *Ea nondum est.*

R. 1. Ad *Es. XI. 6. Commorabitur lupus cum agno*: Absurdo homini occentandum illud: לומת מלך המשיח כל עולם כטבע הולך *Tempore Messiæ orbis naturalem cursum suum retinebit.* Jam vero lupum amicitiam cum agno colere, contra naturam. Ergo parabolice exponendum, ut Kimchi facit, qvi de impiis accipit populum DEI vastantibus. Item Abenesra. 2. *Es. LXV. 25. Lupus & agnus simul pascent.* R. Abenesra de pace exponit allegorice, qvem vide. Sensus est mansvescent qvi hactenus populum DEI infestarunt, & in eandem Ecclesiam cum Israele coibunt. Abarbenel diserte de coitione in unum populum exponit in h. l. 3. *Ezech. XXXIV. 25. Faciam ut cessent bestiæ malæ à terra.* R. Si hic bestias propriedictas intelligere velis, intelligendæ qvoq; erunt oves propriedictæ, nam hæ bestiis opponuntur. Jam vero per oves Israel intelligitur, qvibus רועה אחד pastor unus ponitur, qvi Messias *v. 23.* Exponit ipse contextus *v. 28. Non erunt amplius direptioni hostibus.* Sic & Abarbenel hoc de pace exponit, & per feras intelligit hostes. 4. *Hos. II. 18. Pangam pro iis fœdus cum bestiis agri.* R. Etiam hic intell. hostes, uti recte observat Abarbenel, ipsam expositionem ex textu sumens siqvidem additur: *Arcum & ensem bellicum frangam.* In eo tantum à nobis discrepans, qvod ipse externam pacem intelligit, nos internam ac spiritualem, qvæ tempore CHRISTI nobis allata.

12. *Temporibus Messiæ nullæ erunt calamitates* Es. LXV. 18, 19. *Eæ adhuc sunt.* E. *Nondum sunt tempora Messiæ.*

R. Loco allegato legitur: *Non audietur amplius fletus.* Intelligitur fletus qvi ex infliction pœnarum oritur. Is cessabit in iis qvi per sangvinem Messiæ cum DEO erunt reconciliati. Etsi enim iis adhuc incumbent castigationes paternæ, illæ tamen læti-

tiam, qvam ex pace cum DEO percipiunt, tollere non possunt. 2. Cor. VI. 10. ὡς λυπούμενοι ἀεὶ δὲ χαίροντες Col. I. 24. 1 Thes. V. 16. Jac. I. 2. Hæc autem lætitia ad Hierosolymas diserte restringitur v. 29. in hoc seculo inchoata, in illo consummanda. Apoc. XXI. 4.

13. *Tempore Messiæ restituetur Schechina Prophetiam & sapientiam datura* Ez. XXXVII. 25. 26. 27. 28. Ezech. XXXIX. 29. C. XLIII. 6. XLIIX. 35. Joel. II. 27. C. III. ult. Zach. II. 10. 11. *Hæc nondum restituta. E.*

R. Duplex est DEI præsentia, Generalis, qva omnibus creaturis præsens est easq; conservat Act. XVII. 28. Specialis, qva gratiose inhabitat corda fidelium, largiendo dona cum communia, fidem spem caritatem, tum singularia, prophetiæ, miraculorum &c. 1. Cor XI. 8. 9. 10. seqq. Hæc posterior repræsentabatur per externam ac sensualem illam DEI præsentiam in Sanctuario, dictam שכינה *Schechinah*, qva responsa dedit consulentibus, sæpe visibili forma apparens. Hæc sensualis inhabitatio typus erat intelligibilis, qva inhabitat DEUS fidelium corda, qvi verum DEI Sanctuarium Es. LVII. 15. C. LXVI. 1. 2. Hab. II. 20. Non externa sed interna DEI inhabitatio in locis allegatis promittitur. Ratio, qvia de Messiæ temporibus agunt, cum cujus adventu urbis & templi destructio cohæret vid. v. 1. Spectabimus autem loca singula. Primus locus adducitur ex Ez. XXXVII. 25. 26. 27. 28. *Dabo Sanctuarium meum in medio ipsorum.* R. Non desunt hic χριτήρια domus internæ. Dicitur Sanctuarium poni non in medio terræ, sed in medio ipsorum i. e. in cordibus. Intelligitur domus, qvam DEUS non inhabitat otiose, sed ita ut populum sanctificet v. 28. ita ut sit populo suo in DEUM, & ipsi sint DEO in populum v. 27. hæc autem de domo χειροποιήτῳ dici non possunt conf. Act. VII. 48. 49. 50. C XVII. 24. 1. Cor. VI. 16. Cum hac habitatione pugnat inscitia & malitia. Ergo non potest externa intelligi: ea enim optime stetit cum populi Judaici malitia, ut docent historiæ templi prioris: Væ Judæis qvod hanc præsentiam amiserunt! Hos. IX. 12. Alter locus petitus est ex Ez. XXXIX. 29. *Non abscondam porro faciem ab iis cum effudero Spiritum meum super*

super domum Israël. R. Nihil hic de externa templi externi inhabitatione dicitur. Promittitur Spiritus Sancti effusio, donorumqve largitio tum generalium qvam specialium. Illis nunqvam caruit, nunqvam caritura est Ecclesia: His in specie fœcundata est temporæ Apostolorum. *Act. II.* Plene Spiritus S. effundetur in futuro seculo. Abscondere faciem suam DEUS dicitur cum pœnam infligit *Deut. XXXI. 17. 18.* cum paterne castigat *Jes. LIV. 6. Psalm. XXX. 6.* Utrumqve cessat: illud in inchoata, hoc etiam in consummata Spiritus S. effusione. Tertius petitus est ex *Ezech. XLIII. 7. seqq. Locum solii mei, ubi habitabo in medio filiorum Israel, non contaminabitis amplius.* R. Neq; hic locus de templo externo accipi potest, Illius enim reædificandi spes prorsus decollavit *Es. XXV. 2. Dan. IX. 27.* E. intelligendum internum, qvod vel collective est Ecclesia, vel individualiter qvivis fidelis Promittitur reformatio Sanctuarii, qvod Israelitæ בזנותם *scortatione*, בפגרי מלכיהם *cœde*, & במותם *excelsis* ac *idololatria* polluerant. Illustratur hoc pluribus, *v. 8. dum posuerunt limen suum ad limen meum.* Judæi per limen Sanctuario appositum stolide intelligunt palatium regium, qvod Salomon condidit. *1. Reg. VII. 1 seq.* Qvasi vero hujus structura & inhabitatio unqvam Regibus fuerit vitio data. Intelligitur domus Satanæ spiritualis *Luc. XI. 24. 25. 26.* Hæc structa fuit ab Israele dum ab obseqvio Satanæ & pravæ Concupiscentiæ pependit, ad idolatriam, cœdem, & scortationem patrandam. Hanc oppposuit Israël domui DEI, dum fideles suis scandalis in societatem scelerum & apostasiæ pertraxit. Hæc destruitur per veram pœnitentiam, dum prædicato verbo Evangelii servituti peccati nuncium remittitur. Hac destructa DEUS in corda redit eaqve gratiose iterum inhabitat. Utramqve domum spiritualem esse, & tempore Evangelii illa destructa hanc conditam esse qvis non videt? Qvartus ex *Ez. XLVIII. 35. Nomen Solymæ erit, DEUS ibi.* R. Paulo ante Schechinam in templo externo collocabas Rabbi; nunc eandem Hierosolymæ locas, a qva templum septem milliaribus disjunctum *Ez. XLVII. 8.* An ergo duobus in locis visibilis DEI præsentia erit posita? An eadem in loco

sancto *cap. XLVIII. 15.* eadem in profano ib. *v. 10.*? Qvid verbis opus est? Solyma superior intelligitur, inferioris antitypus, Ecclesia, qvæ tempore Apostolorum ex Judæis & Gentibus constitui cœpit. *Gal. IV. 26.* Idem respondendum 5. & 6to ad *Joel. II. 27. agnoscetis me in medio vestri esse* v. 28. *effundam spiritum meum &c.* Cap. III. 21. *Dominus habitabit in Sione* Es. XI. 9. *terra plena erit scientiæ &c.* Jer. XXXI. 34. *Omnes cognoscent me &c.* Scilicet prædicato Evangelio præparata sunt Judæorum Gentiumqve corda ad inhabitationem DEI, qvi se ipsis salutariter contemplandum exhibet. *Zach. II. 10. 11. Habitabo in medio Tui & cognosces qvod DEUS me miserit.* Resp. Qvi hic loqvitur, Angelus Creator est. Nam qvi habitat in pectoribus hominum, eosqve illuminat & sanctificat, is non creatura, sed DEUS Creator est. Atqve hic angelus qvi se profitetur à DEO missum, &c. Ergo. Qvis autem est ille Angelus? Messias, Angelus fœderis *Mal. III. 1.* Jamdudum hic venit καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ὑμῖν *Joh. I. 14. Matth. XVIII. 20.* Qvid eum expectas amplius Rabbi? Cæterum dum à futura sensibili Schechinæ præsentia donum prophetiæ & sapientiæ suspendis, qvid aliud agis qvam ut extremam tuam tuorumqve in rebus spiritualibus insciti am prodas, omnemqve simul spem Tuæ genti præcidas salutaris illuminationis? Qvalem enim Tu Tibi concepisti visibilem Schechinæ in Templo præsentiam, eam numqvam exhibitum iri tam manifestum est, qvam templum in perpetuis jaciturum esse ruinis.

Hæc sunt qvæ contra officium JESU NAZARENI hic objicit Judæus. Plura se allaturum promittit *capite VI.* Placet partim eorum & hic expedire. Objicit ibi

1. *Decem tribus nondum esse collectas, neqve adunatas cum tribu Judæ & Benjamin, qvod promissum tempore Messiæ fore* Ezech. XXXVII. 16. seq.

℟. Cum vocarentur omnes gentes, vocatæ qvoq; sunt decem tribus *Es. XI. 12.* at non in terram corpoream, sed in spiritualem, qvæ Ecclesia est, cujus membra Patriarchæ fuerunt, etsi terram externam non possederunt. *Confer. Part. II. Loc. V. Obj. 3.* Item

Loc. XV.

Loc. XV. obj. 3. Redierunt qvoqve in terram ſpiritualem, at non omnes ſed שאר *reliqviæ Eſ. XI. 11.* ὁι τεταγμένοι *Act. XIII. 48.* ὁι προεγγωσμένοι *Rom. VIII. 29. Cap. XI. 2.* qvos DEUS præſcivit non pertinaciter more modernorum Judæorum obluctaturos mediis gratiæ.

2. *Gogitæ nondum occubuerunt in montibus Iſraelis, Ezech. XXXVIII. 21. neq; acceperunt plagam Zach. XIV. 22. deſcriptam.*

R. Gogitæ ſunt Anti-Chriſtiani tam Judæi qvam Gentiles, qvi antehac in Eccleſiam crudeliter dominati erant. Hi occubuerunt enſe non externo, ſed verbi Apoſtolici. Caput *XIV. Zach.* recte cum Rabbinis cæteris de Gogitis exponis Rabbi. At eo ipſo imprudens Judæos Gogitis accenſes. Qvi enim oppugnant Solymam Gogitæ ſunt: Judæi oppugnant *v. 14. Etiam Judæus oppugnabit Solymam.* Ergo ſunt Gogitæ, ſunt Gentes, np. moribus. Pœna, qvæ Gogitas manet, æterna damnatio eſt, variis typis adumbrata: Vocatur mutua internecio *Ezech. XXXVIII. 21.* ex Midianitarum hiſtoria *Jud. VII. 22.* peſtis, ſangvis, imber, grando, ignis ſulphureus *v. 22.* ex hiſtoria Pharaonis *Exod. IV. ſeqq.* volucribus & beſtiis in eſcam dari *Cap. XXXIX. 4. 17. ſeq.* carnis, oculorum, lingvæ tabefactio *Zach. XIV. 12.* An omnes hæ pœnarum ſpecies in Gogum pariter cadere poſſunt? Qvid peſte opus eſt, qvid grandine, ſi ſe invicem occidunt? Si igne cremandi, qvomodo beſtiis & avibus in cibum objici poſſunt? Et an omnes beſtiæ & aves, qvæ hic invitantur, ſunt carnivoræ? Si gladio, peſte igne tollendi, qvomodo vivi tabeſcere dicentur? qvomodo ſepeliri? *Ez. XXXIX. 11.* Æterna ergo damnatio innuitur, qvæ omnibus infidelibus ab Apoſtolis fuit denunciata, cum è contrario כל הנותר *reliqviæ Gogitarum Zach XIV. 16.* np., ut exponit Kimchi ששבו אל השם בכל לבם *qvi toto pectore ad DEUM converſi*, in ſocietatem regni DEI fuerint recepti.

3. *Nondum ſciſſus mons olivarum, qvod prædictum* Zach XIV. 4.

R. Improprie dicta ſciſſio intelligitur, np. miſſio Apoſtolorum. oleo Spiritus S. unctorum in qvatuor mundi plagas conf. *part. I.*

Loc. XV. obj. 4. Literalem scisſionem, qvæ plerisqve aliis placet Rabbinis, rejicit Abarbenel & addit אבל חיותר נכון בעיני הוא שהריבור הזה כולו הוא המשלי *Mihi vero multo convenientius esse videtur totam hanc pericopam parabolice interpretari.* Vidit forte, montem si proprie finderetur, si non oppressurum Solymam, multum tamen ipsi incommodaturum. Ingens enim vallis hac scissione fieri dicitur, ad Azal usqve pertingens.

4. *Desolabit Dominus sinum maris Ægypti, & agitabit manum contra flumen, percutietqve eum in septem rivis* Es. XI. 15. *Neq; hoc dum factum.*

R. Disconveniunt hic inter se Rabbini. Qvidam per lingvam maris intelligunt fl. Schichor, ut Kimchi. Abarbenel intelligit Nilum. Per flumen intelligit Chaldæus Euphratem, qvem seqvitur Raschi & Kimchi. Abenesra Nilum intelligit. Torsit illos præjudicium literæ. Sinus maris est mare algosum nam 1. mare dicitur, 2. Ægypti mare, 3. additur *v. 13. erit iter ut tempore exitus Ægypti*, manifesto ad scissionem maris respectu. Per נהר Nilus innuitur. Dicitur enim per suos septem fluvios findi. Jam vero solus Nilus habet septem ostia non Euphrates. Finis scissionis est transitus captivorum in Assur, Ægypto, Patros, Æthiopia, Elam, Sinear, Chamat, insulis maris. *v. 11.* Hæc circumstantia symbolicum sensum sponte offert. Sinus & Nilus propriedicti non detinent captivos in insulis, in Perside, in Babylonia, Asyria &c. E. symbolicus erit intelligendus. Qvis vero ille? Remotio impedimentorum veræ conversionis, np. Satanæ & Anti-Christi dominium in conscientias. Hoc tolli cœpit prædicato Evangelio.

Usus ex versu 3.

Confirmamus ex hoc versu doctrinam de abjectione Judæorum. SI JUDÆI OB ABUSUM BONORUM TERRENORUM ABJECTI SUNT, MAGIS EOS ABJECTOS DIXERIS OB ABUSUM BONI SPIRITUALIS NP. LEGIS CHRISTI. Consequentia evidens est. Minor patet ex textu. Abjectos Judæos esse ob contemptum doctrinæ CHRISTI & gentes in gratiam receptas, eo qvod doctrinam CHRISTI admiserunt, docet Paulus

Rom.

Rom. IX. X. XI. Idem sibi objectum à Christianis esse R. Isaac Ben Abraham narrat *part. I. Munim. fid. cap. II.* Negat autem Gentes CHRISTI doctrinam recepisse.

1. *Neronem ac successores ejus totis tribus seculis christianos fuisse persecutos. Primum Constantinum JESU sacra admisisse. Eos duce Arrio iterum impugnasse Constantinum fil. & Julianum Nepotem, ejusq; posteros. Reperiri in hunc usqve diem Arrianos. Adelbertum a Prussis fuisse occisum.*

R. Argumentum Christiani erat: *Qvi doctrinam JESU admiserunt illi in gratiam recepti sunt: Atqvi gentes admisere, non Judæi: Ergo.* Hic Rabbino Major fuisset impugnanda; at stulte ille aggreditur Minorem, probandumqve sumit Gentes non recepisse doctrinam JESU. R. 1. Gentes qvædam morigeræ qvædam reluctantes. Hæ persecutionem moverunt in illas, idqve frustra, nam qvo magis pressi Christiani, eo magis evaluerunt, unde discere poterat Apella, doctrinam CHRISTI divinam esse. 2. Distingv. inter Christianos Orthodoxos & Hæreticos. Ad hos Arriani pertinent. Inter Constantini M. filios Constantinum Arrianum fuisse falsum est. Constantius fuit Arrianus. Julianus plane Gentilis, Patruelis qvidem Constantii, at non filius. Is nullos reliqvit filios qvi imperio præessent, sed qvi post ipsum imperium tractarunt, fuere omnes Christiani. 3. Multas adhuc Gentes in superstitione reperiri nemo negat. At omnes tamen ad regnum Christi vocatæ. Regnat D. n. JESUS in omnes populos, at non irresistibiliter. Ut morigeros in gratiam recipit, ita immorigeros sub reatu maledictionis æternæ tenet constrictos. Regnandum ipsi est in medio immicorum. *Ps. CX. 2.*

2. *Prussi, Poloni, Sveci tardius doctrinam CHRISTI receperunt, & Sveci qvidem seculo demum XV.*

R. Qvid tum? Omni tempore Messiano, qvod intra duos millenarios continetur, datur gentibus aditus ad gratiam, qvicunqve vocationi parent salvantur, serius ocyus venerint, nil refert. Svecos seculo XV. conversos esse crassus error est. Fundamenta conversionis Svecicæ jacta sunt jam tempore Caroli M. seculo IX. Exædificata sub Ottonibus seculo X. Indulgendum hoc Rabbino.

3. *Multi*

3. *Multi adhuc Christiani serpentibus, arboribus, lapidibus igniqve cultum deferunt, in templis simulacra habent aurea, argentea, adorant panis frustula. Hæc autem damnat* CHRISTUS.

R. Distingve ergo inter Christianos Nominales & Reales. Illi sunt qvi prædicato Evangelio solum mutarunt nomen, antiqvam retinentes superstitionem qvales Gentiles, Papæi. Hi autem qvi stricte CHRISTI institutis inhærent, nihil dementes nihil addentes. Hi vere Christiani. Illi æqve Christiani, ut vos Judæi. Non enim estis Judæi, sed Cananæi *Zeph. I. 11.* Amorrhæi, Chittæi *Ez. XVI. 3.* Satanæ synagoga *Apoc. II. 9.* Qvæ autem seqvela est: Qvidam Christiani adhuc indulgent gentili superstitioni: ergo nullæ gentes vere adhærent Christo, qvod prædictum fore *Gen. XLIX. 10.*

4. *Profanant diem sabbati contra* JESU *& Apostolorum præceptum, observatum per annos qvingentos, usqve dum jussu Pontificis in diem dominicum transferretur.*

R. Evidens hoc mendacium est. Meminit diei Dominicæ jam seculo 11. Tertullianus adv. Gentes *c. XVI. Diem solis lætitiæ indulgemus &c.* Meminit ejus *Lib. III. de Idol. c. XIV.* Meminit in libro contra *Jud. c. II. III. IV.* ubi prolixe ostendit Sabbati cultum pertinere ad legem Mosaicam & cum Lege Mosaica esse abrogatum. Distingvit inter Sabbatum æternum & temporale. Hoc abrogatum: illud adhuc servari debere ait, cum nihil aliud sit qvam vacatio ab operibus pravis. Meminit Justinus *Apol. P II. 77. l. 24. med. Solis, qvi dicitur die, omnium qvi vel in oppidis vel ruri degunt in eundem locum conventus fit &c.* Qvartadecimanis se constanter opposuere Ecclesiæ Latinæ, die Dominico Pascha celebrari debere statuentes. Promanavit hic mos ab Apostolis *Apoc I. 10. Act. XX. 7.* Falsum qvoqve est JESUM & Apostolos præcepisse Sabbati observationem: Contrarium exstat *Col. II. 16 Gal. IV. 4. Rom. XIV. 5.* Falsum est à qvodam Pontifice hoc institutum esse profectum. Proba tu Rabbi.

Pericopa

Periocha II. 4. 5. 6.

Judicium Judæorum, tanqvam præludium illius magnæ diei expresſius deſcribit. Notetur hic I. Judicii indictio; ET EXTENDAM MANUM MEAM SUPER JUDAM, ET SUPER INCOLAS SOLYMÆ II. Peccatorum commemoratio. Peccata in DEUM recenſentur & qvidem I. Seducentium: ET EXSCINDAM EX LOCO HOC RESIDUUM BAALIS, ET NOMEN MINISTRORUM UNA CUM SACERDOTIBUS. II. Seductorū: ET ADORANTES SUPER TECTA EXERCITUM COELI, QVI JURANT DOMINO ET QVI NON QVÆSIVERUNT DOMINUM NEC INVESTIGARUNT EUM.

Reſp. Christianus Alvert, Gryphisvv.

Senſus Abarbenelis.

4. *Et extendam manum meam ſuper Judam & incolas Jeruſalem, & exſcindam de loco hoc reliqvias Baalis, tam Baalis ſacerdotes, qvam Jehovæ ſacerdotes.* 5. *Tam eos qvi adorandis in tectis ſideribus aperte committunt idololatriam, qvam eos qvi verū DEUM adorant eiqve jurant. Item eos qvi Regi ſuo miniſtrant, cætera neqve veri neqve falſi DEI cultores.* 6. *Porro & Atheos qvi providentiam DEI negant. Deniqve & eos qvi neq; Jehovam ſectantur neqve idola.*

NOTÆ.

INcipit jam Rabbi allegoricam ſuam interpretationem qva כהנים de agricolis, שרים de principibus, נביאים de invaſoribus, אומנים de artificibus expoſuerat, ad ea qvæ in prophetia ſeqvuntur applicare. Sed ſtatim in limine ſui oblitus מכשלותיו, qvæ vox ipſi prius inſidias violentorum ſignificaverat, cum R. Salomone de Idololatria exponit. Deinde exiſtimat hanc pœnam pariter juſtis & impiis indici כולם יכרתו כצדיק כרשע ומי שאינו צדיק ולא רשע *Omnes* inqvit, *exſcindentur tam juſti qvam impii,*

impii, imo & illi qvi neqve justi neqve impii sunt. Ita communiter distinguunt Judæi homines in צדיקים *justos* רשעים *impios &* בינונים *intermedios.* R. bar Nachman ita illos describit: מי שיצא רשע בדינו כלומר שנתחייב בדינו נקרא רשע ומי שיצא צדיק בדיני נקרא צדיק ומי שנשאר תלוי נקרא בינוני *Qvi non absolvitur in judicio, sive qvi cadit causa sua, vocatur impius: qvi absolvitur in judicio, vocatur justus, qvi suspensus manet inter absolutionem & condemnationem vocatur intermedius.* Mala hæc est distinctio si de foro poli sermo est. Nam coram DEI judicio aut justus est homo aut injustus. Justus per justitiam imputatam; injustus, cui justitia imputata deest. Tertium non datur. Qvi autem in judicio DEI est absolutus, in eum non convenit pœnæ indictio. Si enim culpa remissa est, necessario etiam pœna remittitur, cum sublato uno relatorum tollatur & alterum. Magis hoc apparebit, si inqviretur qvid sit *de urbe Solyma exscindi.* Hoc certe non tantum externum innuit exilium, aut ejectionem è numero civium Hierosolymitanorum. Indignum enim foret divina majestate idololatriam infidelitatem ac apostasiam tam levi supplicio rescindere, cum hæc sint gravissima scelera, qvibus DEO suus honor auffertur & creaturis tribuitur. Ergo ut idololatriæ peccatum infinitam habet malitiam, ita qvoqve necesse est in hac phrasi infidelibus infinitam ac æternam pœnam denunciari. Non ergo Solyma tantum externa hic intelligitur, sed & ejus antitypus Ecclesia, & qvæ ad eam pertinent bona spiritualia. His ergo etiam privantur, qvi è Solyma dicuntur exscindi. At qvid aliud est ablatio bonorum spiritualium, qvam damnatio, qvæ hic inchoatur per desertionem ac indurationem, ibi consummatur per æternos cruciatus? An autem talem pœnam æqve in justos ac in injustos cadere dicemus?

2. Non ergo ferenda sunt qvæ scribit Abarbenel לא קרא הכוהנים סתם כי אם כהני ח' כי בעבור שיהיה הגלות כולל לטובים ולרעים אמר שיכרת מירושלים שם הכמרים וגם כן יכרת משם שם הכהנים משרתי המקרש

Non

Non intelligit ſimpliciter ſacerdotes JEHOVÆ. *Quia enim captivitas ſimul complectitur bonos & malos, dicit Propheta è Solyma excisum iri nomen camarorum & ſimul etiam nomen ſacerdotum Jehovæ miniſtrantium.* Nam ſi hic juſti ac pii Jehovæ Sacerdotes intelligendi qvi ex Jehovæ præſcripto vivunt & ſacris operantur, oppoſiti Baalicolis qvomodo in illos qvadrare poterit hæc comminatio? *Nomen eorum exſcindetur de Solyma*, qvod idem eſt, exponente Kimchio ac ואבר שמם וזכרם מן העולם *peribit nomen & memoria eorum de mundo*, id qvod alibi cultui idololatrico denunciatur *Hoſ. II. 17.* Non ergo hic Cemarim & Cohanim ſibi poſſunt opponi tanqvam Miniſtri Jehovæ ex Miniſtri Baalis, cum utrorumqve memoriam exciſum iri aperte hic dicatur, veris autem DEI ſacerdotibus perpetuitas promittatur omni exidii metu remoto *Jerem. XXXIII. 18.* Proinde utriqve ſunt Miniſtri Baalis. De voce Cemarim conferri poteſt Lud. de Dieu in h. l.

3. Eandem diſtinctionem inter fideles DEI cultores & Idololatras qvoqve invehit in verſum 5. עשה המשתחוים כתורת מתחלפות מהם משתחוים על הגגות בפרסום לצבא השמים והם הרשעים עוברי עז בגלוי ומהם משתחוים ונשבעים לה והם הצרוקים ומהם אותם שלא היו משתחוים לעז ולא גם כן משתחוים ונשבעים לה כי לא היו עוברי השו ולא עוברי עז אבל היו נשבעים במלכם להוות עבדי המלך ומשרתיו *Diverſa facit Propheta adorantium genera. Alii aperte in tectis adorant exercitum cœlorum. Atqve hi ſunt impii, Idololatræ aperti. Alii adorant Jehovam, eiqve jurant. Alii neqve idola colunt neqve Jehovam adorant aut ei jurant, neqve falſi neqve veri DEI cultores, ſed jurant per Regem ſuum, dum ſunt Miniſtri ſui Regis.* Qvemadmodum Propheta *v. 4.* de cultu Baalis locutus fuerat, ita hic *v. 5.* cultum aſtrorum & Malcami Aſtrorum Præſidis damnat, cum Jehovæ cultu perverſe conjunctum. Deſcriptio idololatrarum fit per plures propoſitiones, qvæ in textu involutæ, explicatius ita ſiſtuntur המשתחוים לה והנשבעים

בו המשתחוים למלכם והנשבעים בו *Incurvantes se Jehovæ & jurantes per eum, & simul incurvantes se Malcamo & jurantes per eum.* Duo actus sunt: uterqve tropo involutus, in altero metonymia signi est, in altero Synecdoche partis pro toto. Utroq; cultus divinus innuitur in scripturis. Utriqve actui duplex objectum assignandum, Jehova & Malcam. Bene qvidem Drusius in h. l. & ex eo Glassius *l. 4. tr. 1. 670.* diversitatem inter duas phrases נשבע בה & נשבע לה observant, qvarum illa significat *DEO polliceri se in fide mansurum*, hæc autem *in juramento DEUM testem invocare*. An autem illa ad hunc locum applicari possit dubito. Nam ad qvod objectum referetur משתחוים? Deinde cum hæc sint verba Prophetæ הנשבעים ליהוה והנשבעים במלכם aut iidem utraqve phrasi innuentur jurantes, aut diversi, pro objectorum diversitate. Non diversi. Ita enim qvidam hic veri Jehovæ cultores sisterentur, qvibus tamen æternæ damnationis pœna indiceretur, qvod asserere in DEUM esset injurium. Si iidem, aut eodem tempore in ipsos cadet jurandi actus aut diverso. Non diverso. Hæc enim temporis diversitas necessario latere deberet in verborum forma, qvorum alterum præteriti alterum præsentis temporis esse oporteret. Jam vero utrumqve est Participium, & qvidem præsentis temporis, ut cætera participia tam qvæ præcedunt qvam qvæ seqvuntur. Si eodem tempore, allata phrasium diversitas hic non habebit locum, neqve consistere poterit hæc Drusiana paraphrasis: *qvi sancte & qvasi DEO teste polliciti sunt se in fide pietate ac fœdere mansuros, violant qvod polliciti sunt, jurando per DEUM suum Molech.* Ita ergo evolvenda esse videtur implicata Propheta oratio: ואת המשתחוים ליהוה ולמלכם הנשבעים ביהוה ובמלכם *Eos qvi sese incurvant pariter Jehovæ & Malcam, jurant pariter per Jehovam & Malcam.*

4. Cum autem ex his manifestum sit per jurandi actum hic synecdochice cultum religiosum innui, Malcam *idolum*, cui ex opinione impiorum cultus debeatur divinus, significabit, non autem, ut putat Abarbenel, *regem*. Aut si omnino *regem* notari vult, concedat Regem hic tanqvam objectum divini cultus sisti.

Ubi

Ubi simul probandum foret Rabbino qvænam Judæorum ætas regi suo divinum cultum exhibuerit. Imo si Rex loco veri DEI ad cultum prostitutus est, per ejus adorationem fuit commissa propriedicta idololatria. Si hoc, ii qvi jurant per Regem suum non possunt dici neqve verum neqve falsum DEUM adorare. Qvod si autem huic phrasi *jurare per Regem suum* ea inest significatio, qvam Abarbenel ipsi indit, ut simpliciter notet *regi suo ministrare* bonus ille actus est, & cultui veri DEI subordinatus, ob qvem iterum Ministri regis minime possunt dici, neqve Johovam neqve idola colere.

5. Hæc de Idololatris. Porro alio modo describit Impios. *Et qvi retrocedunt à Jehova & qvi DEUM non inqvisiverunt.* Abarbenel & hic agnoscit שני כתנרי *duo peccatorum genera* מהם שכמקום שהיו צדיקים נזרו אחר באמרם לא ייטיב ד"ה ולא ירע ומהם שלא בקשו את ד"ה ולא דרשוהו גם כן לא היו דורשי העו"ז *alios, qvi cum justi fuissent retrocesserunt dicentes, neqve bene neqve male DEUS facit: alios qvi non reqvirunt DEUM neqve desiderant, qvi iidem nec desiderant idola.* Per illos videtur Atheos intelligere qvi DEI providentiam negant; per hos autem qvos intelligi velit, nisi langventes & claudicantes non video. Ita ergo has duas species opponit Idololatris. At enimvero hæc oppositio non nititur vi verborum. Nam qvi à Jehova recedunt minime pugnant cum iis qvi idola colunt, imo qvia DEUM tanqvam summum Bonum deserunt, ad aliud apparens bonum suum amorem suam fiduciam transferunt. Simul hinc elucet de langventibus hic sermonem non esse, sed de vere impiis. Nam uti *qværere DEUM* notat *pium & fidelem esse* Cap. II. 3. *ita non qværere DEUM infidelem & impium esse* denotabit. Nulla ergo hic nova species ponitur, sed iidem idololatræ generaliori qvadam phrasi exhibentur.

Usus ex versu 4.

Ait Abramides Cap. III. Græcum qvendam Theologum sibi objeciisse: JUDÆI REGNUM JESU SPIRITUALE REPROBA-

RUNT, E. EXUTI SUNT QVOQVE REGNO POLITICO. Hujus argumenti connexio probari potest ex hoc versu, in qvo DEUS minatur se eos qvi sibi obseqvium denegant de Solyma esse excisurum, i. e. & corporalibus & spiritualibus bonis exuturum.

1. *Negat Rabbi Judæos ob cædem JESU regno exutos. Nam jam ante a Nebucadnezare regnum ipsis esse ademtum. Judæos ante cædem JESU qveri apud* Joh. XIX. 15. *Non habemus Regem præter Cæsarem.*

R. Distingvendum inter dignitatem & potestatem Regiam. Illam Babylonii abstulerunt. At hæc ipsis remansit in Synedrio, ablata demum a Romanis. Ad locum Johannis responsum vide *Part. II. Loc. LVII.*

2. *JESUS nunqvam dominatus est in Judæos, E. nec potuit repudiari.*

R. Non dominatus est politice *Joh. XVIII. 36.* Qvod si politicum affectasset in ipsos imperium prompte fuisset susceptus *Joh. VI. 15.* Spirituale fuit ejus regnum; verbo veritatis aggrediebatur Judæorum conscientias *Joh. XVIII. 37.* Hoc regnum pati noluerunt, veritati mendacia præferentes.

3. *Multæ christianæ gentes etsi doctrinam JESU receperunt tamen regnum suum perdidere, qvod patet exemplo Græcorum & Hungarorum, qvi jam Turcæ serviunt. E contrario qvi primo christianos infectati, nunc regnant; Exemplo est Roma. Ergo a JESU receptione vel reprobatione ad felicitatem vel infelicitatem politiam N. V. C.*

R. In Judæis valet omnino, qvod patet ex *Esaiæ I. 19. 20. Lev. XXVI. Deut. XXVIII.* Deinde etsi gentibus qvibusdam Christianis politica calamitas est illata, tamen ea minime comparari debet cum admirabili illa servitute, qvam DEUS refractarios Judæos omnibus in regnis usqve ad diem extremum servire jussit, in qva ipsis omnis ad honores politicos adituspenitus præclusus est.

Usus ex vers. 5.

Narrat Rabbi noster Cap. IV. sibi aliqvando objecta esse ab illustri qvodam Viro Lutherano verba Gamalielis *Act. V. 34. seq.* ac inde

ac inde pro fide Christiana conclusum: RELIGIONEM CHRISTIANAM PER MILLE QVINGENTOS ANNOS SALVAM PERSTITISSE: E. EAM ESSE A DEO. Huic argumento robur addi potest ex hoc versu: OMNES INVENTOS CULTUS RUINA MANET: CHRISTI DOCTRINA ADHUC PERSTAT INCOLUMIS: E. NON EST HUMANA SED DIVINA. Minorem probat experientia. Majorem versus explicatus, in qvo docet Propheta DEUM cultum idololatricum excisurum. Qvæ ad hoc argumentum excipit Rabbi, ea rejecta, vide *Part. II. Loc. LX.*

Usus ex vers. 6.

Eundem Lutheranum ait Rabbi Cap. V. EX SERVITATE AC EXILIO JUDÆORUM INFERRE VOLUISSE APOSTASIAM JUDÆORUM A DEO ET VERA RELIGIONE. Asserto huic fulcrum subjicimus ex hoc versu: JUDÆIS APOSTATIS INDICITUR EXILIUM: JUDÆI JAM UBIVIS TERRARUM EXULANT. E. JUDÆI SUNT APOSTATÆ. Posita enim pœna ponitur culpa. Excipit Rabbi.

si exilium est argumentum apostasiæ, pax & felicitas argumentum erit veri DEI cultus. Posterius est falsum, ut patet exemplo Nebucadnezaris, Alexandri Macedonis, qvi felicissime dominati in Judæos, nec tamen vera religione fuerunt imbuti. Item Turcarum &c.

R. Posterius non est falsum, si de Judæis sermo est. Ut enim impiis Judæis maledictio indicebatur, ita piis ac in fœdere manentibus qvævis benedictio. *Deut. XXVIII.* At a Judæis non concludendum ad Gentiles. Qvod enim illi felicitate utuntur externa, non eo fit, qvod verum DEI cultum habeant, sed שמא יעשו תשובה או עשו כבר מצוה שחשם משלם להם שכר בעה"ז או שמא יצאו מהם צדיקים *ut agant pœnitentiam: aut qvod honeste vivant, qvalem honestatem DEUS præmiis temporalibus remuneratur, aut qvod pii ex iis nasciturí.* Ita ex Rabbi Jaschajæ ore docet Bechai in Leg. *fol. 214. col. 1.*

Perio-

Periocha III. 7. 8. 9.

Continet I. Invitationem ad pœnitentiam argumento a propinqvitate judicii ducto: SILETE A FACIE DOMINI JEHOVÆ, NAM PROPINQVUS EST DIES DOMINI, QVO PARAVIT DOMINUS MACTATIONEM, SANCTIFICAVIT INVITATOS SUOS. II. Commemorationem peccatorum, qvæ sunt I. luxus in vestitu ET ERIT IN DIE MACTATIONIS DOMINI, ET VISITABO SUPER PRINCIPES ET SUPER FILIOS REGIS ET SUPER OMNES QVI INDUUNTUR VESTEM EXOTICAM. II. Illegitima opum regiarum auctio: ET VISITABO SUPER OMNEM QVI TRANSILIT LIMEN, HOC DIE, QVI IMPLENT DOMUM DOMINI SUI INJURIA ET FRAUDE.

Sensus Abarb.

7. Vos postremos languentes & meticulosos compello, silete & state. Nam prope est dies Domini cum eodem inter vos faciet. Præparavit ad eam peragendam Nebucadnezarem & Chaldæos invitatos suos. 8. Et erit in die mactationis DEI, & visitabo super Principes & filios Regis & super omnes qvi distincta a vulgo veste incedunt. 9. Et visitabo super omnem qvi singulari studio domum Regis frequentat, qvi implent domum Regis injuria & fraude.

NOTÆ.

OMnes hi qvi DEO debitum cultum denegant & proximo injuriam inferunt, ad agendam seriam pœnitentiam invitantur: חס מפני qvod cum tam in singulari qvam plurali numero exprimi possit, pluralem cum Luthero Vulgato & Amstel. præ-

præferimus. Vulg. *silete a facie Domini*, Amstel. Seyd schweigend vor dem Angesicht GOttes: qvi etiam extat *Nehem. VIII. 11.* Hoc silentium excludit contradictionem, qva contradicebant Jehovæ, Mosi, Prophetis, novum contra DEI Legem cultum inveniendo, aut aliter vivendo atq; ipse præceperat. Includit dolorem, השתיקה אחת ממשפטי האבלות *silentium inter luctus signa referendum* Bech. in Leg. *fol.* 141. 4. Jubentur ergo hac voce intermittere falsum cultum, abstinere ab impia vita, & sese Jehovæ cum seria humilitate submittere. Plus ergo in hac phrasi est atqve Abarbenel ei imponit qvi ad langventes & luctantes referens exponit per שתקו ועמדו *silete & state.* At supra ostensum non hic de tentatis agi, sed de vere impiis. Tum in luctantes non convenit pœnæ comminatio, sed solatii dictio. Non ergo hi, qvi compellantur, stabant, sed de fide ac pietate jam plane deturbati erant.

2. Judicium qvod impiis denunciatur his verbis exhibetur. *Nam dies Domini prope est, qvo DEUS sacrificium paravit, sanctificavit convivas suos.* Bis hic ponitur particula כי primo in sensu causali, deinde in sensu relativo. Sic enim solet interdum pro אשר accipi. Exempla vide apud Nold. *p.* 400. & Glass. *l. 3. tr. 2. p.* 202. Locutio desumpta est à ritu sacrificantium. Victima ad cœdem proposita sunt Judæi, non pii sed infideles, qvi spreta salvifica doctrina cultum eligebant idololatricum. His indicitur mactatio, qvam seqvitur mors tam politica qvam spiritualis, tam corporalis qvam æterna. Qvi convivium instruit, DEUS est, justus scelerum vindex. Ensis, qvo eos mactat, cum externus est, tum internus ac spiritualis. Ille vibrandus per Nebucadnezarem, Romanosqve, qvi politiam eversuri. Hic per Apostolos, qvi damnationem æternam indicturi everso statu ecclesiastico: per Angelos, qvi in die extremo eos in ignem conjecturi, *Matth. XIII. 42. 50.* Convivæ pii sunt ac fideles, qvi ex impiorum supplicio eum capient fructum, ut sine metu persecutionis verum DEUM colere liceat. *Psalm. XII. 6.* Videtur CHRISTUS hinc disumsisse suam phrasin, *Matth. XXIV. 28.* ubi Synogogam Judaicam, qvæ cum salva adhuc esset τῆ Μωσέως σῶμα vocabatur, Judæ *vers. 9.* post

 destru-

destructionem plenariam vocat שלום. Hinc autem apparet per *Invitatos* non posse *Nebucadnezarem & chaldæos* intelligi, qvod Abarbenel vult; Ut enim in Sacrificiis alii erant, qvi victimas mactabant, alii, qvi ad eas comedendas invitabantur, ita & hic alii sunt, qvi cœdem Jud. perficiunt, alii, qvi ea fruuntur.

3. Inter peccata, qvæ hic taxantur luxus in vestibus qvoqve est. Per מלבוש נכרי qvid intelligatur Interpretes inter se disceptant. Raschi intelligit *vestimentum idololatricum*, Kimchi *vestimentum alienum, vi abreptum*, Abenesra *vestem distinctam à vestibus plebæorum*. Hunc & hic Abarbenel seqvitur. At huic sententiæ obstat Prophetæ scopus, qvi est invehi in peccata. Jam vero per se peccatum non est distinctis a vulgo vestibus uti. Laudanda potius in eo qvoqve erat Salomonis sapientia, qvod ministros suos distinctis vestibus voluerit incedere, qvam ob causam etiam Reginæ Scheba inter alia admirationi erat *1. Reg. X. 5. 7. 8. 9.* Præfero ergo sententiam eorum, qvi ἐνδύματα ἀλλοτρια, juxta LXX. *exoticas vestes* intelligunt. Ut enim in aliis ritibus, ita qvoqve in vestitu peregrinas gentes imitabantur Judæi, tantæ levitatis, ut qvidqvid alibi novi inveniebatur, in suam transferrent Rempublicam, qvos tamen DEUS, ut natione ita & legibus ac ritibus diversos esse volebat ab omnibus aliis gentibus. Hæc ipsis levitas inter alia objicitur, *Es. II. 6.* in qvo mores illi ac habitus externi vocantur ולדי נכרים *filii peregrinorum*, i. e. ut Benm. exponit מחשבות הלב ועצותיו של נכרים *cogitata cordis & consilia peregrinorum*, qvidqvid nempe inveniunt atq; excogitant exteri, sive artes, sive leges, sive mores, sive vestes sint. Et hanc qvoqve sententiam postea, qvanqvam dubie, arripit Abarbenel ואולי אמר מלבוש נכרי על השרים ועל בני המלך לפי שהוזהו מנהגם כמנהג אשר אתנו בין בני אדום היום הזה שהמלכים והשרים לא היו מצפים במלבושי ארצותם לגויהם והיו לובשים מלכושי מלכים אחרים מעמים נברים *Forte propterea hic Principibus & Regum filiis exteram vestem exprobrat, qvia idem ipsis mos fuit, qvi hodie est christianorum apud nos, qvorum Reges ac Principes fastidiunt vesti-*

menta

menta suæ nationi consueta, sumuntqve habitus regum exterarum nationum. Ita nobis Christianis levitatem nostram exprobrat Rabbi.

4. Porro injuria in subditos reprehenditur. Ubi difficultas est in phrasi *salire ultra limen.* Pleriqve omnes proprie accipiunt *limen domus*, ita ut vel significat *intrare vi limen pauperum*, vel *intrare domum Principis cum exultatione*, vel *insilire limen pauperum*, ut Tarnovius exprimit. Noster primo rejicit sententiam Jonathæ & R. Salomonis, qvos ait de Idololatrico cultu intelligere, nempe qvod qvemadmodum Philistæi non calcabant limen Dagonis delubri, *1. Sam. V. 5.* ita & hi regii Ministri Philistæorum consvetudinem in hoc sint secuti. Dubito autem an satis perceperit mentem Jonathæ. Verba ejus sunt: *Visitabo omnes, qvi ambulant in legibus Philistæorum, qvi implent domum dominorum suorum rapina & fraudibus.* Comparat ergo Ministros Regis & Philistæos in eo qvod alienas opes vi & dolo ablatas vel Regum vel Deorum suorum ædibus importent. Exemplar ipsi est Philistæus, qvem per contemtum vocari saltantem super limen autumat. Exemplatum Ministri Regii, qvi Philistæorum impios ac depravatos mores sequntur, non in una tantum re, sed in omnibus, imprimis vero in rapiendis per vim & fraudem opibus. Ita Judæi qvoq; Sodomæi *Esa. I. 10.* Cananæi *Zeph. I. 11. Hos. XII. 7.* vocantur. Neq; aliter Jonathanem accipere videtur Raschi. Deinde & suam mentem nobis exponit כפי הפשט אמר זה על כל משרתי המלכים והשרים שהיו עובדים אותו במרוצה והשתדלות גדול כאילו הם רולגים על מפתן החצר להכנס בו פעמים רבות *secundum literalem sensum exponenda hæc sunt de Ministris regis ac Principibus, qvi ipsi serviunt singulari studio ac animi contentione, ut qvoties limen Principis ingredantur qvasi cum saltu illud ingredi videantur.* Eadem qvoqve est AbenEsræ mens, qvem noster seqvitur. Ita uterqve per רלוג על המפתן solummodo studium ac affectum animi intelligit. At plus inesse phrasi persvasum habemus. Proinde 1. accipimus de Ministris Regis hic sermonem esse. 2. Limen qvod hic absolute ponitur, referendum esse putamus ad domum Regis 3. per domum Regis

innui possessiones regis sæpe enim domus in Scriptura pro possessionibus ponitur: sic jubemur non appetere domum proximi, *Ex. XX. 17.* Inde 4. per Ministros Regis non qvosvis intelligimus, non eos, qvi regimini aut judiciis præsunt, sed, qvi possessionibus regiis sunt præfecti. Sic Josephi Oeconomus ita describitur, qvod sit super domum Josephi, *Genes. XLIV. 1. 5.* Uti limen terminus domus est, ita notabit terminum & limitem possessionum ac facultatum regiarum. Hinc 6. *transilire limen domus regiæ*, erit, *transgredi terminos regiarum facultatum*. Atqve cum 7. qvi terminos sibi creditarum possessionum transgrediuntur, necessario alienos invadant, hinc qvoq; notabit *involare illegitime fortunas alienas.* Atq; hoc est, qvod 8. clarius altero membro dicitur *implere domum regiam opibus vi dolo, ablatis.* Hactenus de Principibus, qvos עופות *volucres* appellari putat Rabbi.

Usus ex versu 7.

Patet hinc nullam Judæis spem restitutionis politicæ superesse. SI enim JAM PLANE SUBLATA EST POLITIA JUDAICA, NON DATUR EJUS PER POENITENTIAM RESTITUTIO. PRIUS EST. E. Conseq. ex versu hoc patet: In eo enim pœnitentia tanqvam remedium resarciendæ politiæ fractæ ac nutantis exhibetur, non tanqvam restituendæ sublatæ; Imo repugnat politiam finaliter eversam restitui. Conf. *cap. II. 2.* item *cap. I. 18.* Conclusio est Christiani cum Rabbino nostro disputantis, *cap. VI.* Ut contra hunc evincat sibi adhuc supereſse spem recuperandæ politiæ multa congerit, qvæ majoris evidentiæ causa ita proponimus.

1. *Qvibus Prophetæ comminantur dispersionem in omnes mundi oras, illis promittitur restitutio. Atqvi Judæis hodiernis: E.*

Probat Minorem 1. ex *Deut. XXVIII. 64.* *DEUS dispergeret te in omnes populos.* Hæc verba intelligi non posse de Babylonica deportatione: ea enim non fuit dispersio Israëlis in omnes populos. Confert *Ex. XXII. 15.* E. intelligi de exilio moderno. R. Utrobiqve universalem dispersionem innui apparet: at ea inchoata fuit tempore Assyriorum & Babyloniorum, consummata deniqve

deniqve tempore Vespasianorum. Diu ante finale excidium Solymæ erant Judæi & Proselyti ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν. Act. II. 5. seqq. Paulum qvocunqve terrarum veniret inveniſſe Judæos, testantur Acta Apost. passim: conf. Rom. X. 18. Philo testatur suo tempore ab Alexandria & Lybia ad fines Æthiopiæ plusqvam decies centena Judæorum millia habitasse. Idem addit: *Judæos una regio non capit propter hominum multitudinem. Qvamobrem plurimas & fortunatissimas urbes in Europæ Asiæqve insulis ac provinciis incolunt, pro metropoli habentes sanctam Civitatem, in qva templum altissimo DEO sacratum est.* Vide hæc allegantem Celeberrimum Dn. Wagenseilium in præfatione scripti nuper editi, cui titulus: Belehrung der Jüdisch-Teutschen Red- und Schreib-Art. Narrat ibidem Autor Wormatienses Judæos evidentibus testimoniis Imperatori Romano probasse, se diu ante crucifixionem JESU CHRISTI in Germania habitasse, ac propterea cœdis ejus reos non esse, unde adhuc vulgatum proverbium: Wormser Juden/ fromme Juden. Ibidem teste Cœlestino Abbate Cœnobii S. Emmerami Ratisbonensibus, & Sebast. Franco, Ulmensibus Judæis, scribit, à Judæis Hierosolymitanis per epistolas significatam esse cœdem JESU Nazareni, qvarum alterius exemplum exhibet. Ex his patet dispersionem universalem diu ante excidium Solymæum sumsisse initia. Probat Minorem.

2. *Qvia moderna Judæorum captivitas est Captivitas Edomi* Amos. I. 9. *Totam autem gentem Nazarenam, & ex ea præcipue Romanos. Scriptura ubiqve nomine Edom aut filiæ Edom nuncupat, qvia* 1. *Religione JESU imbuti sunt per sacrificulum Edumæum.* 2. *Primus Papa fuit Edumæus.* 3. *Qvia Edumæi primi omnium religionem JESU admisere.* 4. *Qvia Zapho, Edomi nepos, primus in vallibus Campaniæ super Universam Italiam Imperium tenuit. Ex qva ratione etiam* Cap. XXXIV. Esaiæ *de Christianis exponendum.*

R. 1. Locus Amosi impertinenter à Judæis de exilio moderno Judæorum exponitur. Agit enim de deportatione qvæ facta fuit ante irruptiones Assyriorum. Erat enim ope Sancheribi in Tyriis & Gazæis vindicanda. Raschi ait שנתגברו כל הפורענות נבואי

נביאי וישראל לבא חרב על האומרת נבואם
שחוו קודם סנחריב כגון ישעיה עמוס נבאו על חרב
סנחריב וירמיהו ויחזקיאל נבאו על חרב נבוכדנאצר
Prophetæ qvæ Gentibus supplicia denunciarunt, qvi ante Sancheribum vixere, ut Esaias, Amos, denunciarunt gladium Sancheribi, qvi vero post eum, ut Jeremias, Ezechiel, gladium Nebucadnezaris. 2. Edom vel in sensu politico sumitur vel in mystico. Neutro modo Christianis id nominis imponi potest. Si enim illo, ab Edumæis originem trahere eos oporteret. Jam vero Christiani, qva Christiani, non sunt gens politica, sed sunt Ecclesia, per verbum & Sacramenta ex omnibus gentibus sub cœlo collecta, ductu Regis spiritualis CHRISTI militans adversus Satanam mundum ac carnem: Israël & Jacob dicti, qvod vestigiis fidei Patriarcharum insistunt. Proinde, qva Christiani, non trahunt originem, vel ab Idumæis, vel ab ulla alia gente, sed à DEO, qvi eos per verbum colligit & spiritualiter generat. Neqve in sensu mystico Christiani sunt Idumæi. Nam in sensu mystico significat Edom gentem spiritualem, à Satana generatam, Ecclesiæ DEI adversam, qvales sunt Judæi & omnes CHRISTUM ac populum ejus infestantes, conf. *Part. II. Loc. LXXI. & LXXIV. obj. 2.* conf. & *Loc. XIII.* 3. Nugas illas, qvibus Rabbi probare conatur Christianos esse Edumæos jamdudum rejecit B. D. Pfefferus *in Theolog. Judaica Exerc. V. th. 19.* qvem vide. Satis esto hic adduxisse. Cæterum Majorem probat

1. *Qvia DEUS Judæos in omnes populos disjectos in extremitate dierum oppressis hostibus, peccatoqve suo per diuturnitatem exilii expiato, reducturum sese pollicetur, vi dictorum,* Deut. IV. 30. 31. Hos. III. 5. Deut. XXX. 3. 4. 5. 6. Esa XLIII 5. 6. Cap XI. 12. Ez. XXXIX. 28. Esa. LX. 10. 11. *Hoc tempore templi secundi non fuit impletum. E. pertinet ad modernos.*

R. Qvia dispersio universalis jam tempore templi prioris cœpit, ut paulo ante ostensum, ex qvæ hic promissiones continentur non spectabunt ad solos Judæos modernos. Deinde in his adductis locis non agitur primario de reductione in terram politicam, sed de reductione

ctione spirituali, qvæ est conversio. 1. Adducitur *Deut. IV. 30.* & *Hos. III. 5.* Utrobiqve non externa in terram reductio promittitur, sed conversio ad verum DEUM באחרית הימים *in dierum extremitate*, per qvam tempora Messiana designari supra ostensum in usu *v. 1. n. 5.*, futura. Cœpit hæc in Judæis tempore CHRISTI idololatriam suam ductu Apostolorum agnoscentibus ac detestantibus, eaqve missa ad verum DEUM & verum DEI populum redeuntibus. Qvod autem ea seqventibus temporibus non continuata est, suæ tribuant Judæi contumaciæ, qvod se pro idololatris agnoscere noluerunt. Terminus enim hujus conversionis à qvo, non est remota regio, sed idololatria, contemtus ac neglectus veri DEI; ad qvem, verus ac placens DEI cultus. *Qværent Dominum DEUM suum, & Davidem Regem suum, & pavide accedent ad Dominum ac bonitatem ejus, Hos. III. 5.* His verbis innuit conversionem Propheta. In qvonam qvæso tu illam ponis Rabbi? Ais: *Dolebunt tum, qvod olim temere dixerunt*, 1. Reg. XII. 16. *Qvæ nobis portio cum Davide? Non est nobis hæreditas cum filio Isai. Qvi enim Davidem rejicit, ipsum DEUM rejicit, qvi Davidi regiam dignitatem in æternum concesserat. Sic implebitur illud Jeremiæ XXX. 89.* Servient Jehovæ & Davidi. R. Itane hoc vos in extraneis terris detinet, qvod nondum doluistis de verbo illo à Majoribus vestris in domum Davidis prolato? Qvid ad vos Majorum temeritas? An filii portabunt parentum peccatum? Imo si X. tribus imperia domus Davidicæ reprobarunt, qvid illa rebellio ad Judæos & Benjaminitas, ad qvos Tu tuum refers sangvinem? Qvam te hic ridiculum præbes Rabbi? Aut probas illam Davidicæ domus rejectionem in Majoribus tuis aut improbas: si probas: qvomodo ad eam expiandam pœnitentia opus esse asseris? si detestaris: adest ipsa pœnitentia; qvid est ergo, qvod adhuc detinemini in exilio, si talis dolor vobis libertatem dare potest? Esto, dolendam vobis esse temeritatem Majorum vestrorum in abnegando Davide. Ergo erit eadem & vestra temeritas: Non enim potestis pœnam Parentum ferre, nisi insistatis vestigiis ipsorum. Qvod autem erat peccatum Majorum? Una

cum

cum Davide verum DEUM abnegare. רשב"י אומר בשלשה דברים מאסו ישראל בזמן רחבעם, במלכות שמים ובמלכות בית דוד ובבית המקדש *Rabbi Simeon ben Jochai ait: Tria abnegarunt Israelitæ tempore Rechabeami, regnum cœleste, regnum Davidicæ domus, & sanctuarium.* Kimch. *in Hos. III. 5.* Si ergo vobis dolenda est ac detestanda reprobatio Davidis, apparet vos abnegare jam verum DEUM. Notat Bech. in Leg. *fol. 52. col. 4. f.* in verbis: *1. Reg. XII. 16. Non est nobis pars in Davide, neque hæreditas in Isaide* non esse exegesian, juxta communem Interpretum sententiam, sed hunc esse sensum, qvod abnegarint simul regnum DEI cœleste, & regnum Isaidæ terrestre, atqve ita idololatriam commiserint, qvem locum plenius explicatum vide *Part. II. Loc. XXXII. obj. 3.* Hic David cœlestis Rex opponitur Isaidæ Regi terrestri. Inqvire obsecro, qvare Rex cœlestis David vocetur? Qvam aliam invenies rationem, qvam qvod à Davide terrestri originem trahit tanqvam filius? Age noscita hic manifesta θεανθρωποτης vestigia. Idem qvi ab Isaide genus ducit, cœli dominium tenet, qvo repudiato idololatriam commisere Majores tui. Hunc eundem & vos repudiatis, ac propterea idololatriæ reatu tenemini. Hoc vobis dolendum est peccatum, si vultis à DEO in gratiam recipi. Sed progredior

2. ad *Deut. XXX. 3. 4. seq. si ad extremitatem cœli fueris dispersus, inde colliget te.* R. colliget, sed in qvam terram? Qvæ Patriarchis eorumqve semini promissa. Jam vero Patriarchis cœlestis patria promissa erat, cujus terra Canaan symbolum modo fuit, ut docet Bechai ad *Exod. XXXII. 13.* וכלו ונחלו לעולם שינחלו אותו עולם שהוא מכוון כנגדו ואם כן יש בכתוב הבטחה בעלם הזה ובעלם הבא *In verbis: & habitabunt eam in æternum: continetur simul promissio terræ antitypicæ. Atqve adeo erit in hoc loco promissio tam hujus, qvam futuri seculi.* In hanc antitypicam terram ergo primario colligentur dispersi. Colliget, sed in qvam terram? Qvam Patriarchæ, tanqvam hæredes possedere, ut legitur *l. c. v. 5.*

Jam

Jam vero illi peregrini fuerunt in terra Canaan, *Gen. XXIII. 4. XXVI. 3. XXXVII. 1. Pſ. XXXIX. 13.* Ergo cœleſtis patria fuit ipſorum hæreditas, qvæ omnibus piis promiſſa *Pſalm. XXV. 13. XXVII. 13. XXXVII. 9. 11. 22. 29. 34.* In hanc ergo colligentur primario. Colliget, ſed qvos? *Qvi auſcultant voci DEI ad præſtanda ea qvæ ipſis hodie præcepit v. 2.* Qvid autem præcepit DEUS? *Præceptum qvod ego tibi hodie præcepi non eſt occultum aut longinqvum à te &c. v. 11.* Manifeſtum eſt hoc non eſſe verbum legale, ſed Evangelicum. Nam qvis neget verbum legale difficile, imo plane impoſſibile eſſe impletu, cum ipſam pravam concupiſcentiam nos exuere jubeat? Conf. *Part. II. Loc. LXXXIX. Obj. 2.* E. non hic finis legis datæ erat ut Judæi in ea implenda fruſtra ſeſe excarnificarent, ſed ut cognita ſua impotentia alienam ſatisfactionem qvæ in Meſſia mundo offertur, *Eſ. LIII.* circumſpicerent. *Rom X. 4. Gal. III. 24. 2. Cor. III. 13. 14. 15. 16.* Qvi hunc ſcopum Legis nolunt admittere, illi non audiunt vocem DEI. Nihil hic ergo Judæi, dum ex Lege juſtitiam qværunt, ſibi promitti ſciant.

3. 4. 5. Eſ. XLIII. 5. 6. *Ab oriente reducam ſemen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam Aqviloni: redde & meridici ne cohibeto, reduc filios meos, & filias meas.* Parallela leguntur *Eſ. XI. 12. Ezech. XXXIX. 28. colligam, ita ut ne unus ex ipſis relinqvatur.* R. Impletum hoc cum per prædicationem Evangelii qvatuor mundi plagæ ſub Legem CHRISTI vocarentur. Carcer, qvo detinebantur Judæi, non externus aut civilis erat; qvamdiu enim vitam legibus Gentilium politicis conformem vixere, juſta ac clementia ipſorum paſſi ſunt imperia: ſed ſpiritualis dominatus Satanæ peccati ac Principum hujus ſeculi in conſcientias. Ex hoc carcere, converſis gentibus, in libertatem ſpiritualem evadere poterant omnes, ne uno qvidem relicto, *Rom. XI. 25. 26.* Sed præjudiciis occupati pleriqve ſe in eo maluerunt ipſos detinere. Iis enim tantum ex eo liberatio promiſſa, qvi ſunt ſemen Jacobi, *Eſa. XLIII. 1. 5.* i. e. qvi veſtigia ſeqvuntur Jacobi in abnegatione ſui ſuorumq; operum, *v. 22. 23. ſeq.* & in fide in meritum θεανθρώπε, *v. 24. 25.* Qvid ergo hoc ad modernos Judæos ἐργοδιώκτας?

6. Es. LX. 10. 11. *Alienigenæ ædificabunt muros tuos, Reges eorum ministrabunt tibi: Portæ tuæ apertæ erunt jugiter, &c.* R. Civitati DEI, Sioni sanctî Israëlis, *v.* 14. populo justo, *v.* 21. hic dicuntur solatia, non Sodomæ & Gomorrhæ civibus, qvi vos estis, *Es. Cap. I. 10.* eo qvod salutarem doctrinam spernitis. *v. 19.* Dic mihi sodes, Rabbi, qvare cum tuis majoribus ejectus è terra viventium? Recole qvid mysterii indicet Lamed illud majusculum in וישלוכם *& abjecit vos Deut. XXIX. 28.* ורמז בלמר רבתי כי למר מלא הוא לשון למוד התורני והוא על שנאמר כי מאסו את תורת ה׳ ולמדו רז׳ ממקרא זה׳ שבעון ביטול תורה׳ גלו ישראל *Lamed majusculum significat doctrinam cœlestem q. d. Et abjecit eos ob contemtum doctrinæ cœlestis. sic* Es. V. 24. *Qvia spreverunt doctrinam DEI &c. Ex qvo loco docent veteres qvod propter contemtum Legis exulet Israël.* Ir Gibb. *fol. 115. col. 1.* Et notari meretur qvod cum Kimchi in verbis adductis; *spreverunt doctrinam DEI & sermonem sancti Israëlis insuper habuerunt:* exergesiam esse judicet, in Jalkut Hatthorah illud de Lege scripta hoc de orali explicetur, *Part. II. fol. 42. col. 3.* non obscuro indicio, qvod cum hodie Talmud, qvod Legem oralem vocitant, maximi faciant Judæi, olim per Legem oralem verus ac salutaris sensus scriptæ legis, qvo Judæi hodie carent, fuerit significatus. Qvia ergo propterea pœnam exilii fers, qvod cum majoribus tuis, *τὴν βελὴν τῦ Θεῦ ἀθετεῖς εἰς σεαυτὸν Luc. VII. 30.* qva fronte hoc solatium ad te tuamq; gentem applicare potes, qvod in solos DEI timentes ac justos convenit? *v. 21.*

7. Num. XXIV. 17. *Orietur stella ex Jacob, vastabit omnes filios Seth 18. Edom erit ejus possessio &c. 24. Chittim peribit. Hæc nondum impleta.* R. Implenda hæc באחרית הימים *in extremitate dierum* qvæ temporis determinatio additur *v.* 14. Per eam tempora Messiana innuuntur. Hæc autem qvia jam fluunt, ut ostensum *pag. 13.* necesse est impletionem hujus vaticinii jam esse cœptam. Cœpit jam magnificari Israël: verum ac legitimum semen Abrahæ, qvod in ipsa Gentilium Phariſæorumqve tyrannide

tyrannide institit vestigiis fidei Patris sui Abrahami *Rom. IV. 12. Psalm. XLIV. 18. sq.* non spurii illi, qvi perperam sese Judæos appellitant *Hos. I. 2. Apoc. II. 9.* ne hic erres Rabbi. Ei Israëli hic promissio fit, qvi justus, *v. 10.* in qvo nullam DEUS vidit iniqvitatem *cap. XXIII. 26.* Audi qvomodo Rabbi Jehuda in Nezach Isr. *Cap. II. pag. 1. col. 4.* mores Tuæ gentis depingat: ישראל מסתלים היו לחטא מה שלא תמצא בכל האומות ולא הודה אברהם יצחק ויעקוב כמו שהוא אצל שאר בני האדם שפעמים יוליד צדיק ופעמים יוליד רשע אבל אברהם יצחק ויעקוב היו תולדת הרשים שבהם יותר מן הטובים בהרבה זמנים ומאחר שאברהם יצחק ויעקוב היו; וסורו האומה הזאת איך נמצא דבר זה להם מה שאינו נמצא אל הבעלי חיים הבלתו מדברים *Israël modo qvodam peculiari peccatis est addictus: Id qvod cum nulla alia gente commune habet. Neq; vero Abrahamo, Isaaco, Jacobo contigit, qvod cœteris hominibus evenire solet, qvi interdum malum interdum bonum generant: nam posteritas Abrahæ, Isaaci, Jacobi, plures omnibus seculis impios habuit, qvam pios. Enimvero cum hæc natio tam sanctos genitores habeat, qvi fit, qvod ne illa qvidem qvalitas in ea reperiatur, qvæ bestiis loqvela expertibus* Esa. I. 4. *tribuitur?* Dum ergo non seqvuntur vestigia fidelium Patriarcharum, nihil sibi sciant promitti Judæi: nam אם יהיה בהם און לא יקום בהם הטובה שהרי דברי השם יתברך כלם על תנאי הם *qvamdiu ipsis est iniqvitas, promissiones DEI ad eos non pertinent, siqvidem omnes DEI promissiones sunt conditionatæ:* ut scribunt in loc. add. Abenesra & Bechai. Fideli ergo Israëli hic promittitur dominium in omnes gentes, non externum, sed spirituale, qvod cœpit in adventu CHRISTI primo Apostolorum tempore, manifestandum in secundo.

8. Es. XXXIV. *agit de oppressione Edomi &c. Christianorum* Cap. XXXV. *de liberatione Israëlis i. e. Judæorum moderatorum.*

norum. Neutra adhuc facta. R. Repete hic qvæ ſupra de Edomo allata pag. 38. Myſticus hic Edom intelligitur, qvi non ex una gente ſed omnibus omnium terrarum populis conſtat *v.* 1. vero DEO ejusqve populo adverſus, *v.* 8. Cætus Anti-Chriſtianus olim per Phariſæos & Gentiles idololatras: poſtea per Papæos nobilitatus. Similiter & ſpiritualis Iſraël innuitur, collectus ex omni gente, poſtqvam aqvæ Evangelii ubivis terrarum effuſæ, *c. XXXV. 1. 6. 7.* פדויי יי *redemti à Domino, v.* 10. (λελυτρωμένοι ut habent LXX.) qvi per λύτρον ἰσόρροπον ſunt acqviſiti. Innuentur ergo veri Chriſtiani, qvi per λύτρον à CHRISTO partim ſalvantur, non moderni Judæi, qvi illud reſpuunt, merito operum confiſi.

9. Eſ. LX. 17. *Qvi ſanctificant ſe &c. (np. Iſmaëlitæ aut Turcæ) qvi comedunt carnem porci & rei abominabilis murisq; (np. Edomæi, ſeu chriſtiani) pariter conſumentur.* R. Præceptum de vitanda carne ſuis & muris ceremoniale eſt. Ergo non gentibus datum, *Gen. IX.* 4. Conf. *Part. II. Loc. XVIII. obj.* 1. ſed Judæis, *Lev. XI. 5. 6.* Conf. *Part. II. Loc. LXXXIII. obj.* 1. & *LXXXIX. obj.* 3. Gentibus omne reptile in eſcam conceſſum, ut omne olus viride, *Gen. IX.* 3. Nempe ut qvemadmodum herbas ſalutares à noxiis ſecernimus, ita & beſtiis cum diſcrimine veſcamur. Hoc autem humani judicii eſt, non legis divinæ. Fuiſſe olim inter Judæos qvi verba hæc de Iſraële Eſaiæ coævo exponerent, ex refutatione Kimchii patet, qvi contra eos urget 1. qvod Propheta de Gogo & Magogo loqvatur Meſſiæ temporibus exſcindendo. 2. qvod Judæi ſedulo abſtineant ſe à carne ſuilla. At reſp. Increpat Propheta primo ſui temporis hypocritas, deinde omnes eorum in moribus ſimiles poſteros, qvi etſi eſum carnis ſuillæ ſollicite vitabant, tamen animas ſuas pravis concupiſcentiis impurabant. *Matth. XV. 18. 19.* Ideo prohibebantur cibi Judæis, ut eſſent Sancti, ne abominabiles redderent animas ſuas, *Lev. XI. 43. 44. 45.* Ergo non ſoli externi cibi ipſis interdicebantur, ſed ſub his ſymbolis ii, qvibus conſcientiæ ipſorum poterant pollui. Qvinam autem hi? הנפש הנטמאת בוצר הרע נקראת טמאה שמטמא כשרץ *Anima coinqvinata per concupiſcentiam pravam vocatur impura, eo qvod*

eo qvod prava Concupiscentia instar reptilis contaminat. Ephr. in Ir Gibb. *fol. 19. col. 3.* Qvid hoc aliud est qvam qvod Salvator docet *Matth. XV. 19. 20.* Ἐκ καρδίας ἐξέρχονται διαλογισμοὶ πονηροὶ *&c.* Ταῦτά ἐστι, τὰ κοινοῦντα τὸν ἄνθρωπον? Cum ergo Judæi impuriſſimi ſint ſues ſua ipſorum confeſſione, vid. ſupra *n. 7.* recte hoc verſu notantur, non Chriſtiani, qvibus ut hypocriſis & omnis impuritas interna ex præſcripto CHRISTI vitanda eſt, ita & muris aliarumqve beſtiarum, qvæ ſanitati ſuæ parum conducere vi naturalis luminis ſciunt, eſum diligenter vitant.

10. Joël. III. 19. *Ægyptus (Iſmaëlitæ) deſolationi erit: Edumæa (chriſtiani) deſertum: propter violentiam in filios Judæ, in qvorum terra innocentem ſangvinem fuderunt* v. 19. *Juda in ſeculum permanebit.* v. 20. R. Hic pœna indicitur perſecutoribus populi DEI, cum adhuc in terra ſua viveret, additur enim: *in qvorum terra.* Qvæ ergo inſania eſt hæc ad Turcas aut Chriſtianos trahere? An illi unqvam ingreſſi ſunt Cananæam cum adhuc Judæorum eſſet propria? Populo DEI hic ultio promittitur, populo innocenti. An hunc titulum vel moderni Judæi, qvi ſuam impœnitentiam cauſam protractæ ſalutis eſſe ultro fatentur, vel eorum Majores tempore Titi ſibi applicare poſſunt? Narrat Joſephus Gorionides, *pag. m. 233.* Titum cum aliqvando undiqve ab hoſtibus cinctus humana ope elabi non poſſet, ſingulari DEI beneficio fuiſſe ſervatum: *Noluit*, inqvit *eum DEUS interire, ſed per eum voluit punire Iſraëlem.* Ergo Iſraël non fuit innocens. Eundem *p. 243.* viſo multos Judæos fame miſere perire, expanſis ad DEUM manibus dixiſſe, ait, *Innocens ego ſum, Domine DEUS cœli, à ſangvine iſtorum mortuorum, qvia ego non occidi eos, imo pacem ego qvæſivi, &c.* Idem cum Judæi dixiſſent ſe malle mori liberos in domo DEI, qvam Tito ſervire, reſpondit: *civitas ipſa eſt civitas ſancta, & domus eſt domus ſanctuarii DEI; Vos autem polluiſtis eam, interfeciſtis juſtos veſtros ſuper altari veſtro, qvemadmodum feciſtis ante Zachariæ filio Jojadæ, &c.* Idem *pag. 262.* cum mulierem qvandam videret carnem filii ſui comedere, expanſis ad cœlum manibus dixit: *Dominus DEUS cœli ſcit & eſt teſtis,*

qvod non adſcendi contra civitatem iſtam, ut facerem ei malum, ſed ipſi horum omnium cauſa ſunt. Idem *pag. 268.* Simeoni & Johanni exuſto jam templo pacem petentibus reſpondit: *Vos eſtis, qvi occidiſtis populum Domini, qvi combuſiſtis domum ejus & induxiſtis ſuper locum iſtum omnia iſta magna mala, &c.* Invertimus ergo: Qvi innocentem CHRISTI populum, verum Abrahæ ſemen crudeliter inſectati, Ægyptiorum ac Edumæorum inſtar, rebelles DEO & legitimo ſuo Magiſtratui, illi erunt deſertum deſolatiſſimum. Atqvi Judæi &c. E. erunt deſertum deſolatiſſimum. Atqve hoc ipſo eventu in iis eſſe impletum, experienta probat.

11. Obad. v. 18. *Erit domus Jacobi, (i. e. Judæi,) ignis. Domus Eſavi, (i. e. chriſtiani) ſtipula. Illi conſument hos, neq; erit ſuperſtes domui Eſavi.* Conf. *Ez. Cap. XXV. 14.* R. Qvis hic Eſau? Concupiſcentia prava: לעתיד לבא מביא השם את היצר הרע לעין כל ושוחטו שנ' איך נחפשו עשיו נבעו מצפוניו *Futuro tempore DEUS pravam concupiſcentiam in omnium conſpectum productam mactabit, ut dicitur* Obad. v. 6. *Qvomodo perveſtigatur Eſau, perqviruntur abdita ejus?* Ir Gibb. *fol. 11. col. 1.* Hæc jam in Judæos dominatur, qvod ipſorum peccata ſatis indicant. *Eſ. V. 24.* ſcriptum eſt: *ſtipulam comedet ignis.* Hic qværitur, qvare non potius legatur *ignis comedat ſtipulam*, ſiqvidem dum in hac propoſitione ſedes ſubjecti & prædicati permutatæ ſunt, æqve facile legi poteſt: *ſtipula comedet ignem?* Ratio eſt כל זמן שמרפים ישראל ידיהם מן המצות שולט בהם בישראל שהוא אש עשיו שהוא קש *qvia, dum ceſſat Iſraël ſecundum præcepta DEI incedere, dominatur in Iſraëlem, qvi ignis, Eſau, qvi ſtipula* Obad. v. 18. Kimchi in *Eſ. V. 24.* DEUS juſto judicio Judæos tradidit ſuis concupiſcentiis. Qvid ergo Edomum foris qværunt, qvem domi habent?

12. Thren. IV. 22. *Conſumta iniqvitate tua ô filia Zion, non amplius deportaberis.* Conf. Ezech. XXII. 15. *conſumitur autem per diuturnitatem calamitoſi hujus exilii.* R. Spuria hæc eſt ſatisfactio,

satisfactio, neqve conformis justitiæ divinæ, qvæ postulat, ut sit מרה כנגד מרה *proportio inter delictum & pœnam*. Jam vero delictum vestrum est abnegatio veri DEI, infiniti boni, conf. supra *n.* 1. Qvomodo illa finita exilii pœna expiari potest? Non aliam satisfactionem agnoscit scriptura qvam qvæ est Messiæ filii Dei *Es. LIII. 4. sq. Esa. XLIII. 24. 25. Dan. IX. 24.* Hanc dum spernitis, frustra reditum in patriam speratis.

His jam expensis Major in argumento Rabbini neganda est. Nam in allegatis dictis promittitur 1. primario reductio in terram spiritualem, qvæ est Ecclesia Dei, secundario in terram typicam, qvæ Judæis contigit qvamdiu adhuc terra typica erat, cessavit autem post exhibitum Messiam cum qvo modus per typos docendi desiit. 2. primario ex captivitate spirituali, secundario, ex typica, qvalis hodie nulla est. Promittitur 3. Judæis pœnitentibus non præfractis; fide in aliena satisfactione recumbentibus, non per opera salutem qværentibus, qvales moderni Judæi. Cæterum qvia liberatio Judæorum in dies Messiæ cadit, ad probandam Majorem allegat qvædam Messiani temporis κριτήρια, qvæ nondum exhibita esse autumat: sunt hæc 1. Collectio X. tribuum. 2. Gogi clades. 3. Scisio oliveti. 4. Exsiccatio Nili. Hæc jam supra sunt examinata *pag. 20. 21. 22.* Jam addemus cœtera.

18. *Fluent æqvæ vivæ ex sanctuario & irrigabunt torrentem seu vallem Sittim* Joël. III. 18. Zach. XIV. 8. *fluxuræ dicuntur in mare orientale qvod est mare mortuum. Neq; hoc factum hactenus.* R. R. Salomon & Kimchi hæc qvidem secundum literam exponunt: Abenesra autem parabolice, qvanqvam parabolam non explicet. Abarbenel autem optime interpretatur, intelligens per vallem Sittim totum mundum, per mare doctrinam vide ipsum in *Joel. III. 18. Zach. XIV. 8. C. XIII. 1. Ez. XLVII. 6. sq.* Ipsa phrasium ratio innuit symbolicam esse orationem nam 1. dicitur irrigari mare per aqvas. Mare qvia in se irriguum est, irrigari non potest. Ergo intelligendi sunt homines. 2. Sacharias dicit aqvas has divisum iri & partim in orientale partim in occidentale mare fluxuras: Joel dicit tantum in vallem Sittim cursuras: Ezechiel prorsus alium cursum describit,

describit, easdemqve aqvas ait in Galilæam lapsuras, seu mare Genesaret, inde autem descensuras in mare mortuum, ac inde in Oceanum vel mare Mediterraneum, qvæ styli mutatio haut obscurum est parabolici sensus indicium. 3. Abarbenel in *c. XLVII. 6. Ezech.* autoritate Scripturæ, Chaldæi, aliorumq; Rabbinorum probat doctrinam hic intelligi המים האלו הם משל ורמז לתורה ואמונה שלעתיד לבא תצא מירושלם לא לבד לישראל כי אם גם לכל העמים והאומות שיקבלו אותה וכשא ישעיה כי מציון תצא תורה גו *Per aqvas has parabolice intelligitur doctrina & religio, qvæ futuro Messiæ tempre egressura est ex urbe Hierosolyma, non tantum ad Israelem, sed & ad omnes gentes & populos, qvi eam sint amplexuri, qvemadmodum legitur in* Es. II. 2. *Ex Sion prodibit Lex &c. Frequens enim mos est Prophetarum veritatem cœlestem aqvas vocare. Sic* Es. LVII. 1. *Heus qvisqvis sitit veniat ad aqvas &c. ubi qvi appetit doctrinam cœlestem vocatur sitiens &c.* Prolixe porro hæc deducit Abarbenel, qvem vide. Ad has aqvas, ad hanc doctrinam jamdudum invitatæ sunt omnes gentes, *Joh. VII. 37. 38. Act. XVII. 30. 31.* E. jamdudum hoc vaticinium impletum.

18. *Prehendent decem homines ex omnibus linguis alam viri Judæi, &c.* Zach. VIII. 23. *Reliqviæ gentium adscendent annuatim Hierosolymam, ad celebrandum festum tabernaculorum* Zach. XIV. 16. *Venient singulis sabbatis & Neomeniis* Es. LXVI. 23. *Nec hoc factum.* R. Si hoc nondum factum, nunqvam fiet. Vir Judæus, qvem prehendent Gentiles, ex eorum cœtu est qvi servant veritatem & pacem, *v. 19.* penes qvem est DEUS, *v. 23.* Qvid hoc ad modernos Judæos, ob hypocrisin suam atrociter occœcatos? בזמן הגלות נסתמו מקורות החכמה שנ׳ אבדה חכמת מחכמיו *Tempore exilii præclusæ sunt portæ sapientiæ, ut impleatur illud,* Es. XXIX. 14. *Periit sapientia sapientum* Ephr. in Ir Gibb. *f. 126. col. 3.* Notatu dignum est qvod Judæi hanc in se comminationem impleri scribunt, siqvidem aperte calculum adjiciunt Salvatoris verbis, *Matth. XV. 8.* & se Pharisæorum genuinos posteros esse fatentur.

fatentur. Sunt ergo moderni Judæi peſſimi hypocritæ, ſinceri DEI cultus plane expertes *Eſ. XXIX. 13.* habent non divinam, ſed humanam doctrinam, *v. 13. προσ]άγμα]α ἀνθρώπων, Matth. XV. 8.* Hæc peccata ſupponit pœna, ſapientiæ ablatio, vel excœcatio, *v. 9. 10. 11.* graphice à Propheta deſcripta, qvæ tanqvam ſpiritualis pœna eſt longe ponderoſior ipſo exilio קשה סילוקן של חכמי וישראל כפלים כחרבן בית המקדש וכו׳ קללות שבמשנה תורה שכולן אינן אלא הפלאה אחת והפלה ה את מכותיך וכאן שתי הפלאות *Duplo gravior pœna eſt ſapientum ex Iſraële ejectio, qvam ſanctuarii vaſtatio; imo multo ponderoſior eſt omnibus maledictionibus, qvæ* Deut. XXVIII. *Iſraëli denunciantur. Ibi enim ſemel tantum dicitur: Mirabiles faciet DEUS plagas tuas,* v. 59. *At hic bis dicitur: Mira, mira faciam, v. 14.* qvod Veterum dictum allegant Raſchi & Abarb. in *h. l. Eſaiæ.* Cum ergo Judæi hodie in cœtu ſuo nullos habeant Sapientes, vero careant DEI cultu, humanam venditent doctrinam, ac proinde nihil cum veritate aut DEO habeant commercii, nec exteras gentes veritatem docere poſſint, alium oportet hic cœtum innui, ex qvo hi progrediantur Doctores. Aut ergo cœtus ille eſt Eccleſia Apoſtolica, aut cœtus gentium idololatricarum. Præter Judæos enim alii tunc non dabantur. Cum ergo Judæi veritate careant apud alterutrum veritatem ſuperſtitem eſſe neceſſe erat, alias verbum DEI non maneret in æternum, *Eſ. XL. 8.* Jam vero repugnat veritatem eſſe penes Idololatras. Ergo oportet eſſe penes Eccleſiam Apoſtolicam. Hæc ergo docuit gentes verum DEI cultum, qvomodo feſtum tabernaculorum, Sabbatum & Neomenias celebrare vere deberent. Non enim hic externam & umbratilem, ſed internam ac ſpiritualem celebrationem innui, textus circumſtantiæ abunde oſtendunt, cum niſi illa intelligatur, fieri haut poſſet, ut omnes gentes, qvæ *Eſ. LXVI. 19.* Phul, Lud, Scythæ, Tubhal, Javan è remotis ſuis regionibus ac inſulis qvovis anno, menſe, hebdomade Hieroſolymam venirent feſtorum agitandorum gratia.

9. *Idolorum exſtirpatio.* 10. *Religionis unitas.* 11. *Regni unitas, qvod Iſraëliticum.* 12. *Pax & tranqvillitas in univerſo*

orbe. 13. *Pax inter feras beſtias.* 14. *Sanctitas gentium, Iſraëlis imprimis.* 15. *Calamitatum remotio.* 16. *Schechinæ reſtitutio.*

R. Hæc ſuperius expenſa, *pag.* 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

17. *Ecce mittam vobis Eliam, antequam veniat dies magnus & tremendus. Hic nondum miſſus.*

R. Miſſus eſt. Mitti debuit ſtante adhuc templo, *Mal. III. 1.* Kimchi hic per Angelum Fœderis, cujus adventus in templum promittitur, intelligit ELIAM. At templum jamdudum eſt exuſtum ſine omni reſtitutionis ſpe, *Eſ. XXV. 2.* Mitti debuit ante finale politiæ excidium, *Cap. IV. 4.* Chaldæus דלמא אתגלי ואשכח כל ארעא בחובהא ואמחנא גמירא *ne cum venero inveniam totam terram in peccatis, eamque radicitus evertam.* At jamdudum everſa eſt. Alium ergo nobis Eliam producite, ſi Johannem Baptiſtam pro Elia non vultis agnoſcere. Conf. *Matth. Cap. III. 1. 7. 8. 10. 12.* Plura de Elia vide *Part. II. Loc. XV. obj. 5. Loc. LXI.*

18. *Templi ſtructura juxta formam ab Ezechiele* Cap. XL. 45. *deſcriptam.* 19. *Diviſio Palæſtinæ in XII. tribus Iſraëlis*, Ezech. XLVII. *Neutra adhuc eſt.*

R. Qvia Judæorum politiæ, urbi ac templo כלה *finale excidium*, qvod ipſis à Prophetis denunciatum, *Zeph. I. 17. Eſ. X. 23. Dan. IX. 27.* jamdudum accidit, manifeſtum eſt, qvæ de inſtauratione politiæ, urbis, templi prædicta ſunt, ſpiritualiter eſſe interpretanda. Qvod enim finaliter exciſum, ejus reſtituendi nulla ſpes ſupereſt, alias enim non eſſet finaliter exciſum. Sunt & aliæ circumſtantiæ, qvæ hic ſpiritualem ſtructuram urbis, Iſraëlisqve reductionem inſinuant, qvas præclare è textu erutas, vide in præfatione B. Lutheri in Ezechielem.

20. *Mortui nondum reſuſcitati, qvod prædictum fore*, Deut. XXXII. 39. Eſ. XXVI. 19. Dan. XII. 2.

R. Triplex eſt reſuſcitatio, ſpiritualis, exemplaris & corporalis. Primum locum qvidam de ſpirituali, qvidam de corporali reſurrectione intelligunt. Secundus de exemplari explicandus. Tertius de corporali. Deinde adventus Meſſiæ duplex eſt, in carnem alter, alter ad judicium. Ad priorem pertinent duo priores reſurgendi modi, *Joh. V. 25. Apoc. XX. 4.* Ad poſteriorem corporalis reſurrectio

rectio pertinet. Oportet enim Messiam regnare in medio inimicorum suorum, donec ponantur omnes sui hostes, qvorum mors ultima est, scabellum pedum suorum, *Ps. CX. 2.* Mala ergo illatio est: Mortui nondum sunt corporaliter resuscitati. E. Messias nondum est exhibitus.

21. *Nondum evenit qvod de abolitione regnorum prædixit Daniel, imprimis de eversione regni Ismëlitici & Romani, qvorum illud per argillam, hoc per ferrum indicatur. Sancto populo, i. e. Judæis dandum adhuc universale imperium est*, Dan. II. 44. 45. Cap. VII. 18. 27.

R. Regna politica spectantur vel ratione legitimi usus, vel ratione bestialis abusus. Item vel respectu hujus, vel respectu futuri seculi. Respectu futuri seculi tam usus, qvam abusus regnorum cessabit, ipsa nimirum regna abolebuntur, tanqvam nullius amplius usus, *1. Cor. XV. 24.* Respectu hujus autem, abusus potestatis politicæ tolli cœpit per prædicationem doctrinæ Evangelicæ, *Esa. Cap. LIV. 16. 17.* verum regnorum finem manifestantis, *Esa. LX. 16. 12. 14. 16.* idqve Apostolicæ Ecclesiæ ministerio, *1. Petr. II. 9.* Hæc enim sancti illi, qvibus hic regnum promittitur, non impœnitentes ac idololatrici Judæi, ad qvos satis fastuose hic Rabbi trahit, *Ex. XIX. 6. Cap. XX. II. 31. Deut. VII. 6. Cap. XIV. 21. Es. LXII. 12. Cap. LXIII. 18. Jer. II. 2. Dan. VII. 18. 27.* Qvid enim ad illos hæc de sanctitate dicta pertinent, qvi eo qvod nihil sanctitatis habent, exulant? Ir Gibb. *fol. 110. col. 1.* לא גלו ישראל רק בעון שעובת שוא *Non exulat Israël nisi ob perjurium.* Qvod perjurium? qvod Legem non servant, qvam se servaturos temere in se recipiunt, האדם בעודו במעי אמו משביעין ואומרים לו חיו צדיק ואל תהא רשע ואפילו כל העולם אומרים עליך צדיק היו בעיניך רשע והוי יודע שהשם טהור ומשרתיו טהורים כו' *cum adhuc homo in utero materno est juramento ad sanctitatem adstringitur hoc modo: Esto justus, & ne sis impius, & qvamvis totus mundus clamet te esse justum. Tu tamen tibi videtor impius. Et scito DEUM esse puram, qvi propterea & pura mente vult coli.* Jalkut hatthora in *Esa. LV. 23.* Hic Judæi

ad vitandam hypocrisin adjurantur, *Part. II. Loc. XXXIIX.* ostensum, hypocrisin Judæis hæreditate esse traditam. Sunt ergo omnes natura perjuri. Qvamdiu ergo ab hoc legis jugo per satisfactionem alienam non liberantur, vana sanctitatis umbra superbiunt.

Usus ex versu 8.

JUDÆI IN EXILIO CUM VICTIMIS OCCISIS COMPARANTUR. ERGO NULLA IPSIS SPES EST RESTITUTIONIS POLITICÆ. Ut enim ægrotis spes vitæ supereſt, ita ea deest plane mortuis. Hinc politia Judaica cadaver dicitur, *Matth. XXIV. 28.* Eadem est conclusio Christiani, qvi *cap. VII.* cum Rabbino nostro disputat. Firmat autem eam hoc ratiocinio: *Ægyptiaco & Babylonico exilio certus fuit terminus positus & indicatus, tanqvam certum futuræ restitutionis indicium. Huic Romano nullus est positus nec indicatus. E. nulla ex eo liberatio speranda.* Hic Rabbi prætermissa Majore, postqvam de causa positi & indicati Ægyptiacæ ac Babylonicæ captivitatis termini prolixe differuisset, ad Minorem se convertit multaqve confuse miscet, qvæ majoris evidentiæ gratia hoc ordine referimus. Ait

1. *Positus est terminus huic exilio, at obscuris verbis indicatus, ut patet ex collatione*, Dan. XII. 7. 8. 9. Cap. VII. 25. *Item* Deut. XXXII. 34. Dan. XII. 7. Deut. XXXII. 36. Deut. XXX. 1. seq. Actor. I. 6.

R. Duplex ex mente Judæorum est tempus Messianæ liberationis, 1. absolutum, qvod non dependet à Judæorum pœnitentia ac meritis, 2. coditionatum, qvod à pœnitentia dependet. De illo videtur hic loqvi Rabbi. Confer *Part. II. Loc. LIX. obj. 3.* Loca è Daniele allegata non spectant ad Judæos modernos, sed ad sanctum DEI populum, *Dan. XII. 7. Cap. VII. 25.* loqvunturqve de liberatione Sanctorum cum tempore Antiochi, tum tempore Anti-Christi Romani, *Apoc. XII. 14.* Sic locus *Deut. XXX. 1. seq. Deut. XXXII. 36.* non nisi pro pœnitentibus scriptus. Qvia autem nulla est pœnitentia Judaica, uti infra *n. 4.* ostenditur, neuter huc pertinet. Neqve enim, ut censet Rabbi, conditionatus terminus poni potuit. Vide *n. 4.* Act. I. 2. non qværunt Apostoli de politica Israëlis restitutione,

tutione, sed de spirituali eaq; consummata, qvod plenius ostensum, *Part. II. Loc. LIX. Obj. 1.*

2. *Causæ occultationis sunt tres, Prima est, qvia hæc captivitas Judæis irrogata est ad expiandum peccata scelera ac malefacta, qvæ Israël inde ab ingressu Canaanæ usqve ad captivitatis hujus tempora commisit, &c. Neque enim illa in captivitate Babylonica ob temporis angustiam expiari poterant, &c. Imo in Babylonia adaucta adhuc sunt peccata.*

R. Fastum hominis spectate! Qvid non sibi suæq; genti virium adscribit sordidissimus Apella? Qvantam non credas inesse populo huic sanctitatem & innocentiam, cum tantum peccatorum possit expiare ferendo tam levi malo, si malum omnino dicendum est! O qvam longe adhuc abes à vera pœnitentia Rabbi! Sed adi sodes, *Cap. LXIV. Esaiæ*, qvod tui de hac diuturna captivitate exponunt, ibi melius depictam reperies tuæ gentis sanctitatem. מאחר שנסתלקו הצדיקים ממנו אנחנו נשארנו בגלות כמו חדבר הטמא כמו בגד ערום שהוא נמאס כן כל צדקותינו אפילו הצדקות שאנו עושים אונם רצוות אלא נמאסות כי אין אנחנו עושים אותם אלא להתפאר בהם ולהתגדל ולקנאת איש מרעהו אין קורא בשמך כמו שהיו חסידים הראשונים עושים ואין מתעורר כמו מתגבר עלי ויצרו לחחזוק כך במצותיך ובדרכיך *Postqvam ex nobis sublati sunt justi, nos in exilio relicti sumus tanqvam res impura, tanqvam vestis conspurcata, qvæ abjicitur. Ita omnes sunt justitiæ nostræ, i. e. etiam opera nostra bona, qvæ nos præstamus, non placent tibi, sed sunt tibi fastidio, qvia ea non præstamus alio fine qvam ut illis superbiamus, nosqve magnifici efferamus, cum contemtu ac invidia proximi. Non est qvi nomen tuum invocet, uti olim sancti fecerunt, neqve qvi se excitet nempe ad mortificandam concupiscentiam suam pravam, ad adhærendum tibi, ad incedendum secundum præcepta ac vias tuas.* Kimchi & R. Salom. in *h. l.* Qvæ ergo est sanctitas Judæorum? impuritas, hypocrisis, superbia, invidia, pravæ concupiscentiæ effrenè obseqvium, præceptorum DEI neglectus. In tali sanctitate an locum satisfactioni propriæ esse credas?

3. *Secunda est, ne notitia termini tam longe remoti occasionem suppeditet infirmis jugum Legis & præceptorum à se excutiendi, quod in multis accidit.*

R. Pergin' Rabbi crepare nobis sanctitatem populi tui? Si jugum Legis ferre potestis, longe sanctiores estis Patriarchis, qvibus illud fuit ἀβάσακτον, *Act. XV. 10.* Qvam ob causam ergo exulatis? Ob peccata Majorum. Imo ipsorum Patriarcharum opinor. O hominem præposterum! Qvid paulo ante ajebas? *Ex qvo expiata erunt peccata nostra & sublata iniqvitas per afflictiones durissimæ captivitatis nostræ, non peccabimus amplius atqve ita implebitur in nobis illud, Deut. XXX. 6.* Hic peccatis; ibi jugum Legis non excutitis: Qvomodo hæc cohærent? Sed invertenda sunt qvæ dixti. Si unqvam DEUS indicasset terminum hujus captivitatis fore, nemo tam facile è Judæis ad Christianos transiret. Jam vero qvia Prophetæ certo prædixerunt finale exidium imminere politiæ Judaicæ, inde fit, ut nonnulli, deprehensa vanitate doctrinæ Rabbinicæ, sacra Christiana amplectantur.

4. *Tertia est, qvia in nostro arbitrio situm est diuturnitatem hujus exilii vel amputare per pœnitentiam, vel protrahere per impœnitentiam. Ideoqve certus terminus ipsi præfigi haut potuit.*

R. 1. Loqveris de termino conditionato. Si hic præfigi non potuit, aut DEUS non est omniscius, aut vos nunqvam acturi estis pœnitentiam. Illud dici non potest. Proinde hoc verum erit. Si enim pœnitentia vestra futura esset, DEUS, qvi omnia futura ab æterno præscit, *Ps. CXXXIX. 2.* eam prævideret; Si prævideret; terminum liberationis vestræ juxta prævisam pœnitentiam statuere posset. Si nunqvam acturi estis pœnitentiam, qvid vobis partis est in solatiis Prophetarum? 2. Negotium agendæ pœnitentiæ à vestris viribus suspenditis: Annon ergo pervicaciſſimi peccatores estis, qvod, cum possitis pœnitentiam agere, tamen non vultis? Qvid de afflictionibus aut exilii diuturnitate porro qverimini? Age, Rabbi, sepone parumper præjudicium de viribus tuis, & rem æqva lance mecum expende. Si pœnitentia opus habetis, palam est vos peccato teneri. Si in peccatis versamini, DEUM non habetis propitium.

tium. Nam peccata separant vos & DEUM, *Es LIX. 2.* Juste fertis exilium, ac proinde non tanqvam paternam castigationem, sed tanqvam proprie dictam pœnam. Maledictus enim, qvi non servat omnia DEI præcepta. *Deut. XXVII. 26.* Nec preces vestræ exaudiuntur: qvia DEUS peccatorum preces non exaudit, *Esa. I. 15. Job. IX. 31.* Cum ergo reatu æternæ ma edictionis constricti teneamini, qvo pacto ex tali miseria vultis emergere? Pœnitentia, ais, opus est. Bene. Sed plura ad pœnitentiam reqviruntur, ac tu existimas. Ex tua mente pœnitentia includit חרטה *contritionem* וודוי *confessionem* עזיבת מעשה *operis mali intermissionem*. Jalk. chad. *pag. 175. fol. 4.* Supponunt hæc sufficientem peccatorum contra Legem commissorum agnitionem. Gravissimum peccatum est concupiscentia prava לא דברה תורה אלא כנגד יצר הרע *hanc enim primario damnat Lex*, Bech. *fol. 129. col. 4.* Hæc uti vobis innata est, ita qvoqve in vos semper dominatur. אמר רבי אסי יצר הרע שלם אדם מתגבר בכל יום *Dixit Rabbi Asse: concupiscentia hominis omni die prævalet.* Ir Gibb. *fol. 3. col. 3.* Hujus vos natura servos esse agnoscendum ᾧ γὰρ τις ἥττηται ἀυτῷ τοῦτο δεδούλωται, *2. Petr. II. 19.* Si enim אלמלא הקבה עוזרו אינו יכול לו *ne sanctus qvidem sine DEI ope ei prævalere potest*, qvod docent ex *Ps. XXXVII. 32 33.* qvanto minus peccator impœnitens? Unde porro patet, omnia vestra externa opera fœdissima hypocrisi esse infecta: confer qvæ *n. 2.* ad *Es. LXIV.* ex Raschio & Kimchio adduximus: Nullum in vobis esse posse seriæ pœnitentiæ propositum. Dum enim prava concupiscentia in vos dominatur, neq; eam recte agnoscere potestis, qvia כל השתדלותו לשקר האמת ולאמת השקר *in eo solum occupata est, ut veritatem opprimat, mendacium vero stabiliat*, Bech. in Leg. *fol. 16. col. 2.* Neqve serio de ea dolere, aut eam confiteri, qvia non agnovistis; neq; opera ejus intermittere, qvia magnam eorum partem pro peccatis non habetis. Neqve vero si ponam vos plenam notitiam de gravitate hujus peccati habere, tamen opera ejus intermittere possetis, qvia concupiscentiæ prævalenti resisti non potest absqve auxilio divino. Cum ergo propter opera pravæ concupiscen

cupiscentiæ DEUM offenderitis, qvomodo ejus gratiam vobis polliceri potestis ? qvomodo dum non resistitis pravæ concupiscentiæ, eam potestis consiteri, aut de ea serio dolere ? Vides qvam vana ac mutila sit vestra pœnitentia. Imo si ponam vos perfecte omnia pravæ concupiscentiæ opera intermittere, ipsam deniqve concupiscentiam è vobis eliminare, qvod fieri nullo modo potest, tamen non possetis vobis propterea polliceri remissionem peccatorum, qvia propter priora illa scelera, à qvibus per pœnitentiam abstineretis, adhuc super vos maneret ira DEI, juxta *Deut. XXVII. 26.* Apparet ergo qvam necessario ad pœnitentiam reqviratur fides alienæ satisfactioni innitens. Qvæ dum à vestra pœnitentia abest, qvid vobis præsidii est in re tam inutili ?

Usus ex vers. 9.

Uti Regi, ita & cuiqve Tribui certus possessionum limes positus, certa terræ portio data, qvam transilire nefas. QVIA ergo TRIBUS JAM SUNT CONFUSÆ, FIERI NON POTEST, UT SUAS QVÆQVE HÆREDITATES MORE ANTIQVO ADEAT. Ita *cap. VIII.* Christianus objicit Rabbino nostro.

Respondet Rabbi : *Decem tribus non esse confusas : teste Benjamine Tudelensi : similiter & tribum Levi adhuc esse integram, solas duas tribus Jehuda & Benjamin esse commixtas. Sic & Davidis stemma adhuc esse incolume. Eliam redituram, ac cujusq; genus recensiturum.*

R. Uti tu hæc dicis, Rabbi, ita nos negamus. An nos tibi sine rationum pondere credere postulas ? Benjamin tuus testis domesticus est, cui nulla fides adhibenda, in causa propria. Si X. tribus in uno regionis tractu sunt collocatæ, in qva unaqvæqve tribus seorsim hospitetur, (ceu tu asseris), qvare res tam memorabilis à nullo Geographorum Christianorum eorumq; magnam partem αὐτόπτων fuit observata ac literis consignata. De Elia, qvam Scripturam nobis affers ? de Tribu Levi, de stemmate Davidico, qvam probatam Genealogiam, exustis in incendio templi Solymæi omnibus Genealogiarum tabulis ?

Periocha

Periocha IV. 10. 11.

Hactenus statui Ecclesiastico & Politico judicium denunciaverat Propheta. Nunc totum populum complectitur, eiqve qvasi in unam urbem Hierosolymam conjecto pœnam indicit. *I.* Speciatim partes urbis enumerando. ERITQ; DIE ILLA, DICIT DOMINUS, VOX CLAMORIS E PORTA PISCIUM, ET EJULATUS E SECUNDA, ET FRAGORIS MAGNI E COLLIBUS. *II.* Generatim; totam urbem Mortarium appellando; EJULATE INCOLÆ MORTARII, SIQVIDEM EXCISUS EST OMNIS POPULUS CANAAN, EXCISI OMNES, QVI NITUNTUR ARGENTO.

Resp. Ludovicus Jacobus Dithmarus, Regiomonte Prussus.

Sensus Abarb.

10. *Et erit in die illo, dicit Dominus, vox clamoris è primo Hierosolymæ oppido, & ejulatus è secundo, & fragoris magni è tertio, in qvo est mons & templum Domini.* 11. *Ejulate monetarii, qvi in officinis argentum cuditis. Similis enim est (populus) populo Cananæo: Excisi sunt omnes argentarii.*

NOTÆ.

Notat Abarbenel שהיו בירושלים שלוש חומות הראשונה היו דרים כל בעלי אומניות ושבדיו אדמה ובשנייה היו דרים הנכבדים והחכמים והנביאים וכל אנשי מעשה ועליו נאמר בחולדה והיא יושבת במשנה כי בחומה שנית היה ביתה והחומה השלישית היה הר הבית *fuisse in urbe Solyma tres muros. In primo habitasse omnes artifices & agricolas. In secundo habitasse viros honoratos, sapientes, Prophetas & omnes eos, qvi præclaris facinoribus sese nobilitarunt. Atqve hunc intelligi cum de Hulda scribitur* 2. Reg. XXII. 14. *qvod habitaverit in Mischneh. Habebat enim in secundo*

muro ſuum domicilium. *Tertius murus complectitur templum*. Qvod tres partes hæ urbis fuerint & Eucherii Lugdunenſis ſententia eſt, qvam allegat ac probat Druſius. (Etſi hunc in libros Regum Commentarium Eucherio tribui poſſe Robertus Cocus negat, cum Lectorem invitet ad Moralia S. Gregorii perlegenda: S. Gregorius autem plus centum annis fuerit Eucherio poſterior.) Probat eandem Junius & Tarnovius, qvi tribus oppidis diſtinctam fuiſſe Hieroſolymam affirmant. Junii verba ſunt: *Porta piſcium ad civitatem Davidis pertinebat.* 2 Paral. XXXIII. 14. *Secunda pars denotat alterum oppidum Hieroſolymorum hic, & 2. Reg. XXII. 14. Colles vero extremitati oppidi tertii impendebant portam ſterqvilinorum verſus ubi erat olivetum.* Svadet hanc expoſitionem qvoqꝫ Prophetæ ſcopus. Toti Hieroſolymæ minatur, *v. 12.* toti populo, *v. 11.* ergo in hoc verſu omnes partes urbis enarrantur. Qvod autem Rabbi cuiqve urbis parti etiam certos habitatores aſſignat, id qva ratione fiat non video. Certe dum ita pergit בחומה ראשונה היה שם חמון העם ובעלי אומניות והצייורים אשר המשול למעלה ברגי הים *in primo muro habitabat promiſcuum vulgus, artifices, venatores, qvos ſuperius cum piſcibus maris comparaverat*, ſui iterum obliviſcitur, nam ſupra dixerat Rabbi per אדם intelligi *artifices* per רגי הים vero המתעסקים בניאוף ובחמס eos *qvi voluptatibus & violentiis indulgent.* Hic autem per piſces *artifices* deſignari ait.

2. Nunc in genere qvoqve Hieroſolymam appellat מכתש *Mortarium.* Abeneſra de parte aut platea qvadam Hieroſolymæ accipit. At cum jam priori verſu enumeraſſet Propheta urbis partes, hic totam urbem nominari convenientius dicitur. Abarbenel utrumqve aſſerit, *dici*, inqvit, מכתש על ירושלם כלו או על מקום עמוק ששם היו הרחוקים המכים תמיד במכתש *Mortarium vel de tota Jeruſalem, vel de parte qvadam ejus depreſſiori, in qva ſeorſim habitarunt ii, qvi perpetuo tundendo ſtrepitum edebant.* Prior, inqvam, ſententia contextui conformior eſt. Nam toti populo hic interitus indicitur, Ergo & tota urbs innuetur. Populus vocatur כל עם כנען *totus populus Canaan.*

Canaan. Hoc metaphorice non de mercatoribus tantum dici, sed de omnibus Judæis certum est. Cenaan 1. proprium nomen est Chami filium denotans ipsiusqve conditionem, qvi fratribus suis servus datus optime depingens, siqvidem ex כנע est, qvod notat *humiliavit*. 2. Gentilitium, totam Chanaanis posteritatem denotans. Hæc qvia in littore maris mediterranei sedes posuerat, præcipue mercatura excelluit. Unde 3. factum, ut & Mercator hoc nomine appellaretur. Qvemadmodum enim Germanicum Schütze / à gentilitio *scythes* est, qvæ natio præcipue jaculandi arte excelluit, unde schiessen & alia germanica vocabula originem trahunt, sic etiam כְּנַעַן vel qvod malim כְּנָעָן *Esa. XXIII. 8. mercatorem* notat & כְּנָעָה *Jer. X. 17. mercem*. Nam כְּנַעַן cum Israëlitis tribuitur ubicqve eum notare potest, qvi Cananæorum mores pravos sequitur, etiam *Hos. XII. 7.* Porro cum Cananæi pessimis moribus morati fuerint, & idololatria, & injuria, & incestibus insignes, sæpe qvocqve Israëlitæ nomen eorum gerunt, cum ipsos vel in idololatria, *Ps. CVI. 38.* vel in defraudando proximo, *Hos. XII. 7.* vel in impuritate, *Lev. XVIII. 3.* sequuntur. Jam qværitur, qvo in sensu hic veniat כנען ? Non certe primum sensum obtinet, nec secundum. Nec tertium, cum qvod incommoda versio est *populus mercatoris*, tum qvod mercaturam exercere per se res indifferens est. Proinde etsi excusari posset, versio Vatabli & Tigur. qvi reddiderunt *populus mercatorum* eo forte sensu, qvo Florus dicit: *Populus virorum, l. 1. c. 5.* qvod ex Mercatoribus constet, vel potius, qvod mercaturam facit, uti expressit Tremellius, Amstel. alles Kauffhandels-Volck / tamen hic inconveniens esse videtur, qvia huic populo extremum excidium denunciatur, qvod Mercatores, qva tales non merentur. Ergo qvartum sensum hic genuinum esse agnoscimus, qvo populus Judaicus mores sequitur Cananæorum, & qvidem h. l. præcipue in inferenda proximo injuria. Sic *Ezech. XVI. 3.* de Judæis dicitur: *Natales tui de terra Cananæi, Pater Amorrhæus, & Mater tua Hittæa.* Locutio etiam profanis scriptoribus freqvens. Sic de Æneа Dido apud Virgilium *Lib. 4. v. 365.*

Nec tibi Diva Parens, generis nec Dardanus autor,
Perfide, sed duris genuit de cautibus horrens
Caucasus, Hircanæque admorunt ubera tigres.

Qvod si vero nomen כְּנַעַן non à vitæ genere, sed à moribus describit populum Judaicum, omnis status ac conditionis Judæi per totum populum diffusi hic intelligentur, modo Cananæorum mores referant. Chald. כרם עמא דרמן עיבריהון לעיבדי עמא דארע דכנען *omnis populus cujus opera similia sunt operibus Cananæorum.* Horum ergo respectu Hierosolyma optime מכתש *mortarium* h. l. dicitur, qvod in ea, tanqvam in mortario sint qvasi contundendi.

3. Iidem dicuntur נטולי כסף. Qvidam reddunt active *portantes, tollentes argentum*, Geldträger. Ita Drus. Trem. Amstel. Qvidam passive, ut noster טועני כסף *onusti argento.* Ita Vatabl. Tigur. Intelligunt *divites opum*, uti etiam expressit Chaldæus Benmel. Passivam formam esse apertum est, unde activa significatio primo hic non habet locum; includi qvidem potest. Si enim hunc significatum primo intendit Propheta, qvare non dixit נוטלי כסף in forma activa? נטל *portavit*, נטולים *portatos* notat. Designantur ergo illi, qvi portantur ac sustentantur argento. Græca versio optime transfert, ἐπηρμένοι, *sublati*, qvi fiduciam omnem suam in argento collocant האמרים לכתם מבטחי *dicentes auro, tu perfugium meum, Hiob. XXXI. 24.* Qvi ita nituntur argento ac Angelus Creator sese Israëlitas niti volebat in deserto, *Es. LXIII. 9.* Hunc sensum præterea intendi patet ex scopo, qvi comminatorius est. Portare autem argentum per se non meretur excidium. Et vero reliqvæ significationes tam activæ, qvam passivæ huic conceptui subjungi possunt. Qvi enim præsidium ponunt in opibus, illi divites sunt, onerati argento, ultro citroqve portant argentum. Vulgatum, qvi reddidit, *involuti argento*, hic culpant tam Pontificii, qvam nostrates, vide Jo. Smidium in *h. l.* sed haut scio, an qvam proxime intentioni Prophetæ accedat. Nam qvi implicantur involvunturqve argento, illi eo nituntur, eo detinentur, à DEO abstracti. Conf. *2. Tim. II. 4.* Aliam deinde affert Abarbenel

benel expositionem ואפשר לומר כי הולולו וישבי המכתש
אמר ע"ל פועלי המטבע שהם תמיד מכתשים במכתש
ועליהם אמר גם נכרתו נטולי כסף והם הצורפים עושי
המטבע שהיו לוקחים הכסף לעשות ממנו המטבע וגם
הכלים הנאים כי הנה לא היה בישראל לא מטבע של
זהב ולא מטבע של"ו נחושת כ"א של"ו כסף בלבד
ולכן אמר כאן נכרתו כ"ל נטולי כסף ולא אמר זהב
Dici quoq; potest: (Ejulate habitantes in Macteſch) dici de monetariis, qui perpetuo malleant in officina ſua. De iisdem quoque dici: Exciſi ſunt omnes nethilei ceſeph, per quos intelligunt argentifuſores, monetam cudentes, qui ex argento faciunt nummos, item vaſa ſpeciosa. Et vero non fuit in Iſraële moneta aurea, aut ahenea, ſed tantummodo argentea. Proinde quoque dicit hic: exciſi ſunt omnes portati argento, non autem dicit, auro. Evertit hoc ſcopus textus qvi monetariis nihil mali comminatur, ſed iis, qvi auro & argento abutuntur. Cudendis autem numiſmatis nullus in argentum abuſus invehitur. Qvo ore autem aſſerere poteſt, Judæos non habuiſſe aureas monetas in uſu, ſed ſolum argenteas? *v. 8.* tam auri, qvam argenti mentio fit: Ergo utriusqve apud Judæos fuit uſus. Qvod autem æqve ex argento atqve ex auro fuerint cuſa numiſmata probat Hotting. de cippis Hebr. *pag. 130. 131.*

4. Supplicium qvod hic impiis indicitur, duobus verbis exhibetur. נכרתו & נרמה Utrumq; *exſcindere* notat. Reſpectus judicis ac peccatorum facile arguit non corporalem tantum & politicam, ſed & ſpiritualem ac æternam mortem innui. Tum, unde fiet exciſio? E terra Iſraël, *v. 2. 3.* ex urbe Ieruſalem, *v. 4.* Atqve hæc metonymice populum DEI notat, *c. III. 11. 12. 13.* Hac ergo phraſi tam æterna, qvam temporalis mors denunciatur, ita tamen, ut æterna qvidem per pœnitentiam aufferatur, temporalis autem non ſemper aufferatur, ſed ex pœna in caſtigationem commutetur. De phraſi hac prolixe agit Sebaſt. Smid. *in Tract. de circumciſ. p. 196. ad 199.* Sed qvid Abarbenel de phraſi hac ſentiat, videbimus.

מאשר אמר כל עם כנען נראה שלא אמרו על הסוחרים
שנכרתו כי למה קראם עם ולכן נראה לי שנרמז
הוא מענין דמון ויאמר הכתוב כי עם יהודה בחרבנו
וגלותו מארצו נרמה ונתדמה עם כנען שיסחו מן הארץ
בבא ישראל עליה כן הוו בני יהודה בצאתם ממנה
ויחסר כף בכתוב כאלו אמר כי נרמה ככל עם כנען

Propterea qvod dicit Propheta (omnis populus Canaan) mihi hæc non videntur in Mercatores dici. Nam qvæ ratio, qvod Mercatores vocet populum? Ita ergo puto, Nidmah qvod hic exſtat, hic habere ſenſum ſimilitudinis, nempe qvod populus Judaicus in ſuo excidio atqve ejectione de terra ſimilis ſit futurus populo Cananæo, qvi exciſus eſt de terra, poſtqvam Iſraëlitæ eam occuparunt. In hoc tertio ergo hic comparatio inſtituitur inter Judæos & Cananæos. Atqve ita deficiet caph, q. d. ci nidmah cecol am cenaan. R. Etſi *nidmah* qvoqve in ſenſu comparandi inveniatur, ut *Ez. XXXII. 2.* tamen multo freqventior ejus uſus eſt in ſignificando excidio. Facile autem utraqve ſignificatio ex textus circumſtantiis agnoſci poteſt maxime per adjecta verba ſynonyma. Imprimis cum excidium notat per verba æqvipollentia determinari ſolet, ut *Eſ. XV. 1. Jer. XLVII. 5. 4. Obadj. v. 5. 8. 9. 10.* Cum itaqve & hic per נכרתו determinetur qvis hic de ſimilitudinis ſenſu cogitare poſſet? Ipſa abſentia particulæ ſimilitudinis, qvam hic perperam infercit Rabbi, comparandi conceptum ex hoc loco eliminat. Pone autem Cananæos unum eſſe comparandi extremum, qvodnam erit alterum? Propheta ait ex mente Abarb. *Ejulate incolæ mortarii, qvia ſimilis eſt ſicut omnis populus Canaan.* Qvisnam autem; & ad qvodnam ſubjectum referendum illud *ſimilis eſt?* An ad incolas mortarii? At hoc fieri non poteſt niſi ſupponatur duplex enallage tam numeri, qvam perſonæ. Hanc autem citra neceſſitatem ullam fingere mali interpretis eſt.

Uſus ex verſu 10.

Ut Judæum καθ' ὁδὸν ſeqvamur, ſumimus ex hoc verſu argumentum pro perſonarum in Deitate pluralitate. Scilicet vocem ſingularis

gularis numeri יהוה Judæi in plurali numero efferunt אדוני non obscuro creditæ olim Trinitatis indicio. Ut enim אדוני qvoad literas pluralem præfert numerum, ita qvoad vocales singularem. Habet enim ipsissimas nominis יהוה vocales. Sic & plurale אלהים de personarum pluralitate testatur, ut qvod memorabili anagrammate, à Cabbalistis invento, facit אלי הם *Deus meus illi* Bech. in Leg. *fol. 4. col. 2.* Recte ergo à nostratibus ad Trinitatis Sacrosanctæ dogma stabiliendum ac illustrandum adhibetur *Gen. I. 1.* IN PRINCIPIO CREAVIT ELOHIM. Locum hunc Rabbi *cap. IX.* contra Pontificios ac Lutheranos vult vindicare, atqve ita objicit:

1. *Si nomen Elohim Trinitatem notat, etiam Angelus & Judex trinus erit, qvia utriqve nomen Elohim competit,* Jud. XIII. 22. Exod. XXII. 9.

R. 1. Duo in nomine Elohim spectanda sunt, significatio & usus. Significatio plurativa est: Habet enim singularem Eloah. Plures ergo personas, si in se spectatur, notat. Ratione usus sæpe uni qvoq; personæ datur, qvod evincunt omnia ista loca, in qvibus Elohim de Elohim loqvitur, *Ps. XLV. 7. 8.* 2. Cum Angelis nomen Elohim datur, pluribus illud semper datum reperias, non uni. Sic *Ps. XCVI. 7. Hebr. I. 6.* Aut si uni datur, est ille increatus Angelus. Nam illi nomen Elohim καθ' ἐξοχήν competere ajunt Rabbini, docentes מלאך אלהים non esse constructum, sed absolutum, *Angelus DEUS.* Ex loco autem qvem adducit Rabbi ex *Jud. XIII. 22.* evinci non potest, Angelum creatum Elohim vocari, siqvidem ibi de vero DEO sermo est, Angelo Creatore. 3. Non est absonum Magistratum DEI vicarium nomine suo Elohim tres Deitatis personas à qvibus dependet, innuere, ipsarumq; agnoscere suprematum. Confer sedes formas judiciorum Judaicorum, in qvibus tres peculiarem honorem habebant, qvorum primus נשיא aut מופלא *Princeps*, Patrem ὕψιστον repræsentabat: Secundus אב בית דין *Pater Domus Judicii*, Filium, cui omne judicium datum, אבי עד *Patrem æternitatis*, Es. IX. 6. Tertius חכם *Sapiens*, Spiritum S. πνεῦμα σοφίας.

2. *Plurale*

2. *Plurale Elohim & singulare Eloah qvod incommunicabile.* Deut. XXXII. 15. Pſ. L. 22. *de uno DEO indifferenter uſurpantur. Ergo Trinitas ex plurali inferri non poteſt.*

R. 1. Imo qvia eidem DEO & plurale ELOHIM & ſingulare ELOAH tribuitur, apparet unum DEUM in pluribus conſiſtere perſonis. 2. Falſum eſt qvod ELOAH ſit nomen incommunicabile. Contratium patet ex *Habac. II. 11.* ubi Babylonius idolum ſuum vocat ELOAH.

3. *DEUS de ſe in plurali honoris gratia loqvitur more humano, ut* Eſa. XIX. 4. *Adonim durus*, Geneſ. XXXIX. 20. *Rapuit ipſum Adonei Joſeph*, Exod. XXI. 4. *ſi Adonaiv dederit ipſi uxorem*, Exod. XXII. 14. *ſi bealaiv non affuerit.*

R. 1. Si hæc locutio honorem DEI intendit, qvare non ſemper in plurali Scriptura de DEO loqvitur? Semper enim de DEO magnifice loqvendum. 2. Exempla addncta non ſunt exemplaria, ſed exemplata. Exemplar DEUS Triunus eſt. Hujus exemplata ſunt omnes, qvi vel Patris, vel Magiſtratus gerunt officium, officium, Patres Patrati. 3. Agnoſcenda qvoqve in his exemplis eſt diſſimilitudo. Nam in his ſemper combinatur ſingularis cum plurali. At DEO etiam in plurali אלהים vocato plurale verbum vel adjectivum apponitur, *Gen. XX. 13. Gen. XXXV. 7. 2. Sam. VII. 23. Pſ. LVI. 12. Joſ. XXIV. 19. Deut. IV. 7. Deut. XXXII. 6. Job. XXXV. 10. Eſ. LIV. 5. Eſ. XLII. 5.*

Uſus ex verſu II.

Etiam Pœnitentia Trinitatis myſterium inſinuat. Nam à vera pœnitentia nunqvam abeſſe poteſt fides in DEI filium Satisfactorem infinitum, *Joh. III. 16.* Refertur autem Filius ad Patrem, à qvo per æternam generationem procedit, *Pſalm. II. 7.* qviqve cum Patre ab æterno ſpirat Spiritum Sanctum *Eſ. LXIII. 10.* Eſt hoc myſterium etiam ante lapſum indicatum in verbis: FACIAMUS HOMINEM, *Geneſ. I. 26.* Negat hoc Rabbi *cap. X.* & objicit.

1. *Magnatiſmum hic eſſe; honoris gratia Scripturam de DEO in plurali loqvi. Ad Angelos haberi reſpectum, &c.*

R. Dici

R. Dici non poteſt, qvam hic ſeſe macerent Judæi. Pluralis verbi forma ita clara eſt, ut negari neqveat: unde proxime ſeqvitur, DEUM plures alloqvi. Qvosnam ergo alloqvitur? & cum qvibus conſultat? Ait Rabbi Joſua; *cum cœlo & terra*: Rabbi Samuel Nachmanides; *cum operibus reliqvorum dierum.* Inſulſa hæc ſunt. Rabbi Joſua Saccaides: *cum animabus juſtorum.* Male. An enim ad harum imaginem factus eſt homo? Num qvidqvam poteſt ſui ipſius eſſe imago? Annon omnes animæ ex primo homine progreſſæ? *Actor. XVII. 26.* Confer. *Part. II. Loc. XLIV. obj. 1.* Rabbi Chanina: *cum Angelis.* Qvid ergo Angeli DEO conſilii dedere? Dicit R. Simon: *Cum DEUS vellet creare hominem in partes diſtracti ſunt Angeli, aliis dicentibus: Ne creator homo: Aliis: creator. Interea cum Angeli de creatione hominis altercarent, creavit ipſum DEUS, dicens: Qvid litigatis? Jam factus eſt homo.* Vides ergo, Judæe, DEUM non conſultaſſe cum Angelis. R. Nachmanides ait DEUM terram eſſe allocutum, q. d. *Ego & terra faciamus, ita ut homo ratione animæ meam, ratione corporis terræ imaginem gerat.* Ita & Kimchi. O fatuam orationem! Annon inſanire diceremus ſculptorem, qvi ex ligno Mercurium facturus, lignum ita alloqveretur: Ego & tu faciemus Mercurium, qvi tibi ex parte materiæ, mihi ex parte formæ ſit ſimilis? Annon ergo hæc in DEUM blaſphema eſt explicatio? Vid. Bereſch. Rabba paraſcha 8.

Porro דרך לשון במלכות ונכבדי ארץ *ſtylum hunc eſſe majeſtaticum* ajunt: Bech. in. h. l. R. Stylus majeſtaticus non majeſtatis ſed modeſtiæ fundamento nititur. Hoc enim loqvendi more teſtantur Principes ſe non privato ſed publico Statuum conſilio qvidqvam decernere. Talis modeſtia in DEUM non cadit. Nam איש עצתו מי היה *τίς συμβȣλος αὐτȣ̃ ἐγένετο Eſa. XL. 13. Rom. XI. 34.* Ergo nec talis ſtylus. Colorem huic reſponſo qværunt ex *Gen. XXIX. 27.* נתנה לך גם את זאת *Num. XXII. 6.* אולי אוכל נכה בו Item *Dan. II. 36.* נאמר קדם מלכא *Job. XVIII. 2. 3.* Bildad ait; *Poſtea loqvamur. Qvare reputamur ut jumenta* Cant. I. 4. *Trahe me, poſt te curremus* Gen. I. 26.

Homo dominentur. R. Ad 1. non ſolus Laban Pater ſed & mater loqvuntur qvorum conſenſus ad elocationem filiæ reqvirebatur. Paſſivum eſſe poteſt cum ארר conſtructum. *Dabitur tibi qvoqve hæc.* Ad 2. נכה non eſt prima pl. futuri in Kal, ſed infinitivus Piel formæ גלה. Ad 3. Abſurdum eſt Danielem uſurum fuiſſe ſtylo majeſtatico, cum loqveretur cum Nebucadnezare Rege Regum. Ergo ſocios includit, conf. Abeneſr. in h. l. qvi hæc adducta teſtimonia vocat ערו שקר *mendacia.* Ad 4. loqvitur Bildad de ſe & ſociis. Ad 5. loqvitur Eccleſia, qvæ ut collectivum eſt, ita de ſe in plurali optime loqvi poteſt. Ad 6. ארם nomen ſpeciei eſt, qvod propterea optime ſuſtinet pluralem numerum.

Raſchi rebus deſperatis ex נַעֲשֶׂה facit נַעֲשֶׂה ex *faciamus*, *fiat*, Adducit hoc Bechai, nam in ſuo commentario hoc non habet Raſchi: Affert idem exemplum aliud ex *Eſ. XXVI. 18.* qvo Rabbinum excuſat, qvaſi ibi נַעֲשֶׂה paſſivum ſit. At ipſe Raſchi hoc נעשה ישועות de futuro Kal exponit אין אנו מבינים לנו ישועה *non potuimus nobis ſalutem diſpicere.* Qvodnam ergo effugium vobis relictum eſt Judæi? Dicit Rabbi Simlai בכל מקום שאתה מוצא פתחון פה למינים אתה מוצא תשובתם בצדדה *ubicunqve invenies locum qvi heterodoxorum ſententiæ faveat, ibi invenis qvoqve reſponſionem in latere ſcriptam.* Bereſch. Rabba *Paraſch. 8. fol. 10. c. 3.* Qvamnam ergo hic invenies reſponſionem Rabbi? Ais *Gen. I. 1. & 27.* non legitur Elohim בראו in pl. ſed Elohim ברא in ſing. Sic alibi ſæpius plurale Elohim cum verbo ſingulari conjungitur ad innuendam perſonæ unitatem. Imo hoc nihil facis, Judæe. Si legeretur *Eloah bara*, obtineres aliqvid. Jam vero exſtat *Elohim* plurale. Neqve hæc te exempla juvant. In iis enim ſingularis verbi ratio eſt unitas eſſentiæ. Danda ergo tibi ratio eſt, qvare plurale nomen cum ſingulari verbo conjungatur. Ne dicam multa eſſe loca in qvibus cum plurali Elohim & plurale verbum conjungatur. Adducta ſunt ea in uſu verſus præc. *obj. 3.* Si locis parallelis conficienda res eſt, adducam aliqvem qvi te ſatis pungat *Gen. III. 22. Ecce homo erat ſicut unus ex nobis.* Hic DEUS de ſe non

tantum

tantum in numero plurali, sed & partitive loqvitur. Qvid hic respondes? Rabbi Samuel Nachmanides nomine Jonathæ ait: *Cum Moses scriberet Legem, & in specie opera sextidui, atqve ad hæc verba perveniret: Faciamus hominem ad imaginem nostram: Dixit ad* DEUM: *Domine mundi, qvare Hæreticis subministras arma in nos? Dixit* DEUS: *Scribe Tu, qvi vult erare, erret.* Beresch. Rabba in h. l. Recte: Ergo pluralis numeri positus legentem in errorem inducere potest. Tu ergo tanqvam φῶς τῶν ἐν σκότει da mihi pluralis positi rationem, ne errem. Urgeo Te, cum qvonam consultavit DEUS? Ait R. Amæus: *Cum corde suo consultavit* ib. Ergo ad suam & cordis sui imaginem hominem Deus fecit. Annon cor DEI est ipsa DEI essentia? Qvid ergo de se & corde suo tanqvam de pluribus loqvitur? R. Bechai *fol. 9. c. 1.* ait *plurali hoc respici ad X. Sephirot qvarum scientia obsignata est in Thesauris cabbalistarum.* Per Sephirot nonnulli attributa DEI intelligunt, vid. Buxt. Lex. Talm. *p. 1536.* Affer mihi obsecro unicum locum ubi Deus cum suis attributis aut attributa Dei inter se consultare legantur. Age, si mysterium subesse fateris, conjice oculos in N. T. ibi hoc clare proponitur *Joh. III. 11.* ὁ οἴδαμεν λαλοῦμεν *Joh. X. 30.* ἐγὼ καὶ πατὴρ ἕν ἐσμεν. *Joh. V. 7.* οἱ τρεῖς ἕν εἰσι.

2. *similis occurrit locutio in* Gen. XI. 7. *Agite descendamus & confundamus lingvas eorum: Qvibus verbis* DEUS *etiam Angelos alloqvitur.*

R. Si hic DEUS Angelos alloqvitur, indiget consilio ac ope angelorum ad perficiendum opus suum. Nam הבה *agite* per תנו עזר או עצה *date auxilium aut consilium*, exponit Benmelech, in h. l. Si DEUS Angelos alloqvitur, pari cum Angelis numero erit censendus. Nam הרגילו מלת חבה על ענין העזרה וזרוז אחד לחברו על המעשה *usus vocis* AGITE *inter eos est qvi sese pariter ac mutuo instigant ad opus qvoddam strenue efficiendum* ib. An ergo DEUS confusurus lingvas angelorum subsidia ac cohortationem expectabat? Qvam hæc sunt insulsa! Inter pares hic est consultatio, qvi parem imo eandem habent sapientiam ac potentiam. Ergo non est cum Ministris Angelis. Si

DEUS sat potentiæ & sapientiæ habuit in se ad confundendum lingvas, qvid causæ erat consultare cum Angelis? Ait Rabbi Salomo בבירת דינו נמלך השם מפני ענתנותו יתורך *Propter immensam suam modestiam ac humilitatem* DEUS *cum Angelis consultat.* R. Varium & mutabile semper Judæus. Antea pluralis positi ratio erat Majestas divini Numinis: nunc contraria ratio allegatur, humilitas & modestia Numinis. Qvo qvæso jure virtutes has homileticas in DEO pones Rabbi? An proprie? Qvinam ergo sunt illi honores, qvos DEUS per modestiam declinat? Et qvo pacto sese per humilitatem abdicare potest usu Majestatis suæ DEUS mutari nescius? Si ἀνθρωποπαθῶς: Scito hanc esse legem ἀνθρωποπαθείας ne qvid vile, abjectum, immundum, & indecens altissimæ ac sanctissimæ Majestati divinæ tribuatur. Num in una sede morari possunt Majestas & humilitas? Aut an per ענתנותך *mansvetudinem* putas intelligi? ita ut DEUS testificandæ mansvetudinis suæ gratia Angelos in consilium adhibuerit? Qva ergo DEUS injuria antea læsus erat ab sanctis Angelis, ut iram in ipsos cohiberet? Qvorsumcunqve te vertas, Judæe, non hic evinces DEUM cum Angelis consultare.

3. *obstat doctrinæ de trinitate toties inculcata in scripturis* DEI *unitas.* Deut. VI. 4. Es. XLIII. 11. C. XLV. 21. C. XL. 25. Jer. X. 6. Hos. XIII. 4. &c.

R. Hæc loca iis opponenda sunt qvi unitatem DEI negant, non qvi Trinitatem docent. Asserimus enim, præter DEUM, qvi unus in essentia & Trinus in personis, nullum esse DEUM.

4. DEUS *est summe unus ac indivisibilis. Ergo non est compositus ex tribus personis.*

R. Concedo. Etsi enim personæ divinæ realiter sunt distinctæ, tamen non ordinantur ad constitutionem totius. Unaqvæqve enim persona est DEUS, adeoqve communem habet totam essentiam divinam.

5. *Nihil* DEO *simile est, aut par.*

R. 1. Recte: qvare ergo DEUM in classem Angelorum conjicis? 2. Nihil DEO simile est inter creaturas. Nihil eorum qvæ sunt

sunt extra DEUM. At in DEO personæ sibi sunt similes majestate ac potentia.

6. *Filius ac Spiritus S. non sunt unum ut patet ex* Matth. XII. 32. Marc. III. 28 Luc. XII. 10. *Multo minus tres sunt unum.*

R. Responsum est *part. II. Loc. XVI. obj. 2.*

7. *Neque fieri potest ut Creator ex divinitate & corpore componatur, quia omne compositum opus habet componente, à quo dependet, ac propterea non est* DEUS.

R. Duum generum dantur unita: Unum est hemisphærii superioris, reliqva inferioris. De his valet qvod affert Rabbi, non de illo. Nam cœleste illud unitum etsi duas includit partes conjunctas, tamen non referuntur eæ ad componentem tertium, siqvidem DEI Filius assumsit humanam naturam. Sic DEUS in igne apparens constituitur ex divina natura & igne, at non tamen propterea dependet à tertio componente, siqvidem ipse assumsit ignem in qvo appareret.

8. *In N. T. nullum evidens est Trinitatis testimonium. Neq; unqvam se* JESUS DEUM *vocat.*

R. 1. Abi ad Jordanem & videbis *Matth. III. 15.* Confer *Cap. XXVIII. 19. 1. Joh. V. 7.* 2. D. n. JESUM se nunqvam DEUM dicere impudens mendacium esse ostendi *part. II. Loc. XLVIII. obj. 2.*

Periocha V. 12. 13.

Sed cum multi in populo Judaico essent hypocritæ, qvi exterius idololatriam damnabant, ac apertas in proximum injurias, intus infideles ac plane athei, divitias suas pro DEO habentes, etiam in illos jam detonat Prophe-ta, & qvidem describit hypocritas 1. à moribus. ET ERIT IN TEMPORE ILLO, SCRUTABOR HIEROSOLYMAM LUCERNIS, UT VISITEM SUPER HOMINES, QVI COAGULATI SUNT SUPER FECES SUAS, QVI DICUNT IN CORDE

SUO, NEQVE BENE JEHOVA FACIT, NEQVE MALE. *II.* Apœna, ET ERUNT FACULTATES EORUM DIREPTIONI, DOMUS DESOLATIONI, DOMUS ÆDIFICATAS NON INCOLENT, VINETA PLANTABUNT, NEC TAMEN DE VINO EORUM BIBENT.

Sensus Abarb.

12. *Eodem tempore exactissime perqviram cives Hierosolymitanos, ne qvisqvam eorum impune abeat. Et visitabo super eos, qvi tranqvillitate & felicitate inturbata fruuntur, dicentes apud se: neqve bene facit Jehova piis, neqve male malis.* 13. *Proinde erunt eorum divitiæ direptioni, domus ædificatas non inhabitabunt, neqve vinetis consitis fruentur. Hoc autem ipso cognoscent esse DEUM Judicem in terra.*

NOTÆ.

QVid est *perveſtigare Hierosolymam lucernis?* Abarbenel ait כמו שיחפש האדם את הבית בנורת לראות מה שיש בחדרי חדרים לפי שאור השמש לא יוכל להכנס בכל מקום כמו הנר כן יחפש ה' את כל אנשי ירושלם באופן שלא ימלט אחד מקבוע עונו *Qvemadmodum homo perveſtigat domum lucernis ut videat qvid in abditissimis penetralibus sit reconditum, siqvidem solis lux non potest ita in omnia loca penetrare, ut lucerna: sic etiam DEUS perveſtigabit omnes cives Solymæ, ne qvisqvam pœnam possit effugere.* Nec nil, nec omnia hæc sunt, qvæ dicit Rabbi. Accipimus qvod metonymice hic per Hierosolymam intelligantur cives Hierosolytani, omnes tamen non possunt intelligi, sed ii tantum qvi sese occultant. Qvid enim opus esset lucetnis qværere obvios? Abs qvonam autem sese occultant? Ab hostene, an à DEO? Illud qvidem eligit Hieronymus, qvi Principes tempore Romanæ obsidionis, è cloacis spelunc is ac sepulchris extractos respici antumat, qvem hic qvoqve seqvitur Drusius. Abarbenel çerte eo referre non

non potest, qvi de Babylonico excidio textum interpretatur. Nam eo tempore non leguntur Judæi sese in cloacas abdidisse, aut è sepulchris extracti esse. Imo multi Procerum apud exteros Principes impune delituerunt, Ismaëlis exemplo *Jerem. XL. 14.* Multi in ipsa obsidione ex principibus in agros evaserunt *2. Reg. XXV. 4. 5.* Qvi omnes salutem sub Principe Gedalia invenerunt, *Jerem. XXX. 7. 8. 9. cap. XLII. 10. 2. Reg. XXV. 23.* Enimvero qvi lucernis investigantur iidem sunt, qvi super feces suos coagulati esse dicuntur. Verba Prophetæ sunt. *Perveſtigabo Hieroſolymam lucernis ut viſitem eos qvi ſuper fecibus ſuis ſedent.* Finis ergo investigationis est pœnam inferre iis qvi super fœcibus sedent. Sanctius hanc connexionem videns impuras illas feces hic intelligi perperam putabat, qvæ ex ventre in secessum emittuntur, occupatus Hieronymi autoritate, qvi priorem phrasin de eorum investigatione explicabat, qvi per cloacas delitescebant. Jam vero qvi super feces sedent, sunt hypocritæ, ut postea probabitur. Ergo & qvi inter Hierosolymitanos inqviruntur erunt Hypocritæ, qvi in tenebris ambulant, qvorum opera sunt in tenebris *Es. XXIX. 15.* qvi lucem subterfugiunt ne arguantur *Joh. III. 20.* qvi se profundant à DEO *Esa. XXIX. 15.* qvem locum confer. Hinc ergo manifestum est, qvid sit investigare abditos lucernis. Nempe mala impiorum opera in lucem proferre, larvam hypocritis detrahere, & hypocritas, qvi antea cum piis erant commixti, se parare. Hujus autem præludia qvædam edebantur tempore Babyloniorum, imprimis tempore & CHRISTI & Apostolorum. At in die extremo plene hic actus exercebitur utpote qvo DEUS κρινεῖ τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων *Rom. II. 16.* & ἀφοριεῖ τὰς πονηρὰς ἐκ μέσου τῶν δικαίων *Matth. XIII. 49.*

2. Per eos, qvi super feces suos coagulati sunt intelligit Abarbenel שאננים ושקטים בלתי מתנועעים כדבר הנקפא *securos & tranqvillos qvi non turbantur inſtar rei coagulatæ.* Non rejicimus hunc conceptum qvi ex *Jer. XLVIII. 11.* satis probatur. At plus tamen inesse phrasi emphaseos ex circumstantiis colligimus. Nam 1. ex fine investigationis per lucernas patet,

eos

eos tales esse qvi certa qvadam ratione nolunt esse cognoscibiles, 2. cum finis protractionis in lucem sit, ut publice confundantur & puniantur, patet eam rem qva non cognoscibiles sunt, esse malam & damnabilem 3. qvia qvoad occultam suam pravitatem exterius cognosci non potuerunt, necesse est eos singularem speciem pietatis præ se ferre. 4. Cum tranqvillitas & felicitas neminem per se damnet, utpote DEI donum, nisi qvis ea in ignominiam DEI nefarie abutatur, ex pœna qvæ hic impiis denunciatur, opum direptione, apparet, eos tales esse, qvi tranqvillitate à DEO concessa pessime abutuntur, & fiduciam, qvam DEO debebant, in opibus suis ponunt. Qvi 5. cum famam pietatis gerant, legales conciones ad se non pertinere existimant, qvibus nihil magis moventur atq; vinum dolio clausum, etiamsi foris vehementissime tumultuatur ventus. Denicq; 6. qvales hypocritæ in specie sint, ex ulteriori eorum descriptione clare liqvet, cum dicuntur in animo dicere: neq; bene DEUS facit neqve male. Atqve hæc est infidelitatis descriptio, qva CHRISTUS negatur qvi fons beneficiorum, idem severus scelerum vindex à DEO constitutus. Postremo 7. & securitas includitur, qvæ ex infidelirate resultat. Nam qvi CHRISTUM neqve Benefactorem neqve Judicem esse credit, ille securus in diem vivit. Sunt ergo hi, veri hypocritæ, qvi in omnibus externo cultui Mosaico qvantum pro statu ejus temporis fieri poterat satisfaciebant, qva parte Idololatris *v. 4. 5. 6.* & aperte in proximum injuriis *v. 9. 11.* opponuntur, interius autem plane fide omni carebant, qva ratione piis & justis *c. II 3. c. III. 11.* opponuntur.

Usus ex vers. 12.

Etsi omnes in Adamo mortis rei facti sumus, tamen notitia transmissi in nos per hæreditatem peccati tantopere obliterata est, ut nobis insontes videremur, nisi DEUS lucerna verbi sui nos de reatu æternæ mortis convinceret. Inter alia reatus nostri testimonia admodum evidens est qvod exstat *Gen. II. 17.* QVO DIE DE FRUCTU ARBORIS COMEDERIS, MORTE MORIERIS. Hinc proclivis illatio est: Omnes in Adamo peccavimus: Ergo omnes sumus mortis rei. Abramides noster *cap. XI.* locum hunc contra

contra Pontificios vindicare nititur, ſtatuentes *ob Adami peccatum etiam ſanctiſſimos Patriarchas & pientiſſimos Prophetas in infernum deſcendere neceſſe habuiſſe, donec ex eo per Meſſiam revocarentur.* Recte hic negat Rabbi ſanctos Patres actu in infernum eſſe demiſſos, rationes ſunt.

1. *DEUS ipſos in vita ſumme dilexit: Quis ergo cogitaret morientium hoſtem factum? Jonas precatur: Auffer animam meam à me* Cap. VI. 3. *Henoch & Elias in cœlum ſublati. Non ergo in infernum detruſi.*

R. Docent Judæi in Talmude tract. Beracot *Cap. I.* non ſolum Adamum, ſed in Adamo peccaſſe מין האנושי *ſpeciem humanam.* Bechai in *Cap. II. Gen. v. 17.* adducit. Veterum dictum. סחטה ענבים לו ולפי שהמראה אדום כדם לכך נשפך דמם ודם כל העלם מרוה כנגד מרוה *Heva expreſſit uvam, eamque marito ſuo guſtandam exhibuit. ut itaque color uvæ rubicundus erat, ita quoque ſanguis effundi debuit cum Parentum tum omnium poſterorum.* Cum ergo & Patres fuerint ex poſteris Adami, Patres quoque mori oportuit. At qua morte? an corporis ſaltem? Recte hoc negas, dicens: *Libens affirmavero certiſſimis inductus rationibus, quod hic ſimul mors animæ homini denuncietur. Vivit anima cum voluntatem DEI explet: Mortua eſt, cum peccati dominium patitur ad Legem DEI transgrediendam. At talis anima dicitur exſcindi ex populis ſuis.* Lev. VII. 15. *qua phraſi indicatur, animam talem non junctum aut ſociatum iri populo ſuo, h. e. populo juſtorum, uti colligi ad populum ſuum, notat ſociari animabus juſtorum.* Duo ergo ex tua mente mors animæ infert, dominium peccati, & reatum æternæ pœnæ. Utrique Patres obnoxii erant, ſiquidem omnes in Adamo peccaverunt. Annon ergo meruerunt in infernum detrudi? Recte tu quidem Pontificiis opponis Patrum ſanctitatem, DEI in Patres amorem, actualem Patrum ſalvationem. At hoc ipſo non acquieſcet Adverſarius: Ita enim poterit regerere: Qui natura rei fuerunt æternæ mortis, illi non fuerunt ſancti: quia reatus peccatum ſupponit: nec ſalvati; Peccatoribus enim non

salus debetur, sed damnatio. Patres sunt tales. Ergo. Aliter constingere adversarium non potes nisi adjecta limitatione: Qui natura rei sunt æternæ mortis, ii non fuere sancti ex se, nec salvati ex suo, sed ex alieno merito, promissi nimirum Seminis, *Gen. III. 16. cap. XII. 3.* Hoc si addideris, viceris. Nam ita diserte legitur *Apoc. XIV. 13.* μακάριοι οἱ νεκροὶ οἱ ἐν Κύριῳ ἀποθνήσκοντες ἀπάρτι. Sumere potes limitationem hanc ex his Tuorum verbis:

שנו רבותינו עתידין אבות העלם לעמוד בניסן ואומרים
לו אפרים משוח צדקנו אף על פי שאנו אבותיך
אתה טוב ממנו שסבלת עונות בנינו עליך מדות
קשות ורעות מה שלא עברו על הראשונים ועל
אחרונים והיות שחוק ולעג באומות שבשביל ישראל
ושברת כחשך ואכלה ועיניך לא ראו אור וצפר
עורך על עצמך וגופך היה יבש כעץ ועינך חשכו
מצום וכחך יבש כחרש וכל אלו מפני עונות בנינו
רצונך יהי בנינו מטובה זו שהשפיע הקב"ה לישראל
שמא בשביל צער שצערת עליהם ביותר וחשבון
בבית האסורים אין דעתך נוחה מהם אומר להם
אבות העולם כל מה שעשיתי לא עשיתי אלא
בשבילכם ובשביל בנכם שיהי מטובה זו שהשפיע
הקב"ה לישראל אומרים לו אבות העלם אפרים
משיח צדקנו תנוח דעתך שהתנחת דעת קונך ורעתנו

Tradunt Veteres: Patres mundi staturos esse in mense Nisan & ita allocuturos Messiam: Ephraim Messia justitia nostra, quanquam nos sumus Patres tui, tamen multo tu es nobis excellentior, quia bajulasti peccata filiorum nostrorum in te susceptа, atque ea propter exantlasti pœnas acerbissimas, quales neque priorum, neq; posteriorum quisquam sustinuit. Fuisti enim derisui ac delusui gentibus seculi propter Israëlem, sedistique in tenebris ac caligine: neque oculi Tui viderunt lucem: cutis adhæsit ossibus: corpus tuum exaruit sicut lignum: Oculi tui caligarunt præ jejunio, vires tuæ ollæ instar exaruerunt. Hæc omnia ob peccata filiorum nostro-

rum

rum pertuliſti. Qvæſumus fruantur filii noſtri bono hoc, qvod DEUS *benedicendus in Iſraëlem effudit, neq; propterea qvod ipſorum cauſa inſolita ſupplicia exantlaſti, & in carcere vinctus jacuiſti, animo ab ipſis ſis alieniore. Reſpondit ipſis* MESSIAS: *Patres mundi, qvidqvid ego feci, non niſi propter vos ac filios veſtros feci, ut illi fruantur bono hoc, qvod* DEUS *Benedicendus Iſraëli indulſit. Dicunt illi Patres mundi: Ephraim Meſſia juſtitia noſtra; Ita ſodes in nos placato ſis animo, uti iram Heri tui in nos placaſti.* Memorabilis oratio, qvæ legitur in Jalkut Hotthora in *cap. LX. Eſ. v. 1.* Qvî poſſet clarius deſcribi MESSIÆ acerbiſſima paſſio, meritum, ac ſatisfactio pro peccatis hominum? Hoc ergo ſolo merito ſalvati Patres mundi.

2. *Qvomodo unum peccatum, comeſtio ſc. Adami de fructu vetito expiari poteſt peccato longe graviori, interfectione* JESU *Nazareni Chriſtianorum* DEI *?*

R. Utinam hoc ſincere diceres Rabbi, cœdem D. n. JESU eſſe ingens peccatum! conf. *Part. II. Loc. XL. & Loc. LVII.* Enimverum 1. eſt peccatum atrociſſimum, utut tu cum gente tua jam non agnoſcas, ac propterea in impœnitentia perſeveres, at duplici tamen modo ſpectatur 1. ut peccatum 2. ut pœna. Ut peccatum, DEUS illud omni modo deteſtatur ac punit *Matth. XXIII. 37. 38. 39. 1. Theſſ. II. 15. 16.* Ut pœnam autem voluit eam portari à Filio, ut ita expiaret peccatum Adami, qvod mortem in mundum invexerat conf. *Eſ. LIII. 10. Cap. XLIII. 27. 24. 25.* Adamum ſuo peccato mortem æternam meruiſſe jam conceſſiſti. Non ergo tam leve eſt peccatum qvale tu eſſe deputas, neqve in ſola externa comeſtione conſtitit. Infinitum malum eſt, qvod propterea infinito indiguit Satisfactore. אדם הראשון עבר שלוש עבורות עבודה זרה ושפוכות דמים וגילוי ערוות *Homo primus tria peccata commiſit, Idololatriam, cœdem, adulterium.* Jalk. Chad. *pag. 4. col. 2. pag. 6. col. 2. pag. 8. col. 2.* i. e. peccavit in DEUM, proximum, ac ſemet ipſum; Totam ergo legem transgreſſus eſt, ſiqvidem ad has tres peccatorum ſpecies omnia, qvæ in lege prohibentur, reduci poſſunt.

3. *Contrarium Paulus inculcat* Rom. V. 14. *Regnavit mors*

ab Adamo usqve ad Mosen in eos qvi peccarunt ad similitudinem transgressionis Adami primi. Quorum verborum sensus hic est: Adam transgressione legis mortem tam animæ qvam corporis meruit, & omnes qvi ipsum imitati, qvales Cainitæ Gen. II. 17. Cap. III. 17. 18. 19. Cap. IV. 11. 12. *contra Abrahamo & semini ejus, qvia non ad similitudinem Adami legem transgrediuntur, tam æterna qvam temporalis felicitas promissa & collata* Lev. XVIII. 5. *Exempla sunt Enoch.* Gen. V. 24. *Noach,* C. V. 29. C. VI. 8. 13. 14. *Abraham, Isaac,* Gen. XXVI. 12. *Jacob & alii.*

R. 1. In textu Pauli exstat: *Qvi non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adæ.* Adam peccarat ἐννόμως. qvia ipsi præter legem innatam posita Lex erat de vitando fructu arboris scientiæ boni & mali. Ab Adamo ad Mosen similis lex non erat lata. Ergo qvi ante Mosen erant, non peccarunt ad similitudinem Adami, qvanqvam contra legem innatam peccarent. Lege qvæ ad hanc objectionem reposuimus *Part. II. Loc. LXXVII. Rom. V.* 14. 2. Non imitatione sed nativitate peccati Adamici contrahimus contagia. Ipse ais: *Ob comestionem ex fructu vetito immissa est & Adamo & semini ejus concupiscentia prava.* Qvod homo ex peccato Adami habet, id per naturam habet. Si ergo & Patribus per naturam implantata est prava concupiscentia, per naturam habent contagia peccati Adamici. Qvid vero 3. est prava concupiscentia? Est peccatum qvod totam legem violat. Nam לא תחמד הוא לאו הכולל כל התרי"ג כולו *Præceptum, NON CONCUPISCES, tam generale est, ut omnia præcepta Decalogi complectatur.* Ir Gibb. *fol. 91. col. 4.* Si ergo Patriarchæ concupiscentiam pravam per naturam habent, per naturam totam violant legem, adeoqve per naturam sunt rei æternæ mortis. Qvid ergo 4. ais Patriarchas vixisse in præceptis divinis, qvod dicitur *Lev XVIII. 5. Qvi fecerit ea vivet in iis?* Qvomodo potuerunt per Legem vivere cujus per naturam fuere transgressores? Vixerunt Patres, fateor: amici DEI fuere, benedicti & corporalibus & cœlestibus bonis; vixerunt juxta normam præceptorum DEI, ad æterna gaudia post piam mortem sublati. At qvæ causa hujus

vitæ?

vitæ? & qvodnam ejus fundamentum? Ait R. Simlai in Jalkut Hatthora ad *Mich. VI. 8.* DCXIII. præcepta Moſis qvæ in CCCLXV. negativa reſpectu dierum anni, & CCXLVIII. affirmativa reſpectu membrorum corporis ſubdividuntur, Davidem ad XIII. *Pſ. XV. 1.* Eſaiam ad VI. *cap. XXXIII. 15.* Micham ad III. *cap. VI. 8.*, Eſaiam iterum ad II. *Eſa. LVI. 1.* contraxiſſe: בא חבקוק והעמידן על אחת שנא וצדיק באמונתו יחיה *At Chabacukum uni fundamento impoſuiſſe nempe hunc: Juſtus per fidem in ipſum vivet. cap. II. 4.* Allegat hoc etiam Ephraim Ir Gibb. *fol. 91. col. 4.* & addit והעמידה במעמיד הרבה בנינים על יסוד אחד דהיינו רגל אחד *Talis innititur conſtitutio, cum qvis multa ædificia uni fundamento imponit, qvo tanqvam firmo talo conſiſtant.* Hoc fundamentum eſt fides in venturum Meſſiam, qvem paulo ante Chabacuc promiſerat *v. 3. Veniendo veniet & non tardabit.* Bechai in Leg. *fol. 86. c. 3.* aperte ait האמונה הוא יסוד כל התורה כולה *Fides fundamentum totius Legis eſt.* Certe hoc idem eſt, qvod Paulus ait *Rom. III. 31.* νόμον ἵστωμεν διὰ τῆς πίστεως; μὴ γένοιτο, ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν. Hoc ergo fundamento nixi Patres & juxta Legem DEI vixere, & ſalutis æternæ fuere facti compotes.

4. *Abraham amator DEI dicitur* Eſ. XLI. 8. *Proinde ipſum DEUS vicißim amavit, dignumqve reputavit, cui præceptum de circumciſione daret, ad frangendam concupiſcentiam pravam, & obtinendam vitam æternam.*

R. 1. Qvia Abraham per naturam prava concupiſcentia fuit infectus, per naturam fuit DEI oſor, non amator. Qvod autem DEUM amavit, gratiæ DEI vocatrici & regeneratrici adſcribendum *Geneſ. XI. 1.* Prior ergo DEUS Abrahamum amavit, non Abraham DEUM. Erat enim Abraham Idololatra ure Chaldæorum. 2. Amplector Circumciſionis finem fuiſſe ſalutem æternam, *Geneſ. XVII. 7.* At inde ſeqvitur eam non pertinere ad præcepta legalia. Circumciſio medium eſt obtinendæ ſalutis æternæ. Lex non eſt medium obtinendæ ſalutis: E. Circumciſio non pertinet ad legem. Minor patet, qvia lex per carnen infirmatur. *Rom. VIII. 2.* Innata

enim prava concupiſentia eſt violatio totius legis. Confer num. præced. Ut ergo homo cum DEO in gratiam rediret, inſtituta circumciſio eſt, tanqvum medium fidei in infantibus incendendæ, in adultis obſignandæ. Fides enim in Meſſiam ſola juſtitiæ & ſalutis cauſa eſt, uti paulo ante ex *Chab. II. 3. 4.* oſtenſum. Qvod 3. dicis, circumciſionem datam eſſe ad frangendam carnem, hoc ſenſu admittitur. Qvia circumciſio medium erat fidei producendæ, medium qvoqve erat vincendæ carnis, qvæ per fidem vincitur. Unde & ipſum peccati dominium circumciſio dici in Scripturis ſolet *Deut. XXX. 6. Jer. IV. 4. C. XXXIII. 39. Ez. IX. 19. C. XXXVI. 26.*

5. *Tota Lex Moſaica conceſſa eſt ad removendam immunditiem peccatorum. Hanc ſervarunt Patres. Ergo propriis meritis conſecuti ſunt vitam æternam, nec opus habuere alieno merito. Neqve etiam ob alienum peccatum mori potuerunt*, Ez. XVIII. 17.

R. Si naturalis penes Patres fuit peccatorum immundities, ſervare 1. legem non potuerunt. Ea enim Legis impletioni obſtat. Habuerunt 2. proprium peccatum. Qvod enim naturale homini eſt, illud proprium eſt. Non ergo ad eos pertinet, qvod *Ezech. XVIII. 17.* dicitur. Proinde 3. qvod ſalvati ſunt, non ſalvati ſunt merito proprio, ſed alieno Meſſiæ, ut ipſimet faſſi, num. 1. Hanc naturalem 4. immunditiem minime removet Lex, ſed accuſat ac damnat, contritosqve ad Meſſiam compellit.

Uſus ex verſu 13.

DIVITIÆ, ET QVIDQVID EJUS GENERIS EST CARNALIUM PRÆSIDIORUM PEREUNT: ERGO IN JUDICIO DIVINO IIS NON NITENDUM, SED SOLA PROMISSIONE DEI DE CHRISTO REDEMTORE. Hæc in æternum manet. *Eſ. XL. 8. 1. Petr. I. 24.* Eſt ea *Gen. III. 15.* deſcripta: SEMEN MULIERIS CONTERET CAPUT SERPENTIS. Negat Rabbi *C. XII.* hic de JESU ſermonem eſſe, & objicit

1. *Si JESUS contrivisſet ſatanæ caput, i. e. ſuſtulisſet ſatanam tanqvam peccatorum cauſam, credentes in eum non peccarent; Nec ſatan conterere poſſet JESU calcaneum; nec Judæos paganosqve*

paganosque ad cœdem JESU *pellexisset, nec Paulo obstitisset*, Rom. XVI. 20. 1. Thess. II. 18.

R. Duo hic pugnant, Serpens & Semen mulieris. Palam est non nudum sed symbolicum serpentem hic intelligi, Satanam nempe, qvi serpenti insedit, eoqve abusus est ad decipiendos Protoplastos. Hic thronum suum in homine constituit postqvam pravam concupiscentiam in eo plantavit Jalk. Chad. *p. 1. c. 1.* כון שבא נחש אל חוה *cum rem haberet serpens cum* Eva, *injecit in eam inqvinamentum* p. 3. c. 3. חוה נתעברה מסמאל *Heva imprægnata fuit à Sammaële.* Unde omnes naturali modo ex ea prognati stylo Scripturæ dicuntur filii Diaboli *Joh. VIII. 44.* γεννήμα]α ἐχ]δνῶν *Matth. III. 7.* Per hanc pravam concupiscenriam dominatur Satan in hominem, & dicitur κράτ⊙ θανάτ⊙ ἔχειν *Hebr. II. 14.* aut מלאך המות *angelus mortis* esse, qvia stipendium peccati mors *Rom. VI. 23.* Semen mulieris Messias est, qvi mors morti, serpens serpenti, venenum veneno factus, *Hos. XIII. 14. 1. Cor. XV. 55. 56. Hebr. II. 14.* cum instar serpentis Mosaici in cruce suspenderetur, *Joh. III. 14. 15.* Qvo facit qvod משיח eosdem numeros habet qvos נחש nimirum 358. non obscuro indicio, erectum illum in deserto serpentem *Num. XXI. 9.* mysterium officii Messiani continuisse. Et vero aperte Messias vocatur serpens *Es. XIV. 29.* Ita enim verba: *de radice colubri egredietur Basiliscus*, juxta Chaldæi interpretationem intelligenda sunt: ארי מבני בנוהי דישי יפוק משיחא ויהון עבדוהי בכון כחוי מפרח *nam ex posteris Isai orietur* MESSIAS *cujus opera in vobis erunt instar serpentis volantis.* Messias JESUS Nazarenus est, qvod ut jam ante fuit ostensum, ita porro oblata occasione firmabitur. Qvid autem præstat Messias? Vincit, conterit serpentinum caput i. e. destruit potentiam Satanæ, non ita ut occidat Satanam, aut tollat ipsum qvoad substantiam, sed ut innatam concupiscentiam per qvam Satan in hominem dominatur profliget. Ita exponit Bech. in h. l. ענין האיבה הזאת הוא רוחוק היצר הרע מן העולם ובטול כחו כענין שכתוב בלע המות לנצח *Inimicitia significat remotionem concupiscentiæ pravæ ex orbe, & debilitationem roboris ejus juxta illud* Es. XXV. 7. *Absorpsit mortem in victo-*

in victoriam. Non hic obscure innuit duplicem profligandæ concupiscentiæ modum, alterum, qvæ futuri seculi est, & consistit in consummata pravæ concupiscentiæ profligatione & ejectione è natura humana; Alter ad hoc seculum pertinet, estqve inchoata profligatio aut debilitatio pravæ Concupiscentiæ. Medium vincendæ concupiscentiæ pravæ est verbum DEI: בזמן שעוסקים ישראל בתורה ובגמילות חסדים אז ידם מסור בידם ולא הם נמסרים ביד יצרם *Cum Israël verbo DEI legendo & beneficentiæ exercendæ operam dat, prava concupiscentia ipsorum subjicitur potestati, & illi desinunt subesse peccato.* Ita Rabbi Juchanan in *Es. XXXII. 26.* uti allegatur in Jalkut Hatthora *Part. II. fol. 47. col. 4.* Adducit hoc etiam Ephraim in Ir Gibb. *fol. 9. c. 2.* & exercitium beneficientiæ exponit de salutari lecti verbi fructu in captivam animam profluente. Qvia autem homo libertatem habet non admittendi verbi divini, cujus prædicatio ad hoc seculum pertinet, efficaciam, sed Spiritui sancto obicem ponendi, hinc est qvod illa pugna inter serpentem & semen mulieris in hoc seculo continuetur, regnante Messia in medio inimicorum suorum, *Psalm. CX. 2.* donec tandem in adventu ejus secundo Satan in lacum igneum præcipitetur, *Apoc. XX. 10.* Qvicunqve ergo efficaciam verbi divini admittunt, illi liberantur à dominio peccati, & qvanqvam in se concupiscentiam pravam habent, tamen non patiuntur ejus imperium, nec peccant proeretice. Tales autem sunt omnes credentes in Messiam serpentis contritorem, qvi suis efficaciam meriti sui per verbum applicat. *Non possunt peccare, dum semen DEI manet in ipsis, 1. Joh. IV. 9.* Contra qvi verbi efficicaciam non admittunt, illi manent sub potestate Satanæ ac peccati, nec possunt non peccare, *1. Joh. IV. 8.* Atqve hi sunt Infideles, serpentis antiqvi infelix progenies, in qvibus Satanas operose dominatur, *Eph. II. 2.* qvi Messiæ calcaneum contriverunt, & verbi divini cursum per seductiones ac persecutiones impedire omnibus seculis mirifice allaborarunt. *Rom. XVI. 20. 2. Thess. II. 12.* Confer *Part. II. Loc. LXXXII.*

Periocha

Periocha VI. 14. 15. 16. 17. 18.

Resp. PHILIPPUS CHRISTIAN. CRAZIUS, Boltenhaga Pomeran.

Ut tanto magis Judæos ad pœnitentiam agendam exstimulet Propheta, iterum graphice describit judicium in ipsos decretum, cujus inculcat I. propinqvitatem: PROPINQVA EST DIES DOMINI MAGNA, PROPINQVA ET FESTINANS VALDE. II. Gravitatem: VOX DIEI DOMINI, QVO AMARE VOCIFERABITUR FORTIS. DIES IRÆ EST DIES HIC, DIES ANGUSTIÆ ET ANXIETATIS, DIES VASTITATIS ET VASTATIONIS, DIES TENEBRARUM ET CALIGINIS, DIES NUBIS ET OBSCURITATIS: DIES TUBÆ ET CLANGORIS ADVERSUS URBES MUNITAS ET PROPUGNACULA ALTA. III. Sigularitatem ET COANGUSTABO HOMINEM, ET IBUNT INSTAR COECORUM, QVIA IN DEUM PECCARUNT, ET EFFUNDETUR SANGVIS EORUM SICUT PULVIS, ET CADAVER EORUM SICUT STERCUS. IV. Jndeclinabilitatem NEQVE AURUM NEQVE ARGENTUM EORUM POTERIT IPSOS LIBERARE IN DIE FURORIS DOMINI. V. Extremitatem NAM IGNE ZELI EJUS VORABITUR TOTA TERRA, CUM CONSUMMATIONEM EAMQVE PRÆCIPITEM FACIET CUM OMNIBUS INCOLIS TERRÆ.

Sensus Abarb.

13. *Propinqva est dies Domini magna, propinqva & festinare valde: Vox diei Domini amarum veciferabitur; Proinde convenient eo omnes fortes ad pugnandum.* 14. *Dies gravissimarum calamitatum, dies gravissimi luctus.* 15. *Siqvidem*

erit dies buccinæ & clangoris, qvo Chaldæi exercitum ducent contra urbes munitas & alta propugnacula. 16. *Eo enim tempore ita Judæi à Babyloniis coanguſtabuntur ut neſciant qvid capiant conſilii, effundetur ſanguis eorum tam copioſe ut pulvis, panis ac cibus eorum erit tam impurus ut ſtercora & excrementa hominum.* 17. *Et qvanqvam argenti & auri habebunt ſatis, tamen illud ipſis non proderit ad comparanda alimenta, cum in igne furoris Domini comedetur tota terra, id eſt, cum DEUS faciet conſummationem præcipitem cum omnibus incolis terræ.*

NOTÆ.

VErba verſus 13. *Vox diei Domini, amarum clamabit ibi fortis* diverſimode diſtingvuntur. Vatablus ita: *Vox diei Domini amara, ibi fortis turpiter ejulabit.* Sic & Tigurini, & Vulgatus & Munſterus. Diſtinxit ita qvoq; Chaldæus & Græci. Abarb. אותו קול יהיה קורא וצורח ואומר מר כאלו רעה באה לעולם ולכן שם גבור כלומ' כל גבור יבא שמה ללחום ורשו' מפרש כר' הגבור יצרח שם קול מר ונכון הוא *Vox illa clamabit & vociferabitur & dicet mar. q. d. malum venit in orbem. Proinde fortis ibi, i.e. omnes fortes venient eo ad pugnandum.* Raſchi ita exponit: *omnis fortis clamabit ibi voce amara. Qvæ expoſitio qvoq; commoda eſt.* Ludovicus de Dieu fere ſeqvitur Abarbenelem, ita exponens: *Magnus ille dies Domini vocem edit eamqve amaram, clamat enim adeſſe ibi fortem, qvi urbem Hieroſolymam ſit deſtructurus,* in Zeph. Qvanqvam ſint qvi in facienda explicatione magis fidei analogiam & textus cohærentiam qvam accentuum leges ſeqvuntur, qvo illud Kimchii pertinet in XII. *Hoſ.* 11. אין כר' טעמי הפורושים הולכים אחרי טעמי הנקוד *non eſt neceſſarium ut interpretatio ſemper ſeqvatur accentuationem,* tamen citra neceſſitatem à legibus accentuationis recedere religio eſſe debet bono interpreti. Verba Spiritus S. ita interpunxit: *Propinqva eſt | Dies Domini | magna || propinqva | & feſtinans valde ||| Vox | Diei Domini | amare clamabit | ibi fortis*

fortis |||| Abeunt ab ea interpretes adducti, imprimis vero Abarbenel qvi præterea שמה *ibi* convertit in שמה *eo*, & deinde de suo supplet *veniet ad pugnandum*. Nodum certe in scirpo qværit. Res expedita est modo hæc notemus 1. ad קול subaudiri debere קרוב *propinqva est vox*. Amstelod. subaudiunt *propter*. Wegen der Stimm des Tages GOttes der Held thut da bitterlich schreyen. At qvia supplementum adest textuale, qvid opus est alienum inferri? 2. per vocem diei DEI intelligi magnificum strepitum judicium DEI circumstantem, & terrorem peccatoribus incutientem, *1. Thess. IV. 16.* vocatur *Φωνὴ ἀρχαγγέλε σάλπιγξ Θεῦ*. Unde 3. amarum clamare notabit, *ejulare*, ut *Es. XXXIII. 7. Ezech. XXVII. 31.* 4. גבור synecdochice poni pro גבורים & significare non eos qvi reipsa fortes sunt, nam hoc non permittet prædicatum *ejulare*; sed qvi fortes erant. 5. שם *ibi* positum esse pro אז *tunc* sive ut respectus habeatur ad יום *dies*, pro בו *in eo*. Probant enim exempla particulam hanc non tantum de loco sed & de tempore accipi, qvæ vide apud Noldium *p. 767. 6.* ad שם subaudiri voculam אשר cujus elegans est ellipsis. Sensus ergo est: *Propinqva est vox diei Domini, qvo amare flebunt potentes.* Conf. *Matth. XXIV. 30. Apoc. C. VI. 12. 15. 16. 17.*

2. Conglomerantur hic multæ voces gravitatem diei judicii exaggerantes, qvas pro iisdem communiter habent Interpretes. Abarbenel ait הכל כפל ענין במלות שונות *Expolitio est, qva idem significantia verba adhibentur.* At 1. verba non idem significant. Dies in genere vocatur dies iræ, qvo DEUS iratus pœnam sumet ab improbis. In specie vocatur dies angustiæ & tribulationis. Hujus subjectum homines: dies vastitatis & vastitationis. Hujus subjectum domus, urbes, regiones, qvæ propter hominum impietatem vastantur. Dies tenebrarum, caliginis, nubis, nebulæ. Harum si improprie accipias, subjectum homines sunt, ob malum animo & corpori immissum contristati, si proprie, corpora cœlestia destructa: dies buccinæ & clangoris. Hujus subjectum hostes impietatem in DEUM commissam vindicantes. Qvod si expolitio est, ea non in omnibus his vocibus promiscue erit, sed in iis

tantum qvæ respectu ejusdem subjecti conjunguntur. 2. Si ponerem ἐξεργησίαν hic esse, annon illa plus inferre videretur qvam nudam calamitatis Babylonicæ exaggerationem? Imo qvia per talem coacervationem omnes calamitates qvasi sub unum obtutum sisterentur, qvis non de extremo judicio hic simul agi cogitaret, in qvo omnia malorum genera in impios pleniſſime effundentur? Et vero agitur. Nam qvanqvam Zephanias suæ ætatis Judæis pœnas indicit, tamen cum typo simul conjungit antitypum, qvi omnium Prophetarum mos est. Eundem imitatur CHRISTUS dum *Matth. XXIV. Luc. XXI. 20. seqq.* cum exidio Hierosolymorum judicium extremum conjungit. Nisi hoc asseramus, Zephanias de extremo judicio non vaticinatus esset. At omnes Prophetæ de eo debuerunt vaticinari *Apoc. X. 7.* Si ergo & Zephanias de die extremo vaticinatus est, aut seorsim eum denunciavit, aut conjunctim. Non seorsim. Ergo eadem oratione qva Judæis judicium particulare denunciat, simul & universale indicit. Neqve obscure Paulus ad hunc locum respicit dum in die extremo describendo iisdem fere verbis utitur qvibus Propheta. Vocat eum ἡμέραν ὀργῆς *Rom. II. 5.* Tribuit ei θλῖψιν καὶ ςενοχωρίαν *v. 9.* Hoc enim est צרה ומצוקה qvod Græcus vertit θλῖψιν καὶ ἀνάγκην. Idem illud Prophetæ משואה transfert ἀφανισμὸν *annihilationem*, aperte respiciens ad diem judicii extremi. Referri huc potest argumentum à conservatione vaticiniorum petitum. CHRITUS ait *Matth. V, 18.* ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται. Rabbini apologo non ineleganti conservationem Scripturarum asserunt in Schemot Rabba *fol. 124. c. 4.* in qvo Jota introducitur qverens apud DEUM qvod Salomon ex *Jarbeh*, *ne multas sibi Rex uxores ducito, Deut. XVII. 17.* fecerit *arbeh* cum ipse neglecta hac lege multas duxerit atqve ita Jota de lege abstulerit: לא ירבה לו נשים ולא יסור לבבו עמר שלמה המלך והחכים עד גזרתו של הקב"ה ואמר למה אמר הקב"ה לא ירבה לו נשים לא בשביל שלא יסור לבבי אני ארבה ולבי לא יסור אלו באותה שעה עלה יוד שבירבה ונשתטחה לפני

לפני הקב"ה ואמר רבש"ע לא כך אמרת אין אורת
בטלה מן התורה לעולם הרי שלמה עומר ומבטל
אותי ושמא היום ובטל אחת ולמחר אחרת עד
שיתבטל כל התורה כולה אמר לה הקב"ה שלמה
ואלף כיוצא בו יהיו בטלין וקוצה ממך אינו מבטל

DEUS Deut. XVII. 17. *interdixit Regi me multas sibi uxores associet, ne cor ejus à DEO abducatur. Rex Salomon huic Legi fastuose obstrepuit, dicens: Quare DEUS Regem interdixit multarum uxorum consortio? An propterea, ne cor ejus à DEO recedat? Ego plures ducam uxores, nec tamen à DEO recedam. Ea hora, ajunt Majores nostri, accessisse literam Jota quæ in Jarbeh, prostratamque ante DEI genua ita dixisse: Domine mundi, nonne Tu dixisti, nullum Jota unquam de Lege periturum esse? Ecce Salomon id sibi sumsit ut me aufferret. Quod si unam hodie literam demit, crastino die aliam, brevi integra scriptura peribit. Respondit ipsi DEUS: Ante Salomo, & mille ejus similes Monarchæ peribunt, quam ego apicem minimum de te tolli patiar.* Qvis qvæso finis est tam sollicitæ vaticiniorum conservationis? ἕως πάντα γένηται. Ergo nondum omnia sunt impleta. Etsi ergo Zephanias Judæis vaticinatus est exidium, tamen propterea non solis Judæis vaticinatus est, sed eadem oratione etiam toti mundo. Alioqvin cum obtento fine cessent media, in qvem finem adhuc hodie ab Ecclesia N.T. tam studiose conservarentur explicarentur inculcarentur hujus Prophetæ oracula? Non ergo solummodo Judæis sed & conjunctim toti mundo excidium prænunciavit. Emphatica sunt verba *v. 2.* אסף כל *finem faciam omnium*. Petrus nulla circumitione usus ea adhibet ad extremum judicium denunciandum Πάντων τὸ τέλος ἤγγικε ait *1. Epl. C. IV. 7.*

3. Speciatim duo suppliciorum genera Judæis indicuntur, qvorum alterum animum, alterum corpus premet. De illo intelligendum qvod dicit *Ibunt sicut cœci.* Qvibus verbis qvia cum cœcis comparantur, necessario intelligitur animi coecitas. An autem politica tantum an vero & spiritualis, qværitur. De illa noster exponit.

שלא יראו מה לעשות ויכשלו איש ברעהו כמו שעושים העורים *non videbunt qvid facto opus sit, impingentqve alter in alterum more cœcorum.* At qvia DEUS populo Israëli legis transgressori non tantum politiæ eversionem sed & excœcationem & abjectionem alibi minatur, *Esa. VI. 9. 10.* utramqve cœcitatem & qvidem potissimum spiritualem hic respici putamus. De altero accipienda sunt verba: *Et effundetur sangvis eorum sicut pulvis & caro eorum sicut stercora.* Comparantur caro & sangvis cum stercore & pulvere, in qvonam tertio, qværitur. Ajunt, partim ratione multitudinis, partim ratione vilitatis. Sic noster מפני רבוי הדם הנשפך סביבות ירושלים אמר שיהיה כעפר שהוא רב מאד ולא יחוש אליו אדם *Propter multitudinem sangvinis qvi effundetur circa Jerusalem, dicit eum fore instar pulveris, qvi propter suam copiositatem nihili æstimatur.* Sed si solam multitudinem & vilitatem innuere voluisset, qvare non comparavit cum aqvis ut *Deut. XII. 16. Psalm. LXXIX. 3.* Videt hoc Drusius, ideoqve dicit: *Mire dictum, qvasi de arida sermo esset. Nam dixisset potius, cum de sangvine loqvitur, tanqvam aqva. Sic nec caro proprie effunditur.* Cum ergo nec caro proprie effundatur, nec pulvis, nec stercus, latebit aliqvid in שפך qvod inde eruendum. Scilicet ut sangvini competit effusio, ita corporibus & stercori abjectio, pulveri conculcatio. Virtualiter itaqve in voce שפך & abjectio & conculcatio comprehenditur. Ita brevitatis causa unum qvandoqve verbum pro pluribus ponitur per syntheſin de qva vide *Glass. L. III. tr. 3. p. 219.* Hæc involuta brevitas ita commode explicari posse videtur: ושפך דמם והושלך לחמם ארצה ונרמסו שניהם כעפר וכגללים *Et effundetur sangvis eorum, & projicientur carnes eorum in terram & conculcabuntur utraqve instar pulveris & stercoris.* Vel ita, ut corpora cum stercoribus ratione abjectionis comparentur: *Effundetur sangvis eorum & projicientur carnes eorum in terram instar fimi, & conculcabuntur utraqve instar pulveris.* Involutam ejusmodi orationem supra qvoqve observavimus, *Periocb. II. §. 3.*

4. Cæte-

4. Cæterum in voce לחומם peculiarem Abarbenel hic qværit significatum. Dicit ולחמם כגללים פורשו המפרשים שבשרם ויהיה כגללי צואת אדם ואמרו שלחמם הוא לשון ערבי שקורין לבשר לחם ולא ידעתי למה לא יאמר הנביא דבריו בלשון הקדש ויבחר לשון הערביים ויותר נכון לפרש לחומם מלשון לחם ומאכל כלומר שבחיותם במצור יהיה לחם ומאכלם טמא כגללי צואת אדם *verba: ulechymmam caggelalim: ita interpretari Autores; carnes seu cadavera ipsorum fore sicut stercora atqve excrementa hominum; supponentes qvod lechymmam sit vox Arabica. Nam Arabas carnem vocare lechym. At ego capere non possum qvare Propheta non hic potius voce hebraica voluerit uti, sed Arabicam elegerit. Proinde commodius est dicere, lechymmam hic habere notionem panis & cibi ad innuendum qvod tempore obsidionis Babylonicæ panis & cibus eorum æqve immundus sit futurus ac stercora & excrementa humana.* R. 1. Cum interpretes vocem *Lechym* arabicam esse dicunt, non faciunt respectu ætatis Prophetæ, sed respectu ætatis suæ. Tempore Prophetæ, qvo uberior & amplior erat lingva Hebraica qvam nunc est, vox לחום Hebraica vox erat, & sine dubio satis trita & freqvens. At tempore nostro, cum Hebraica lingva intra arctissimos Hebræi codicis terminos cohibeatur, & de sua integritate multas perdiderit partes, qvæ in filiabus ejus sint inqvirendæ, לחום arabicam vocem esse dicimus, qvia in Arabica lingva tritissima vox est. Dum ergo Propheta hac voce usus est non Arabica sed Hebraica usus est. 2. Respicit Rabbi ad *c. IV. Ez. v. 12. 13. 14. 16.* in qvo cibus cum stercore comparatur partim ob impuritatem partim ad penuriam ejus denotandam. Sensus qvem dat, non incommodus; qvem amplectar si prius probavit Rabbi לחום idem significare qvod לחם *panis*.

5. Sententiæ Abarbenelis qvi hanc priorem Prophetæ partem de excidio Babylonico tantum exponit opponimus clara verba *v. 17.* qvibus DEUS Judæis minatur כלה Est autem כלה *plenaria consumtio* πανολεθρία cum ita immittitur pœna ut nulla sit spes restitu-

restitutionis, cum *non per vices*, sed ut exponit Kimchi בפעם אחת *una vice* consumuntur omnia. Græc. συντέλεια. Additur consummationi adjunctum אך נבהלת *& quidem præceps*, talis, qvæ ipsos nec opinantes opprimat. Ita malim reddere qvem *accelerata*, qva voce alias exprimunt Interpretes. Nam sic simul respicitur ad securos hypocritas, qvi argento & auro suo nituntur omni DEI metu excusso *v. 11. 12. 13.* Talis παιδεία Judæis indicebatur non eo consilio ut absolute inferretur, sed ut contritionem & pœnitentiam in animis Judæorum produceret, qva posita inhibebatur & differebatur *Mich. III. 12.* Conf. *Jer. XXVI. 18. 19.* At negata tandem pœnitentia inferebatur *Luc. XIX. 43.* In hoc typo autem respicitur simul ad antitypum, extremum judicium. Vatablus ad hunc versum hæc annotat: *Intelligitur universa terra Israel aut universus orbis terrarum.* Imo utrumqve innuitur.

Usus ex vers. 14.

NE FORTISSIMUS QVIDEM SUSTINERE POTEST IRAM DEI: E. ABNEGANDÆ SUNT VIRES PROPRIÆ ET PER VERAM FIDEM AD JESUM CONFUGIENDUM DE QVO *Gen. XXII. 18.* BENEDICENTUR IN SEMINE TUO OMNES GENTES TERRÆ, &c. Hujus dicti verum sensum depravare conatur Rabbi noster *c. XIII.* negans hic de JESU SALVATORE sermonem esse. Rationes ejus sunt.

1. *Qvia nomen* זרע *SEMEN collective hic sumitur, ut videre est ex* v. 17. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas*, conf. Deut. I. 10. Gen. XXVI. 4. C. XXVIII. 14. *Ergo Israël intelligetur.*

R. 1. Non est una acceptio vocis *semen*, interdum collective sumitur, interdum individualiter, ut *Gen. IV. 25. C. III. 16.* Conf. usum præc. In locis allegatis vox *Semen* modo ad collectivam modo ad individualem significatum restringitur. Uti *Gen. XLIX. 6. 9. 10.* vox Jehuda modo individualiter, modo collective significat, pro prædicatorum diversitate. Autor benedictionis est vel principalis, vel Ministerialis. Ille benedictionem parit merito suo, hic partam manifestat. Locus controversus agit de autore benedictionis principali: De eo qvi meretur benedictionem. Nam בזרעך in

à Chaldæo

à Chaldæo exponitur per בגין *propter* in locis *Geneſ. XII. 2. cap. XVIII. 18. c. XXII. 18 c. XXVI. 4. c. XXVIII. 14.* per בזכותיה *propter meritum ac dignitatem ejus, Pſ. LXXII. 17.* Sic AbenEſra in *Gen. XVIII. 18.* יהיו מבורכים בשבילו *benedicentur propter te.* An hoc Patriarchis convenire putas? Adſcribunt qvidem Rabbini Patribus ſuis meritum, זכות אבות *dignitatem Patriarcharum* ſæpe crepantes, eoqve ſe præpoſtere muniunt adverſus judicium DEI. At hoc inane ſomnium eſt. Ipſi Patriarchæ eguerunt benedictione, ſiqvidem & ipſi in Adamo peccarunt, morti propterea naturaliter obnoxii, Jalkut chad. *pag. 136. col. 2.* אדם הראשון שאכל האילן הוא גרם מיתה לכל באי עולם *Homo primus, qvi comedit de arbore, cauſatus eſt mortem omnibus venientibus in mundum.* Ergo etiam Patriarchis ipſorumqve poſteris. Si propter peccatum Adami mortis rei ſunt, neceſſe eſt ipſos in Adamo peccaſſe. Filius enim non portat peccatum Patris, niſi in partem peccati paterni venerit, *Ezech. XVIII. 20.* Contraxerunt itaqve in Adamo concupiſcentiam pravam, qvæ natura in hominem dominatur, neqꝫ ſubigi poteſt viribus naturalibus. Conf. *uſum v. 8. obj. 4.* Cum itaqve Patriarchæ cum ſuis poſteris juxta naturalem nativitatem conſiderantur, erunt impia peccati mancipia, neqve, qvia peccatum inhabitans prævalet, pœnitentiam agere potuerunt, jure propterea rei temporalis æternæqꝫ pœnæ כי לא יתכן שחבורא יתעלה ינקה לשאינם שבים כי אין ראוי לסלוח ולרשע העומד במורדו *nam non convenit Creatori abſolvere impœnitentes, aut peccata remittere præfractè peccantibus,* Bech. in Leg. *fol. 124. col. 1.* An ergo Iſraël ſe cum ſuis Patriarchis eximere poteſt è numero maledictarum gentium? Minime vero. Cum ergo omnes gentes & ipſi deniqve ſanctiſſimi Patriarchæ, ſi qvoad naturam ſuam ſpectantur, mortis æternæ rei ſint, ac propterea Mediatore indigeant, qvi ipſis benedictionem mereatur, manifeſtum eſt Patriarchas mereri gentibus benedictionem non poſſe, ac propterea opponi huic individuali SEMINI omnes. Verus ſenſus ſpectari qvoqve poteſt ex loco parallelo, *Jer. IV. 2. Benedicent ſibi in eo gentes & gloriabuntur in eo.* Hinc colligi

potest: In qvo gentes confident & gloriabuntur, is autor est benedictionis. Atqvi non in Israële aut Patriarchis, sed in Jehova confident, qvi fiduciam in carne damnat *Jer. XVII. 5.* & in se solo gloriari jubet salutariter cognito *cap. IX. 23. 24. 1. Cor. I. 30. 31.* E. solus Jehova autor est benedictionis, carnem Abrahæ in plenitudine temporis assumturus *Hebr. II. 16.* Urges

2. *Dicit DEUS ad Abrahamum: In te, benedicentur omnes gentes. E. Abraham autor erit Benedictionis saltim ministerialis.*

R. 1. Cum DEUS *cap. XII. 3.* dicit: *In te*, id exponit *cap. XXII. 18. in semine tuo*, per qvod individuale Semen intelligi ostensum. Conf. *Gal. III. 16. Hebr. II. 16.* 2. de ministeriali benedictione in hoc versu sermo esse non potest, qvia qvi hic benedicit mundo, benedictionem merito suo acqvirere dicitur: Id autem non ministri est, sed Domini. Deinde, si verba de benedictione ministeriali velis explicare, probandum est Abrahamum omnibus gentibus benedictionem hanc annunciasse. Certum vero est paucis illum innotuisse populis. *Exod. V. 2.* Fuerunt qvidem Patriarchæ & Israël ministri annunciandæ benedictionis, sed illud ipsum ministerium supponit verbum revelatum de Messia Mediatore, & benedictionis autore principali, qvi in hoc versu ejusqꝫ parallelis, ut ostensum est, exhibetur: Verbum qvod ipsis natura non erat notum. Qvæ enim jam ante sciebant ea prædicatu non opus erat. An aliud ipsis verbum prædicasse Patriarchas putas?

3. *Docuere Patriarchæ Gentes DEI existentiam & unitatem, providentiam item ac omnipotentiam, qvæ notitia causa est veræ benedictionis & salutis animarum.*

R. Scilicet præclare meruit Abraham de gentibus, dum ea docuit qvæ natura ipsis jam ante erant notissima, vid. *Part. II. Loc. LXXXIII. obj. 1. LXXXIX. obj. 3.* ubi probatum dedimus testimoniis Judæorum, omnibus gentibus natura impressam esse Legem. Si inscriptam habent animis Legem, habent qvoqꝫ notitiam Legis. Si Legis præcepta natura habent cognita, habent qvoqꝫ notitiam Legislatoris. Et qvia una in omnibus hominibus Lex est, unum qvoqꝫ Legislatorem esse oportet. Et qvia si contra hanc Legem

inscriptam

inſcriptam peccant, ſentiunt morſus conſcientiæ, etiamſi nemine conſcio deliqverint, hujus unius Legislatoris providentiam ac juſtitiam confitentur; cujus etiam omnipotentia ipſis obſcura eſſe non poteſt ſive ſui ipſorum ſtructuram ac originem, ſive mundi machinam extra ſe mirabilemqve omnium creaturarum conſervationem contemplentur, qvam à nullo alio eſſe, qvam ab eo, qvi Legem immutabilem ſuis inſcripſit pectoribus, facile reperiunt. Per naturam ergo ſciunt DEI exiſtentiam, unitatem, providentiam, omnipotentiam. Manifeſtari hæc iis per Iſraëlem aut Patriarchas nihil opus erat. Qvod ſi ergo horum notitia ſalvat, & Gentiles ſunt ſalvati, ad minimum doctiores, qvi principia ſecum nata ſtudioſe excoluerunt. Aut ſi illi ſalvari non poſſunt per hanc unius Creatoris Conſervatorisqꝫ rerum omnipotentis notitiam, neqꝫ Judæi ſalvari poſſunt, qvia nihil amplius de DEO tenent, qvam qvod natura notum erat. An hoc de ſanctis Patriarchis aſſeres? Aliam ergo doctrinam eſſe oportuit qvam Gentibus tradidit Abraham. Nam ſi qvæ natura nota ſunt, tantummodo explicuit, non majorem gratiam ab orbe iniit, qvam Plato, Ariſtoteles, alii. Cedo ergo qvod verbum prædicavit?

4. *Præcepit domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodirent viam Domini & facerent judicium ac juſtitiam.* Gen. XVIII. 19. *Conf.* Eſ. LI. 2.

R. Qvid eſt via Domini? Si legalem intelligis, multo eam melius docuit Moſes? Neqve vero Abraham eam tradere potuit, cum nondum lex eſſet data. Qvid eſt juſtitiam facere & judicium? Eſt גמילות חסדים *afflictis benefacere*, juxta mentem R. Alexandri, aut בקור חולין *ægrotos viſitare*, ut Rabbini plerique autumant vid. Jalk. Hatth. in h. l. At hoc præceptum jam ante ipſis notum erat

אף על פי שלא נתנה תורה ערין הגרה הצדקה מן
המצוות המושכלות ודבר מתועב הוא שיראה
אדם את מיני מוטל ברעב והוא עשיר ושבע
מכל טוב ואינו מרחם עליו להשיב את נפשו
אכזרי על מי שהוא דר עמו בעיר אחת

Etſi lex nondum data eſſet natura notum erat afflictis benefacere hominem debere. Eſt certe detestandum facinus, cum homo homi-

nem in inopia constitutum non sublevat, ipse in lauta & bene aucta parte positus, præcipue cum est ejusdem civitatis. Bech. in h. l. Nihilne amplius docuit Abraham? Si hoc promissam hoc versu beatitudinem conciliat, ingens Gentilium multitudo cum Abraha in cœdo vivit. Aut si hoc durum videtur, agnosce viam hic intelligi Evangelicam, natura ignotam omnibus, revelatam cœlitus, oppositam viæ hominis sibi relicti *Esa. LIII. 6.* in hoc consistentem: *Qui est in semine Abrahæ, is benedictionem adipiscitur, Act. XVIII. 25. 26.* Hæc via docet *judicium & justitiam facere.* Messias semen Abrahæ judicii ac justitiæ autor est *Es. IX. 7. Jerem. XXXIII. 15.* Qvi in Messia est is facit judicium ac justitiam, i. e. veram pœnitentiam agit *Hos. II. 19.* Hanc viam & ipse tenuit Abraham *Joh. VIII. 56.* & posteros suos docuit, qvi tamen eam impie postea deseruerunt. Unde & non amplius *filii Abrahæ*, sed *semen adulterinum* vocantur *Es. LVII. 3. γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς Matth. XII. 39.*

5. *At notum tamen est nullam benedictionem aut salutem animæ nationibus orbis obtingere, nisi interventu gentis Israëlitica* Num. X. 32. Esa. XIV. 1. 2. C. LVI. 6. LX. 3. Zach. II. 11. C. VIII. 23. Ps. LXVII. 1. seq.

R. Bene: ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν inqvit Salvator, *Joh. IV. 22.* At Filios intelligit qvi in fœdere permanserunt, non spurios Apostatas. Filii intelliguntur in locis adductis, à qvibus tamen alienus est locus, *Num. X. 29. 32. si iveris nobiscum benefaciemus tibi.* Is enim non agit de conversione Chobabi. Erat enim jam ante conversus, qvod nominis mutatio innuit חובב הוא יתרו שקראו לו שם חדש כשחזר לתורת וישראל כי כן דרך כל מתגייר כי לעברוי יקרא שם אחר *cum enim antea Jitro vocaretur, aliud ipsi nomen positum est postqvam sacra Israëlis amplexus esset, sicuti mos est Proselytorum nomina mutare, ut patet Es. LXV. 15.* Locus *Esa. C. XIV. 1. 2.* loqvitur de filiis Abrahæ fœdus servantibus: de iis qvorum Deus miseretur. Jam vero ÐEUS non miseretur eorum, qvi solum verbum Legis habent. Hoc enim iram operatur *Rom. IV. 15. Deut. XXVII. 26.* sed qvi habent verbum promissionis *Rom. IV. 13. Es. LVI. 3.* agit de pœnitentibus *v. 1.* אמר רבי נתן גדולה תשובה

תשובה שהיא מקרבת את הגאולה שנ׳ שמרו משפט ועשו צדקה *Dixit R. Natan: Magna est pœnitentia, siqvidem causatur salutem ut dicitur* Es. LVI. 1. *Servate judicium & justitiam* vers. 7. *Adducam illos in montem meum sanctum:* de iis qvi servant Sabbatum i. e. qvi cavent sibi מעשות כל רע *ne faciant qvidqvam mali*, qvod est καταπαύ ειν ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ *Hebr. IV. 10.* id qvod præstare non possunt impœnitentes, in qvos adhuc dominatur concupiscentia prava; qvi qvod nondum sunt cum DEO reconciliati, DEI opem in subigendo hoste interno sibi polliceri haut possunt conf. *us. v. 8. obj. 4. Es. LX. 3.* agit de iis qvi Trinitatem in unitate venerantur. Est enim hic PATER qvi *v. 7.* ait, *offerent in altari meo gratas mihi victimas*, est hic FILIUS, de qvo *v. 1.* Pater: *venit Lux tua &c.* Hæc Lux Messias vid. Jalkut Hatth. in h. l. item Bech. in *cap. I. 2. Genes.* Gloria Jehovæ: est enim hic כפל הענין *exergesia*, Kimch. in h. l. גואל *Redemtor* qvem Pater promittit *C. LIX. 20. Veniet Sioni Redemtor &c.* Est SPIRITUS S. qvem itidem Pater promittit *LIX. 21. Spiritus meus non recedet de ore tuo &c. Zach. II. 11.* agit de iis, qvi agnoscunt DEUM habere filium ὁμοούσιον, qvi habitat in Ecclesia sua, qvi est Dominus Ecclesiæ, æqve ut Pater *v. 11. Erunt mihi in populum & habitabo in ipsis, & cognosces JEHOVAM me misisse. Ps. LVII.* agit de iis qvi non ex merito sed ex gratia benedictionem dari sibi postolant *v. 1.* Describe jam ex his veritatis cœlestis propagatores. Ji sunt, qvi non propriis operibus sed Messiæ unici Redemtoris merito cum DEO Triuno reconciliati, non secundum carnem, sed secundum spiritum vivunt. Tales erant Apostoli, qvi hanc ab antiqvissimis Patriarchis traditam & cum postea tenebris involuta esset, à CHRISTO luci redonatam doctrinam omnibus prædicarunt gentibus. Nullæ hic partes Judæis, Apostatis, impœnitentibus, operariis.

Usus ex vers. 15.

VASTITAS TERRÆ CANANÆÆ QVÆ HIC PRÆDICITUR JAMDUDUM EST IMMISSA: ERGO MESSIAS JAMDUDUM VENIT juxta illud *Gen. XLIX. 10. Non recedet*

ſceptrum de Juda, donec venerit Siloh. Objicit Abramides noſter *cap. XIV.*

ſceptrum jamdudum ante JESU nativitatem fuit ablatum up. tempore Zedekiæ.

R. שבט notat pariter dignitatem ac poteſtatem regiam. *Amos. I. 8. Exſcindam* תומך שבט מאשקלון *tenentem ſceptrum in Aſcalon.* Jam vero Philiſtæi nullos habuere Reges, ſed tantum סרנים *Proceres.* Dignitas regia ablata fuit tempore Captivitatis Babylonicæ, ſiqvidem poſt Zedekiam nemo ex tribu Juda Rex præfuit Judæis. At poteſtas regia manſit penes tribum Judæ, ex qva Serubabel Æchmalotarcha, qvia ſe genitos Principes per totam templi ſecundi ætatem reliqvit. Ipſe hoc aſſeris Rabbi: *Per omne ſpacium qvo templum ſecundum fuit ſuperſtes, etiam cum Sacerdotes borumq; ſervi imperarent, non decerant Principes ex domo Davidis ortum trahentes, Serubabele geniti.* Imo in ipſa captivitate Babelica hoc ſenſu ſceptrum manſit incolume, ipſo R. Salomone locum ita explicante אלו ראשי מלכות שבבבל שרודים את העם בשבט שממנים על פי המלך *Per Schebbeth qvoqve Æchmalotarchæ innuuntur, qvi in captivitate B. in populum dominati ſunt ſceptro, regia autoritate conſtituti.* Conſervata autem fuit regia poteſtas in Synedrio, qvod ne ipſo qvidem in exilio Babylonico intercidit, ceu ex his Chaldæi verbis in *Cant. VI. 1.* patet ומרו עלמא קבל צלותהון ברעוא ונחת לבבל לסנהדרין דחכימיא ויהב רוחא לעמיה *Dominas mundi exaudivit ipſorum preces, deſcenditqve in Babel ad Synedrium ſapientum, deditqve populo ſuo relaxationem.* Soluta captivitate usqve ad excidium finale ſemper in Synedrio ſummæ rerum præfuit Princeps ex familia Davidica, uti eſt in Zemach David *Part. I. pag. 35. col. 1.* הוא המנהג בורשלים שעם הוא המלכות מבית חשמונאים ואחריהם מבית הורדוס היה תמיד היה נשיא מבית דוד כי המלך היה המוציא והמביא במלחמה ועל דברי המלכות אבל כל דברי תורה חוקים ומשפטים על פי הכנ"ג והנשיא

Erat

Erat mos Solymæ, ut, quanquam imperium penes Chasmonæos & postea penes Herodem esset, semper tamen Princeps ex genere Davidis dominaretur: Nam sub regis curam cadebant res bellicæ & imperatoriæ: Verum omnia quæ ad Legem statuta ac judicia pertinebant, Pontificis maximi & hujus Principis arbitrio administrabantur. Ita olim cum Judaica Republica comparatum erat. At nunc plane omnis potestas regia una cum Synedrio intercidit.

2. Per *Mechokek intelliguntur Æchmalotarchæ, quorum maxima pars genus ad Davidem refert, Doctores & Magistri, ceu ut alias vocantur Sapientes ac Scribæ, quales adhuc præsunt populo:* conf. Jud. V. 4. *ubi* Mechokek *per* trahentem stylum scriptorium *explicatur.*

R. 1. Mechokek est cujus cura versatur circa conservationem חקי ם *legum ceremonialium*, quæ hodie plane sunt ablatæ, utpote quæ ad terram ac templum Hierosolymitanum restrictæ erant. Ergo & ipsa potestas circa eas cessat. 2. Rabbinorum Sapientum Judæorum potestas non versatur circa leges divinas, sed circa traditiones humanas. Postquam enim illæ Leges jam sunt abrogatæ, nullam amplius vim legum habent ex autoritate divina. 3. In loco allegato Chaldæus, Raschi, Kimchi, per Mechokek Principes intelligunt. Sic & שבט סופר non *stylum scriptorium*, sed *potestatem Legislatoriam* notat. Conf. *Es. X. 1.*

3. *si regnum à Juda recessit, ne ipse quidem JESUS Rex esse potest, quem tamen è domo Davidis ortum Regem fuisse supponunt christiani.*

R. Spiritualis Rex D. n. JESUS est, non politicus. Ipse textus hanc distinctionem suppeditat. Idem dicit, recessurum sceptrum de Juda: Idem, Schiloh seu Messiam, qui è domo Judæ est, fore Dominum gentium. Hæc pugnant, nisi illic de politico, hic de spirituali regno agi concedas.

4. *DONEC hic non determinativum est, sed idem notat quod NUNQUAM ut* Gen. XXVIII. 15. *Non deseram te donec perfecero.*

R. Hoc loco terminat. Si negas, cedo Regem ex tribu Juda oriundum cujus potestas circa leges forenses: cedo Mechokek,

cujus.

cujus potestas circa leges ceremoniales versetur. Utraqve ad terram & templum erat adstricta potestas. Nisi plane deliras, concedes eam jamdudum intercidisse. Leges forenses ac ceremoniales pro fine habebant Messiam. Illæ præfigurabant officium CHRISTI regium, conservabantqve populum Judaicum ac imprimis illam familiam ex qva CHRISTUS nasciturus erat. Hæ præfigurabant officium CHRISTI Sacerdotale & Propheticum. Durare ergo debebant hæ leges usqve ad Messiæ adventum, eoq; exhibito abrogari, qvia exhibito fine nulla amplius opus est actione ob finem. Si ergo negas Messiam venisse, producendus tibi est usus Legum Messiam præfigurantium. Aut si eum probare haut potes, fatendum Messiam venisse.

5. *Textus consolatorius & promissorius est. Non ergo ablatio sceptri Judaici indicitur.*

R. 1. Umbratilis ac typici sceptri ablatio denunciatiatur, qvo remoto spirituale ac antitypicum sceptrum succedere, clariusqve explendescere posset. Hæc autem magna benedictio. 2. Non omnis potestas, sed typica tribui Judæ adimitur. Manere penes illam aut reliqvas tribus potestas potuisset politica, si se conformes gessissent DEI voluntati, etsi non ad leges Mosaicas restricta. Iis enim libere, non autem ex mandato DEI, porro uti potuissent.

Usus ex versu 16.

POLITIA JUDAICA TOTA CUM OMNIBUS URBIBUS CECIDIT. ERGO CESSAT ETIAM DISCRIMEN CIBORUM, QVOD AD POLITIAM JUDAICAM UNICE ERAT ALLIGATUM. Minorem probat experientia cum versu exposito collata. Consequentiam illustrat *Act. X. 13.* Rabbi Isaac *cap. XV.* huic doctrinæ opponit.

Deut. XIV. 3. *Ne comedito ullam rem abominabilem. v. 4. Hæ sunt bestiæ qvas comedatis.* Lex. XI. 24. *sancti sitis neqve polluatis vos reptilibus* conf. C. XX. 25. *Dantur ergo cibi impuri qvi pollunt corpus, & per corpus animam.*

R. 1. Duplex est impuritas, alia naturalis alia signativa. Illa cibis tribui non potest. Omnis enim bestia & cibus creatura DEI est, ac

est, ac propterea naturalem habet bonitatem non impuritatem aut malitiam. Atqve hinc etiam omne reptile promiscue homini in cibum concessum *Gen. IX. 3.* Conf. *Part. II. Loc. XVIII.* Tribuitur ergo signativa. Sic cum leo, lupus, ursus rapacitate, vulpes vafritie, sus impuritate, lepus libidine &c. reliqvas bestias antecellerent, DEUS ipsorum esu Judæos interdixit, ut eos doceret non esse commercium habendum cum operibus hominum injuriosorum, impurorum Conf. *1. Cor. V. 9. 10. 11.* Non ergo 2. Deus tantum imperavit abstinere ab illis cibis, sed simul etiam præcepit abstinere ab eo qvod cibi hi typice adumbrabant. Atqve hæc erant opera tenebrarum. 3. Si illis cibis polluitur corpus, qvare Judæi qvi illis abstinent, non sunt vivaciores Christianis? qvare æqve ac illi morbos patiuntur? 4. Falsum est à corporis impuritate infici animam. Corporis enim impuritas inde est. Qvod abundat corpus humoribus pravis. Atqve hoc malum naturale est. Hic autem de impuritate morali sermo est, qvæ sanctitati opponitur, morali perfectioni. *Sancti sitis neqve polluatis vos reptilibus. v. 26.* Hujus πρῶτον δεκτικὸν est anima, non corpus. Si per impuritatem corporis inficeretur qvoqꝫ anima, nullus ægrotus posset sanctus esse. 5. *Lev. XX. 26.* non obscure innuitur qvod cibi illi vetiti commercium cum impiis gentibus designent. *Estote sancti: nam separavi vos à gentibus v. 25.* dicitur: *Ne polluatis reptili animas vestras.* Qvo cibo animæ polluuntur, ille non ex bestiis apparatur, siqvidem omnes bestiæ bonitatem naturalem habent. Ergo designabit commercium cum operibus impiorum. Confer *Es. LXVI. 3. 17. Zach. IX. 7.*

Ipsi Apostoli jusserunt abstinere à sanguine & suffocato.

R. Responsum est *Part. II. Loc. XVIII. Obj. 3.*

Usus ex vers. 17.

QVI PECCAT CONTRA JEHOVAM, ILLI HIC POENA INDICITUR TAM TEMPORALIS QVAM ÆTERNA; QVI VEL UNUM DEI PRÆCEPTUM VIOLAT, PECCAT CONTRA JEHOVAM. ERGO. Major est in versu explicato. Minor autem habetur, *Deut. XXVII. 26. Maledictus qvi non servat*

omnia verba Legis Conf. *c. XXVIII. 58.* Ex hoc loco Christiani Judæos *cap. XVI.* convincunt qvod universi maledictioni Legis subjaceant, siqvidem nemo ipsorum possit servare omnia legis præcepta. Respondet Rabbi

1. *Non is dicti sensus est, qvod maledictus sit, qvi non servat omnia affirmativa & negativa Legis præcepta; Id enim nullus homo præstare potest, ne Moses qvidem præstitit, Legis promulgande Minister. sed is sensus est: Maledictus qvi non servat omnia præcepta, ad qvæ servanda se offert occasio.*

R. 1. Hoc vis Rabbi; Vos hodie non posse reos peccati agi, eo qvod non servatis omnes leges forenses ac ceremoniales à Mose datas, Harum enim implendarum vobis deesse occasionem, cum regione ea careatis, ad qvam Leges hæ sunt alligatæ. Puerile χρησφύγετον hoc est. Qvis legum harum servationem à vobis postulat, qvas cum ipsa politia jamdudam intercidisse extra controversiam est? An solas has leges tulit Moses? An eas in perpetuum servandas dedit? Annon ipse fateris Mosen maledicere iis qvi non servant Omnia à se lata præcepta? Etsi enim Omnia in loco allegato expresse non exstat, tamen de omnibus præceptis se loqvi profitetur aperte Moses *c. XXVIII. 58. Nisi observans feceris OMNIA præcepta Legis hujus &c.* Potissimum ergo Mosi sermo est de præceptis moralibus, qvorum illa, de qvibus Tu loqveris, appendix tantum erant, ad certum tempus duratura, *Gen. XLIX. 10.* 2. Affirmativorum præceptum dirigens est: *Diliges DEUM ex toto corde:* Negativorum *Non concupisces.* Cum ergo concedas de omnibus affirmativis & negativis præceptis hic agi, non excludes duo hæc primaria. His exercendis nullo tempore nullo loco tibi deest occasio. Explora ergo te, an hæc duo servare possis. Si affirmas: Ipsa prava concupiscentia, qvæ per naturam animo tuo insita est *Gen. VI. 6.* tibi reclamat. Si enim habes concupiscentiam, concupiscis. Si concupiscis non diligis DEUM ex toto corde. Abstrahit enim te concupiscentia tua ab amore DEI ad te ipsum. Dum ergo hæc duo præcepta non præstas, non manes in omnibus qvæ Moses præcepit. Qvid Mosen censes? absolvitne te an damnat? Recte negas Mosen ipsum servasse præcepta Legis

Legis omnia. At scito, hoc non ideo factum, qvod ipsi defuit præstandæ Legis occasio, sed qvod per peccatum ἠχρειώθη *ineptus ac inutilis factus fuit* ad DEUM perfecte diligendum timendumq; *Rom. III. 12. Psl. XIV. 3.* Majores tui tempore Salomonis occasionem habebant omnium exercendorum præceptorum, & tamen Salomon affirmat: *Non est homo qvi non peccet, 1. Reg. VIII. 46. Prov. XX. 19. Eccl. VII. 21.* qvem postremum locum ita exponit Abenesra: אין אדם אשר לא יחטא בפיעל או בדבור או במחשבה *Nemo est qvi non peccet vel opere, vel verbo, vel cogitatione.*

2. *Etsi oblata servandorum præceptorum occasione qvædam transgrediatur Israël præcepta, victus concupiscentiæ violentia, cum nullus homo sit super tera qvi non aliqvando peccet, tamen propterea non statim maledictioni subest, dummodo per veram ac seriam pœnitentiam se ad DEUM recipiat, exemplo Davidis.*

R. Ita est, per pœnitentiam homini patet aditus ad gratiam. At pœnitentia hæc non debet esse Rabbinica, sed Davidica. Illam ita describis מי שיעבור קצתן מתגבורת תאותו ואחר כך יתחרט וישוב מחטאתו אינו נכנס בכלל האורים *Qvi transgreditur præcepta qvædam concupiscentiæ impetu tractus, postea vero contevitur, peccatum confitetur, & à peccato posthac abstinet, ille non referendus est in numerum maledictorum.* Hypocriticam hanc esse pœnitentiam & plane otiosam ostendi supra *pag. 54. 55.* Davidica vero est, qvæ præter contritionem, confessionem, peccatiqve detestationem *Psl. LI. 19. 5. 6. 7. 9.* includit fidem in Messiam *Psalm. II. 12. Psl. XX. 10. Psl. CXXX. 4. 7. 8.* Conf. *Ex. XXIII. 22.* Conf. *Part. II. Loc. LI. pag. 126. Psl. XXVII. 8.* in promissiones de Semine benedictionem parante ac conferente *Psl. CXXX. 5. Psl. LXXXIV. 30. Psl. XXI. 7. Psl. XXIV. 5.* Hæc fides recumbit in DEI misericordia *Psl. LI. 1. Tit. III. 5* petit absolutionem peccatorum *Psl. LI. 4. 9.* non per aqvam typicam, qvæ non nisi externam afferebat munditiem, *Hebr. IX. 13.* sed per sangvinem CHRISTI, qvæ vere purgat conscientias à peccatis *Es. LIII. 5. Hebr. IX. 14. 1. Joh. I. 7. 1. Cor. VI. 11.* Gloriatur justitia aliena *Psl. LI. 16. Psl. IV. 1. Es. III. 11. Jer. XXXIII. 16. Phil. III. 9.* Illa liberi arbitrii est ac proinde hypocritica, vide *p. 55.*

Hæc tota gratiæ divinæ est, adeoq; vera ac sincera *Ps. LI. 17. 18. 19.* Illa qvia hypocritica est maledictionem non tollit, *Ps XXXII. 3. 4. 5. Prov. XXVIII. 13.* Hæc qvia sincera est sublata maledictione *Ps. LI. 11.* benedictionem confert *v. 9. 10. 12. 13. 14.* Qvid multis? Nitebatur David veritate in typis latente *vers. 8.* Dic sodes qvænam est אמת בטוחות וחכמה בסתום *veritas in abscondito, sapientia in occulto*, cujus notitia se exhilarari postulat contritus & contusus David? *Veritatem in renibus* vertit Kimchi, hoc modo exponens: אף ער"ה פי שחטאתי היצר גבר עלי אבל לא עלה בלבי ובכליותי למרוד בך ובמצוותיך אלא התאוה הסיתה אותי לעבור אבל לא על דרך מרוד ועתה אני מתחרט והחרטה תהיה לאות כי לא עשיתי במרד *qvod peccavi, feci ex præcipitantia qvadam affectuum, non qvod mihi proposuerim in corde & renibus à Te Tuisq; præceptis deficere. Decepit me prava concupiscentia ut præceptum transgrederer: non peccavi ex contumacia. Ac nunc de peccato doleo, qvi dolor testimonium est me non peccasse ex contumacia.* Vide mihi qvo tandem prorumpat Judæorum hypocrisis. Cædem & adulterium qvod David perpetravit dicunt esse peccatum infirmitatis, non ex destinato consilio sed ex affectuum præcipitantia profectum. Mortale peccatum fuisse fatetur ipse David *2. Sam. XII. 5. 6. 7 13.* Conf. *C. XI. 2. 3. 15.* qvod sibi omne solatium adimerit *Ps. LI. 10.* seq; Spiritus S. inhabitatione gratiosa privaverit *v. 13.* de qvo non nisi post plurimorum mensium decursum doluit, & qvidem verbo Legali Natanis territus: confer *2. Sam. XI. 5. 15. C. XII. 13.* Ita ex suo ingenio Davidem spectant flagitiosissimi Judæi, gravissima scelera affectuum præcipitantia palliantes. Nunqvam remissionem peccatorum accepisset David, si tam tenuiter sensisset de peccato suo; Vid. *Ps. XXXII. 2. 3. 4. 5.* Qvid ergo est Kimchio *veritas in occulto?* Est *bonum illud propositum non peccandi, qvod in ipso peccato retinuit David, qvodq; in mentem Davidi à DEO revocatum magno ipsi cessit solatio.* A pagе turpissimam hypocrisin! Veritas in occulto est Evangelium de remissione peccatorum propter CHRISTUM; à Paulo vocatur σοφια εν μυστηριω, *1. Cor. II. 7. 8 9.* qvæ descriptio ex hoc loco desumta est. Hoc verbo nixus David veniam peccatorum obtinuit.

3. Is

3. *Is maledictus est, qui negat verba Legis esse verba* DEI, *non is, qui non implet. Dicitur enim* אשר לא יקים qui non confirmaverit, *non*, אשר לא יקים או לא יעשה qui non impleverit aut fecerit. *Aut qui dicit quædam præcepta esse supervacanea, quia ea ex tali hypothesi implere recusat.*

R. 1. Hoc vero est illud pharisaicum, DICUNT ET NON FACIUNT. *Matth. XXIII. 3.* Cui merito opponendum tritum illud אין המדרש אלא מעשה οὐκ ἀκροατὴς ἀλλὰ ποιητὴς τοῦ νόμου δικαιωθήσονται, *Rom. II 13.* 3. יקים Rabbino est *confirmabit, credet esse* DEI *verba.* Quid notet יקים ex opposito ejus videre est: *Non cecidit ullum verborum, quæ locutus est* DEUS, *in terram Jos. XXI. 45. 1. Reg. VIII. 56.* Ut ergo qvod cadit in terram, non impletur, ita qvod non cadit, qvod stat, impletur. Ergo qvi הקים *stare facit* præcepta Legis, ille *implet*, ille ἐμμένει ἐν λόγοις τοῦ νόμου, ut Græci & Paulus *Gal. III. 10.* transtulerunt. Conf. *Jerem. XXXI. Hebr. VIII. 9.* Ergo non implenti denunciatur maledictio, 3. Nil vos juvat hæc σφεβλόγης, Apellæ. Si enim ponam הקים hic significare *credere, confirmare*, ac *alios docere*, non nuda notitia aut doctrina vobis injungitur, sed talis, qvæ conjuncta est cum obligatione implendi. Additur enim לעשות אותם *ad implendum ea.* Qvam firmiter ergo obligati estis ad credendum divinam præceptorum autoritatem, tam firmiter qvoqve obligati estis ad ea servanda. Si ad servanda omnia præcepta obligati estis, nec tamen servatis, qva fronte à reatu æternæ maledictionis vos eximetis?

4. DEUS, *dum dedit populo suo Legem, non proprium, sed populi sui commodum spectatus est, ut eum per legem bearet.*

R. 1. Ergo non DEI gloria, sed Judæorum salus, primarius scopus legis est. Stupendam arrogantiam, qvæ suam gloriam DEI gloriæ præfert. 2. Finis legis est vel directus vel indirectus. Ille non est salus, sed maledictio, propter inhærens peccatum. Jubet enim Lex non concupiscere. Jam vero prava concupiscentia omnibus per naturam inest. Ergo omni, qvi concupiscit, maledicit. Indirectus est, compellere ad satisfactionem alienam. Pædagogiam hanc invenis Rabbi in *C. XVIII. Deut. 15. 16. 17. 18. 19.* qvem locum evolve & probe expende. Qvia ergo hanc pædagogiam præfracte negligitis, nulli alii usui vobis Lex est, qvam ut vobis maledicat. 5. *Imo*

5. *Imo qvod tam multa præcepta dedit, non alio fine factum, qvam ut merces populi augeretur in seculo futuro. Qvi unum præceptum rite servat, eum manet propterea merces in cœlo. Et qvo plura præcepta rite servat, eo amplior erit ejus merces. Hinc Moses tantopere desideravit intrare terram, ut observatione præceptorum ad terram alligatorum mercedem suam redderet ampliorem*

℞. Totum hoc unico fulmine de jicitur præcepti לא תתאון *Non concupisces.* Prius ejice de animo tuo concupiscentiam pravam Rabbi, deinde de præmii gratuiti in cœlo gradibus tecum disputabo. Qvamdiu concupiscentia in te habitat, nullum præceptum rite servas. Ea enim omnia tua opera coinqvinat, ut sint coram Domino באש *foetor Joel. II. 20.* בגד עדים *vestis menstruata Esa. LXIV, 6.* σκύβαλα *rejectamenta Phil. III. 9.* Qvid est rite servare præcepta? Ais כהלכתה *juxta traditionem Rabbinicam.* Hæc vero nihil scit de spiritualitate Legis. Legitima impletio est, qvæ fit TOTO CORDE, *Deut. IV. 5.* Talis excludit omnem spem mercedis. האהבה שהיא לתיחלת גמור כלום על מנת לקבל פרס לא תהיה אהבה גמורה *Amor qvi fit spe mercedis aut præmii, non est perfectus amor.* Ac talem amorem in DEUM ab Abrahamo removet Bechai in Leg. *fol. 32. col. 3.* Si ergo Moses spe mercedis amplioris desideravit intrare terram, qvo loco habebitur ejus in DEUM amor? Qvod si præceptorum ad terram adstrictorum servatio cumulum adddit beatitudini, Sanctissimi Patriarchæ, qvibus non licuit esse tam felicibus ut Mosaicis illis præceptis servirent in terra Cananæa, longe inferiorem gradum beatitudinis obtinent, qvam ipsorum posteri.

Usus ex vers. 18.

DEUS HIC כלה FINALE EXCIDIUM DENUNCIAT. FINALE POLITIÆ EXCIDIUM JAM EST IMMISSUM. E. NULLA EST SPERANDA POLITIÆ JUDAICÆ RESTITUTIO. Idem sibi à Christianis objectari ait Abramides *C. XVII.* colligiqve ex eo qvod maledictionibus *Deut. XXVIII. 15. seq.* indictis nulla subjicitur consolatio, uti maledictionibus *Lev. XXVI.*

41. 42.

41. 42. denunciatis subjungitur. Has ergo respicere captivitatem Babylonicam, ex qva Judæi post LXX. annos liberati: Illas autem exilium Romanum, ex qva nulla liberatio. Qvam hæc habeant firmitudinem jam non examinamus. Rabbi noster respondet ita:

1. *Utrobiqve agi tam de Babylonico excidio qvam de Romano: Utrobiqve liberationem promitti ex utraq; captivitate.*

R. 1. Qvamdiu terra Canaan typum gerebat terræ viventium, solatia maledictionibus subjecta reductionem inferebant tam in externam qvam in internam ac spiritualem terram. Jam vero postqvam pedagogia illa terræ typica plane desiit, sublatis templo, sacrificiis, politia, nulla posthac in externam terram speranda est reductio. Qvidqvid enim in terra illa institutum erat, respiciebat Messiam, qvo exhibito nulla amplius pœdagogia opus. Ergo si adhuc Judæis concedenda spes reditus in patriam, spiritualis illa reductio erit, qvæ nihil aliud est qvam receptio in Ecclesiam CHRISTI. Ea autem fit per veram pœnitentiam, à qva moderni Judæi longe absunt. Confer qvæ supra dicta sunt *pag.* 47.

2. *Liberationem ex Captivitate Babylonica non fuisse perfectam, cum X. tribus tum temporis non fuerint reductæ, neqve reductæ libertatem plenam acceperint sub Persarum Græcorumqve dominio viventes, donec denuo à Romanis in omnes dispergerentur terras: neqve regia dignitas ad familiam Davidicam redierit &c.*

R. In qvonam consistit perfecta liberatio qvam *Deut. XXX.* promitti ais? Describam eam tuis verbis הפרשה הזאת כוללת כל הנחמות לפי שהוא מיעד גאולתנו וגאולת נפשנו שהוא הגאולה השלמה הכוללת *complectitur hæc pericopa omnia solatia. Promittit enim liberationem nostram & redemtionem animarum nostrarum. Hæc est perfecta & completa redemtio.* His ais promitti redemtionem animarum. Cum ergo animam corpore longe præstantiorem esse, nisi plane brutum es, negare non possis, animæ redemtiorem hic primario promitti concedas oportet. Hæc animarum redemtio Israëli toti offertur, at non impœnitenti, sed vere pœnitenti *Deut. XXX. 1. si per verbi prædicationem sollicitatus pervolveris animo tuo qvam*

tua

tua apostasia benedictionem perdideris, qvam maledictionem incurreris, v. 2. *si verbo spiritus s. non restiteris, contritionem & fidem operanti* v. 3. *reducet te* DEUS *à commercio impiorum operum* v. 4. *ubicunqve fueris terrarum* v. 5. *in veram patriam, cujus Patriarchæ hæredes fuere* v. 6. *vires dabit vincendæ pravæ concupiscentiæ, cui hactenus per impœnitentiam servisti* v. 7. *maledictiones qvasvis à te aufferet* v. 8. *contra benedictiones qvasvis in te conferet &c.* Ais 2. promitti liberationem externam. Ea accessit huic redemtioni, qvæ אף על פי שאתה חוצה לארץ חשם וישוב שבותך *etiam in ipso exilio Israeli poterat accidere*, ut recte in h. l. annotat Abenesra, tanqvam symbolum DEI pacati; At ea tamen secundaria tantum erat, nec diutius locum habere potuit, qvam pædagogia terræ typica duraret. Debebant autem Leges forenses & ceremoniales durare usqve ad Schiloh *Gen. XLIX. 10.* Atq; hanc ἀυξονομίαν Judæis concessit Cyrus, donec Messia exhibito abrogarentur leges illæ in æternum, tanqvam res non amplius utilis. Cum ergo jamdudum exhibitus sit MESSIAS, soli internæ reductioni Judæorum adhuc locus est, externæ nullus. Hæc animarum redemtio 3. spectatur vel ratione oblationis, vel ratione applicationis. Illo modo universalis est ac toti patuit Israëli: Hoc autem qvia includit pœnitentiam, particularis. Hinc est qvod ea X. tribubus tempore Cyri non obtigit. Cyrus omnes vocabat: *Qvisqvis pertinet ad populum* DEI, *ascendat Solymam Esr. C. I. 3.* Qvia ergo X. tribus non profectæ, apparet qvod tum non amplius pertinuerint ad DEI populum. Similiter universo Israëli ac Apostolis fuit prædicata pœnitentia. *Rom. X. 18. C. XI. 26.* Qvod non omnes conversi, impœnitentiæ ipsorum dandum. Qvod si ergo 4. primario salus animæ promittitur, secundario reductio in avitam terram, & ἀυξονομίας conservatio ad CHRISTUM usqve, qvid ad perfectionem talis redemtionis opus erat libertate à Persarum Græcorumq; imperio? qvid dignitatis regiæ ad Davidicam familiam restrictæ restitutione? Annon sine externis istis ornamentis conservata est ἀυξονομία ad CHRISTUM?

Cap. II.

Cap. II.

Periocha VII. 1. 2.

Ita præmissa peccatorum & pœnarum descriptione, ad pœnitentiam agendam serio adhortatur Judæos Propheta, gravibus usus argumentis. Pœnitentiæ indictio in his verbis est: EXCUTITE VOS EXCUTITE VOS, O GENS PUDORIS VACUA. Argumenta tria adhibet, qvorum I. ductum à judicii propinqvitate, ANTEQVAM PARIAT DECRETUM, II. à temporis qvod veniæ datum, fugacitate, SICUT GLUMA TRANSIT DIES; III. ab evitandi supplicii possibilitate: NE VENIAT IN VOS ÆSTUS IRÆ DEI: NE VENIAT IN VOS DIES IRÆ DEI.

Resp. Jocahim. Christoph. Baltasaris Gryphisw.

Sensus Abarb.

Cap. II. 1. *Excutite conscientias vestras ò gens omnibus gentibus exosa! v. 2. Ne decretum effectui detur. Eritis enim instar glumæ, cum dies transiit. Ne veniat in vos æstus iræ DEI, ne veniat in vos dies iræ DEI.*

NOTÆ.

IN pœnitentia agenda comparantur Judæi cum stipula. In qvonam autem tertium comparationis consistat, dissentiunt interpretes. Alii putant eos conferri cum stipula aut stramine ratione inqvisitionis & accuratæ collectionis: Ut qvemadmodum stipula aut stramen studiose inqviritur ac colligitur, ita & sua inqvirant opera. Alii ratione excussionis, ut qvemadmodum stramen concutitur ut grana extrudantur, ita & ipsi non dedignentur suscipere legales castigationes, ut excutiantur, & ita appareat qvod nihil aliud sint qvam inanis stipula. Illam expositionem seqvitur Kimchi, Esra, Drusius, Munsterus. Hanc præferre videtur Tremellius. Atqve in eum qvoq; inclinat noster, cujus hæc sunt verba:

הענין כולו שיחפשו במעשיהם ובמומיהם וכז שיקבלו
וסיריס ער עצמם ומלקיורת ער עונותיהם ער
שיהיו כמו הקש שולקחו הארם להריקו *sensus est, ut inqvirant in opera sua ac vitia, nempe ut in se ipsos sucipiant castigationes & plagas propter peccata sua, usqve dum fiant sicut stipula, qvam concutit homo ut eam perqvirat.* Utrumcunqve velis, elige, compos eris.

2. Populus qvi ad resipiscentiam stimulatur, vocatur עם לא נכסף Pagnin. *Gens non desiderabilis.* A qvonam? Respondet Rabbi הגוי שאינו נחמר ולא אהוב אצל אומה מהאומות *gens qvæ non desideratur nec amatur à qvapiam alia gente.* At incongruum hoc est, 1. qvia נכסף nunqvam in scriptura passive sed semper active usurpatur *Ps. LXXXIV. 3. Gen. XXXI. 30.* 2. qvia absolute in textu ponitur, sine gravi ratione restringi non potest. 3. Si consideramus ob qvam rationem Judæi invisi fuerint gentibus, restrictio locum non habebit. Ratio erat, qvod in hoc populo conservabatur veritas & Ecclesia DEI, in qvam mundus naturali qvodam odio fertur. Qvia autem hoc tempore Judæi veritatem & pios ipsimet perseqvebantur, gentibus gratum faciebant officium, nec propterea ab ipsis odio haberi poterant, cum hoc pacto in suos mores transirent. Cum ergo 4. נכסף activæ significationis sit, & notet *gentem non desiderantem* ut Tremell. Munst. Drus. volunt qvidnam id sit qvod non desideret qværitur. Id qvod qvidem facile scopus innuit. Desiderat DEUS in Judæis desiderium. At DEUS non nisi boni desiderium desiderat, cultus sui & amoris in proximum. Hoc utroq; destituti erant Judæi. Chaldæus ita supplet עמא הרא דלא חמור למהב לאורתא *populus ille qvi non desideret reverti ad Legem.* Sed cum hæc vox alibi cum objecto suo semper constructa per ל inveniatur, hic autem plane absolute ponatur nescio qvi fiat ut magis inclinem in sententiam Patris Dn. Kimchi, אאזל כתב זה העם שאינו נכלם ולא יבוש ממעשיו מלשון רזל אכסוף באכסופי אפין *Pater meus p. m.* inqvit Radak, *scribit talem innui populum qvi non suffunditur rubore propter opera sua, illustratqve verbis talmudicis*

mudicorum Bava Bathra fol. 3. 1. *in qvo* אוכסוף *rubore ſuffuſum fuit* Confer Buxt. & Caſtell. utrumqve in radice כסף Qvis neget hanc qvam aptiſſimam eſſe explicationem & πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον? Exponit ipſe Zephanias ita *C. III. 5. impius neſcit pudorem* & Jeremias, *C. III. 3. renuit pudore ſuffundi* C. VIII. 12. *neſciunt erubeſcere*. Sed & Amſtelod. ita transferunt **du Volck das nicht verſchämt wird.**

3. Difficultatem qværunt in verbis: *Anteqvam pariat decretum, ut gluma tranſit dies.* Eſra ait inverſam eſſe orationem, eamqve ita ordinat: *anteqvam pariat decretum diem, qvo eratis ſicut gluma qvam auffert ventus.* Sic & Munſterus Grotius Tarnov. *anteqvam decretum pariat diem qvaſi glumam tranſeuntem* Lud. de Dieu. *anteqvam dies pariat decretum, ſicut gluma tranſit.* Noſter חק במקום הזה הגזרה האלהית שהיה ברעתו רצונו יה לשלח בם חרון אפו כפי עונותיהם וכאלו אמר הטובו דרכיכם קודם לדת אותו חק וגזרה אלהית וקודם שתצא לפועל בעולם שאם תצא והיה עוניכם אחרי היום החוא כמוץ אחרי שנרף שלא ישאר ממנו עד שם ושאריה *chok notat h. l. decretum divinum, qvo nempe decrevit* DEUS *immittere ipſis æſtum iræ ſuæ propter peccata eorum, q. d. Agite pœnitentiam anteqvam pariat illud decretum divinum, ideſt, anteqvam in effectum deducatur. ſi enim effectui dabitur, ſimiles erunt res veſtræ, poſtqvam dies tranſiit, glumæ vento ſublatæ, cui poſtea neqve nomen neqve reliqviæ remanent.* Fruſtra ſeſe torqvent in re plana: & qvod maximum eſt accentuationi fraudem faciunt ſine neceſſitate. Verba ita diſtingvuntur *anteqvam pariat decretum || ſicut gluma | tranſit dies. |||* Duo hic ſunt argumenta pœnitentiam ſvadentia, alterum ducitur à judicii propinqvitate; ait jam parturire decretum, agendam ergo pœnitentiam priusqvam excidium tanqvam infelix fœtus excludatur. Alterum ducitur à temporis, qvæ reſipiſcentiæ data eſt brevitate. Comparatur dies cum gluma ratione fugacitatis. Fallor an parallela ſint qvæ *Pſ. XC. 10.* leguntur כי גז חיש ונעופה *qvia abſciſſum volat, & nos*

volamus i. e. qvemadmodum ea qvæ falce secantur ventorum impetu rapiuntur celerrime, ita & nos abripimur. Instituitur autem comparatio inter homines & stipulam ratione fugacitatis annorum.

4. Major difficultas est in particulis בטרם לא & בטרם qvæ hic habentur. Noldius בטרם לא vertit NE vel UT NON Concord. *pag. 188. ita*, inqvit, *si qvid judico, rectius exprimitur textus & lingvæ idiotismus, qvam si qvis cum LXX. Chaldæo Syr. Arab. Pagn. Luth. Tigur. Ariæm. Angl. Belgic. Deod. Vernacula vellet exponere per PRIUSQVAM, nulla habita ratione particulæ* לא *seu cum Trem. Piscat. & Druf. per cum nondum, nam* בטרם *pro* CUM NON *habet usum, seu cum aliis per* ANTEQVAM NON *vel* ANTEQVAM NONDUM, *locutione latio haut qvaqvam cognita: not. 853.* postea tamen in fine hujus notæ scribit: *Interim qvia* לא *cum particulis interdum agit otium, &* בטרם לא ANTEQVAM CUM *ladit sensum, nemini litem intentare volumus qvi cum tot & tantis memoratis testibus illud per* ANTEQVAM *seu* PRIUSQVAM *verterit.* Abarbenel etiam negative accipit: אולי יחשוב חושב ממה שאמר בטרם לדת חק שאל כל פנים וולר החק אף שישובו בתשובה אבל שיתקוששו קודם לכן ביאר ואמר בטרם לא ובא עליכם חרון אף ד״ר מ״ה שאמרתי בטרם לרת חק לא ענינו קדימת זה לזה ושעכ״פ וולר החוק אלא שיתקוששו כדי שלא יבא עליכם אף ד״ר שחוא החפ *Forte qvis qvam cogitare posset ex eo qvod dixit: antequam pariet decretum; qvod nihilominus pariturum sit decretum, etiamsi resipiscant, nisi qvod prius debeant sese excutere. Proinde sese explicat plenius ac dicit: betherem lo veniat in vos furor Domini, q. d. Qvod dixi, antequam pariat decretum, non nudam præventionem notat, qvasi non obstante pœnitentia pariturum tamen sit decretum, sed id volo: Excutite vos ne veniat in vos furor Domini, qvi in vos erat decretus.* Hæc mens est Abarbenelis: Cum בטרם tam affirmative qvam negative significet, affirmative, ita ut notet קדימת דבר לדבר *nudam rei prioritatem*, negative, ut ita ponat actum priorem, ut neget & destruat posteriorem h. l. per בטרם לא deter-

determinari ad negativum significatum. Bona est hæc observatio & ex textus visceribus petita. Nam propterea Judæis indicebatur pœnitentia, ut actus inferendæ pœnæ inhiberetur. Ergo טרם affirmative non potest accipi. Cum itaqve utrumqve tam בטרם qvam לא בטרם negativum significatum habeat, recte utrumqve vertitur per *ne*. At nec incommoda ejus expressio est per *anteqvam*. Nam & *anteqvam* ita interdum ponit priorem actum ut non ponat sed destruat posteriorem. Æqve ut græcum πρὶν ἢ. Ita Maria dicitur gravida fuisse πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτὸς *Matth. I. 18.* ubi ita ponit prius, ut non simul inferat posterius. Sic Regulus rogabat CHRISTUM ut secum descenderet πρὶν ἀποθανεῖν τὸ παιδίον, hic ita ponitur prior actio ut posterior non ponatur, sed negetur, q. d. *ne moriatur puer.* Confer *Actor. XXV, 16.*

Usus ex vers. 1. Cap. II.

LEX NON CORPORIS TANTUM SED ET ANIMÆ ACTIONES SUB EXAMEN REVOCAT. UT ERGO NON CORPORIS TANTUM SED POTISSIMUM SPIRITUS RECTITUDINEM POSTULAT, ITA ET NON CORPORALES TANTUM AUT TEMPORALES SED ET SPIRITUALES AC ÆTERNAS PROMISSIONES HABET. Recte hoc urget Judæus *Cap. XVIII.* contra Pontificios, ostenditq; vitam æternam à Mose promitti, etsi id fiat בקיצור מופלג בלתי אריכות דברים *mira brevitate citra verborum amplificationem.* Consvasat autem promiscue tam Evangelicas qvam legales promissiones. Affert.

1. Lev. XXVI. 11. 12. *Ponam tabernaculum meum in vobis &c.*

R. Recte hoc explicas, Rabbi, de inhabitatione animarum & unione cum DEO, unde Israël filius DEI primogenitus, peculium DEI, peculium regium vocetur, de unione post mortem continuanda in æternum. Sed hæc inhabitatio supponit auditionem non verbi Mosaici sed verbi CHRISTI magni illius Prophetæ *Deut. XVIII. 15. 18. Joh. XIV. 23.* Cum ergo Prophetæ tabernaculi restitutionem pollicentur noli de externo tabernaculo cogitare.

Spirituale illud bonum est, de qvo plenius contra te actum supra *pag. 18. 19. 20.*

2. *Gen. XVII. 7. Ero tibi DEUS & semini tuo post te. Gen. XXVIII. 21.*

R. Est hic promissio de possessione ac fruitione DEI æterna שלא יסור ממנו בן מחיים בין לאחר מיתה *non recedentis à pio neqve in vita, neqve potest mortem* Bech. in *Gen. XVII. 13.* At hæc non est ex fœdere legali, sed ex Evangelico, qvod ante confirmatum non poterat aufferre Lex 430 annos posterior *Gal. IV. 17.*

3. *Huc pertinet sanctuarium cum vasis suis ac sacrificiis, qvæ ad expiandas purgandasqve animas erant instituta.*

R. Nihil hinc concludes nisi cum sacrificiis combines antitypum Messiam. Ex se enim victimæ illæ non poterant redemtionem præstare animæ, reatum infinitæ ac æternæ pœnæ sustinenti. Ita ergo recte inferes: Si sacrificia ex virtute Messiæ veri illius agni, *Esa. LIII. 4. Joh. I. 29.* reatum æternæ pœnæ aufferunt, seqvitur qvod oblatio sacrificiorum promissionem habeat vitæ æternæ.

4. *Lev. XVIII. 5. Qvi fecerit ea homo vivet in eis.* Deut. XXXII. 46. 47. Confer Genes. II. 17. *Qvo die comederis morte morieris.* Cui consonum est. *Rom. V. 12.*

R. Bona collatio est, bona & illatio: Qvod perdidit Adam Legis transgressor, illud conferre potest Lex rite servata. Eadem enim est Lex in statu peccati, qvæ erat in statu innocentiæ. Atqvi vitam æternam perdidit. Ergo. Noli hic subsistere Rabbi, sed qvia contracta post lapsum concupiscentia prava ad perfectam legis impletionem inutilis factus es, utere obsecro Pauli, qvem allegas, pædagogia ad Salvatorem Mundi. Expende imprimis *vers. 18. 19.*

5. *Deut. XXXIII. 29. O beatum Te Israel populе per Dominum servate!*

R. Recte hic benedictionem spiritualem intelligis. At scito eam non merito proprio acqviri, sed merito Domini. Confer *Genes. XXVIII. 14. Per semen tuum benedicentur gentes.* Confers aptissime *Es. XLV. 17. Israel servatur in Domino*, in qvo omnes fines terræ salvantur,

salvantur, *vers. 22.* cui omnes lingvæ jurant, *vers. 23.* Qvis ille sit, vide *Rom. XIV. 10. 11. Phil. II. 10.* Confer & *Hos. I. 7. Servabo Jehudam per Dominum DEUM suum.*

6. *Anima peccans exscinditur à facie DEI*, Lev. XXII. 3. *è populo suo*, Lev. XXIII. 29. 30. *Congregatur ad populos suos*, Gen. XXV. 8. Deut. XXXII. 50. *Unde patet Legem non servatam spirituales ac æternas pœnas, servatam autem vitam animæ æternam conferre.*

R. Optime. Doceat autem te hæc collatio, qvod cum æterna ac infinita pœna necessario referatur ad culpam infinitæ malitiæ, impuritas illa, ob qvam *Lev. XXII. 3.* ea indicitur, non sit externa tantum, sed simul tanqvam symbolum includat internam, qvæ est hypocrisis. Item qvod illa *Lev. XXIII. 29. 30.* in die expiationis imperata afflictio non consistat in externis corporis exercitiis, sed seriam & divinam μετάνοιαν inferat. Stolida enim illa exercitia corporis damnationem animæ non possunt amoliri. Conf. Buxt. *Syn. Jud. cap. XXVI.*

7. *Probatur ex voto Bileami: Anima mea moriatur morte justorum*, Num. XXIII. 10. *Ex* Psal. XIX. 9. Ps. XXVII. 13. Ps. CXVI. 7. 8. 9. Ps. XXVI. 9. Ps. XVI. 10. 11. Ps. XLIX. 16. Ps. XXV. 12. 13. Ps. XXXI. 20. Ps. XXXVI. 8. 9. Ps. LXXIII. 25. 26. *ubi de terra viventium, visione DEI, liberatione animæ ex inferno multa præclara habentur*, Eccl. III. 21. 22. C. XII. 7. Prov. XI. 7. C. XIV. 32. Cap. XXIII. 17. 18. C. XXIV. 14. Es. XLV. 17. Cap. LVII. 18. C. LVIII. 8. 14. 1. Sam. XXV. 29. Ez. XIIX. 21. 22. Cap. XX. 13. Job. XXXIII. 28. Zach. III. 7. Dan. XII. 2. *qvæ loca agunt de salute animæ & vita post mortem æterna.*

R. In Mose Prophetis & Hagiographis vitam æternam promitti abunde probasti. Qvia vero certum est Legem non promittere salutem æternam nisi exacte servantibus, parum tibi tuæqve hæc de promissa æterna salute notitia prodest. Dum enim concupiscentiam pravam habes, dum ei indulges continuanda impœnitentia, dum pœnam fracti fœderis, qvod cum Majoribus tuis DEUS inierat, juste fers, qvomodo gloriaberis te Legem servare? Nihil ergo Tibi in his promissis partis est.

usus

Usus ex vers. 2.

DECRETUM JAMDUDUM PEPERIT. E. ABLATÆ JAMDUDUM SUNT LEGES MOSAICÆ, NUNQUAM RESTITUENDÆ. Erat enim decretus finalis Reipublicæ interitus. Conf. *cap. I. 18.* Cessante autem politia cessant leges, qvæ pro ea latæ. Negat Rabbi *cap. XIX.* abrogatas esse à CHRISTO leges Mosaicas.

1. *Ipse JESUS negat se Legem & Prophetas dissolvere* Matth. V. 16. 17. 18. *Ipse cum discipulis fuit circumcisus* Luc. II. 21. Actor. XVI. 3. *sabbatum coluit, qvi mos qvingentis annis à Christianis fuit observatus.*

R. 1. Præcepta qvædam moralia, qvædam typica. Illa maledicunt. Hæc in figuris Mediatorem repræsentant. Neutra solvit Salvator; Utraqve implevit. Illa, dum pro maledictione gratiam: hæc, dum pro figuris veritatem dedit. Compendiose hoc docet Johannes Baptista, dum ait: *Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Christum facta. Joh. I. 17.* Plenius responsum vide *Part. II. Loc. X. Obj. 1. 2. 3.* Deinde qvia Christus ad implendam totam Legem in mundum venerat, etiam onerosissimum illud de Circumcisione præceptum, ipse ratione suæ personæ Legi non subjectus, sponte implevit, ut eos, qvi ipsi subjecti erant de tali jugo liberaret, *Gal. IV. 4.* Præstita qvæ in morte victrici denique consummabatur impletione, præcepta ceremonialia nullius amplius usus erant, & actu ipso abrogata. Poterat tamen Circumcisio tanqvam res indifferens retineri. Unde Apostoli censuerunt, eam à Judæis, qvæ talibus ceremoniis erant innutriti retineri posse sine opinione cultus & necessitatis, Gentibus autem imponi non debere. *1. Cor. VII. 18. Actor. XVI. 3. Actor. XV. 28. 29.* confer. *Part. II. Loc. LXXIV.* De Sabbato lege qvæ supra allata sunt ad usum *v. 3. Cap. I. Object. 4.* item *Part. II. Loc. X. Object. 4. Loc. C.* Cæterum unde probas cultum septimi diei per 500. annos à Christianis fuisse observatum.

2. *Post 500. à nato JESU annos prodiit Papa qvidam diem Dominicam pro sabbato colere imperans, uti in annalibus Zemach David proditur.* R. Dome-

R. Domesticum testimonium nullius ponderis est. Si Papa qvidam diem Dominicum pro Sabbato colere jussit, qvare non affers ejus constitutionem? Inter Canones Concilii Laodicenî Seculo IV. tempore Liberii Papæ acti est hic: *Non oportet Christianos judaizare & in sabbato vacare, sed operari eos in eadem die, dominicam præponendo eidem diei.* Hi Canones Secul. VIII. in Concilio Trullano sunt confirmati. An huc forte respicit tuus, qvem adducis, testis David Gans? Qvid magis officere potest causæ tuæ qvam hic Canon? Opponitur illis, qvi seqvuntur institutaJudæorum, & Sabbato vacant: Ergo Sabbato vacare tunc temporis non erat Christianorum. Iis, qvi postponunt diem dominicam Sabbato. Ergo dies Dominica jamdudum fuit cultui destinata: alias enim propter ejus contemtum anathema judaizantibus dici non posset. Hesychius Presbyter Hieros. qvi Seculo V. vixit, in *C. Lev. IX.* scribit: *Nos Apostolorum seqventes traditionem Dominicam diem divinis conventibus seqvestramus.* Athanasius Seculi IV. Doctor, de die Dominico scribit: *olim priscis hominibus Sabbatum in summo precio fuit, qvam qvidem solennitatem Dominus in diem Dominicam transtulit.* Origenes Sec. III. Pater *Lib. VIII.* contra Celsum indicat *celebriores festivitates christianis fuisse diem Dominicum, paraseven Paschæ & Penteoosten.* Qvam inane ergo est, qvod CHRISTUM dicis Sabbatum suis colendum tradidisse, cujus solennitatem hic à CHRISTO ipso in diem Dominicam translatam esse audis! Fuit interim à primis Christianis Sabbato suus honor datus, fuit in eo conventum, fuit jejunatum, *non qvod laborarent Judaismo, sed ut Dominum Sabbati JESUM adorarent:* ut ait Athanasius in homil. de Semente. Libertatis itaq; hoc fuit, non necessitatis.

3. *Sabbati observatio pertinet ad X. præcepta qvæ abrogari non posse ipsi docent christiani.*

R. Duo in præcepto hoc tertio spectanda 1. substantiale qvod est cultus DEI 2. circumstantiale, qvod est restrictio ad diem septimum. Illud abrogari non potest.. Hoc vero Dominus Sabbati mutare pro lubitu potuit. Judæi circumstantiale hujus præcepti

semper sollicite observarunt qvod docent variæ illæ disputationes Phariſæorum cum CHRISTO habitæ *Matth. XII. 1. 2. sqq. v. 10. sqq. Luc. XIII. 10. 14. sqq. Joh. V. 10. 16. 18. Cap. VII. 22. 23. c. IX. 14. 16. sqq.* & tamen propter Sabbati neglectum patria se ejectos esse scribunt לא חרבה ירושלים אלא בשביל שחיללו בה את השבת שנאמר ומשבתותי העלימו עיניהם ואחר בתוכם *Docent Veteres, Hierosolymam non nisi propter violationem sabbati esse vastatam, juxta illud* Ezech. XXII. 26. *à Sabbatis meis occultant oculos suos, ut profaner ab iis*, adducente Kimch. in *Es. LVI. 2.* Idem adhuc superstitiose observant, & tamen non recuperant patriam. Annon hoc indicio satis est, Judæos non vere servare Sabbatum, utpote qvo אין מצוה חמורה מזו *nullum difficilius præceptum est* ut fatetur Kimchi in *Esa. LVI. 2.* Qvid ergo Christianos incusant? Discant autem qvid sit Sabbatum servare; non septimum diem observare, id enim facillimum est, sed DEO placentem cultum præstare. Posterius observant Christiani: prius Judæi. Uter ergo populus servat Sabbatum?

4. *Summa est Legis divinæ perfectio cui nihil demi potest.* Deut. IV. 2. *E. nulli abrogationi est obnoxia.*

R. 1. Diversa est Lex, Moralis & typica. Hæc est abrogata, non illa: est enim naturæ inscripta conf. *Part. II. Loc. XCVII.* Illa obligat ad maledictionem non servantes i. e. omnes homines. Hæc adumbrat Satisfactorem perfecte implentem. Postqvam ergo Satisfactor exhibitus est, cessat figurantis Legis pœdagogia. Contra Lex moralis, postqvam impleta est per CHRISTUM, tantum abest ut abrogata sit, ut vim acqvisiverit maximam absolvendi eos qvi sunt in CHRISTO, damnandi vero incredulos *Rom. III. 31. Rom. VIII. 1. 1. Tim. I. 9.* Proinde 2. dum nos docemus Legem non nisi à CHRISTO διανθρώπῳ perfecte servari posse, relinqvimus & munimus illi suam genuinam perfectionem. Contra Judæi, cum servare non possint, interiorem obœdientiam non reqviri docent: demunt ergo Legi *Matth. V. 19.* & cum externam obœdientiam non sufficere sentiant, multa illi assuunt præcepta cum opinione meriti, addunt ergo Legi. Hoc autem est abrogare Legem *Matth. XV. 3. 9.*

Periocha

Periocha VIII. 3.

Misis impiis, jam ad pios ac fideles accedit, eosq; ad constantiam hortatur proposito præmio. Invitationis hæc est formula: QVÆRITE JEHOVAM OMNES HUMILES TERRÆ, QVI JUDICIUM EJUS FACITIS: QVÆRITE JUSTITIAM, QVÆRITE HUMILITATEM. Præmium est pœnæ remissio UT ABSCONDAMINI IN DIE IRÆ JEHOVÆ.

Sensus Abarb.

v. 3. *Qværite Jehovam omnes humiles terræ qvi bona opera studiose urgetis. Qværite justitiam, qværite humilitatem vos impii, fortasse erit ut abscondamini in die iræ DEI.*

NOTÆ.

HUnc versum Abarb. ex parte in pios dici concedit חוץ בירושלים ובארץ יהודה אנשים יראי אלהים ואם המה מעטים וכנגדם אמר בקשו *Fuerunt Hierosolymis & in Judæa homines DEUM timentes, etsi pauci, respectu eorum dicit: Qværite Jehovam.* At qvid est *qværite Jehovam?* Respondit Rabbi שיתפללו אליו *jubentur preces ad eum fundere.* Plus inest phrasi emphaseos. Sciendum itaq; 1. tam irregenitos qvam regenitos dici qværere Jehovam. Irregenitos *Act. XVII. 27.* Hoc loco pii & regeniti dicuntur qværere. Illi qværunt nondum inventum & possessum. Hi contra qværunt jam inventum & jam possessum. Proinde phrasis non de actu sed de continuatione actus est intelligenda Glass. *L. 3. tr. 3. p. 240.* Qvi 2. qværitur est verus DEUS Jehova in scripturis revelatus. Hic qvoad generalia sua beneficia nulla indiget inqvisitione, iis etiam qvi non qværunt nec agnoscunt, qvæ ad vitam sustentandam necessaria sunt large subministrans *Matth. V. 45.* Proinde cum qværi dicitur, qvoad specialia sua beneficia, qvæ nobis in CHRISTO confert qværi dicitur, qvæ sunt remissio peccatorum & salus æterna. Cum autem 3. hæc obtineri non possint nisi per fidem in CHRISTUM, elucet porro qvid sit *qværere justitiam.* Hæc si domestica esset, qvid

eam foris qværere opus foret? Si autem foris qværenda est, aliena ac imputata erit. Ea autem CHRISTI propria, qvem DEUS posuit ἱλαστήριον *Rom. III. 25.* Ergo *qværere justitiam* idem est qvod *fiduciam ponere in CHRISTO.* Sola autem fides justificat *Es. XXVIII. 16.* Elucet inde 4. qvid sit *qværere mansvetudinem.* ענוה mansvetudinem & humilitatem notat. Amstel. reddiderunt suchet Demüthigkeit. Vera humilitas est qva qvis agnoscit peccata sua deq; iis serio dolet. Vera mansvetudo qva qvis non vindicat illatas injurias, sed eas tanqvam crucem à DEO immissam patienter fert, memor eam ad mortificandum veterem hominem immitti. Per duas ergo has phrases innuitur *continuata pœnitentia*, qvæ contritionem & fidem includit: comitem autem habet novam obœdientiam. 5. Etsi per veram pœnitentiam DEUM invenimus DEOq; fuimur, tamen qvia in hac vita insidiis Satanæ sumus expositi, etiam in ipso regenerationis statu DEUM qværere jubemur, nempe per illa media qvibus DEUS sese nobiscum communicat, verbum, Sacramenta, preces. Iisdem enim mediis qvibus invenitur DEUS, inventus retinetur. Deniqve 6. qvia DEUM hic non perfecte invenimus, ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν *1. Cor. XIII. 9.* dum qværere DEUM jubemur, simul in spem perfectissimæ intuitionis ac fruitionis DEI, qvæ post hanc vitam nobis obtinget, erigimur. Tanta ergo est hujus phraseos amplitudo ut omnes partes pietatis complectatur, non nudas preces significet.

2. Ii qvi qværere Jehovam jubentur, sunt *mansveti terræ, qvi judicium DEI faciunt.* Abarbenel ita exponit אנשי המעשה שתמיד פעלו ועשו משפטיו *Homines operum, qvi jugiter operantur & faciunt judicia ejus.* Intelligit operarios, & propria justitia nitentes. Vatabl. *qvi judicium ejus exsecuti estis:* ita & Tigur. posito *judicium* pro *judicia* per enallag. At perperam: Nam *judicia DEI exsequi* notat *judiciariam DEI sententiam in actum deducere.* Trem. *qvi jus DEI operantur.* Amstelod. Die seine Rechte thun wircken. Non dubium est qvin per עני ארץ *humiles terræ* intelligantur ii qvi sua peccata agnoscunt, seqve serio coram DEO humiliant. Hinc per eos qvi faciunt judicium DEI intelligi non

ligi non possunt οἱ ἐργαζόμενοι *Rom. IV. 4. 5.* Illi enim non habent καύχημα πρὸς Θεόν *v. 2.* Notamus ergo 1. in singulari hic legi משפט qvod non cum Abarbenele im plurale משפטי vertendum. In plurali notat illa varia statuta ac δικαιώματα Vereris T. In singulari unum statutum notat qvod illis δικαιώμασι certo modo opponitur 2. משפט non *judicium* tantum significat, sed & certam *ordinationem* & τάξιν, canonem ac Regulam *Exod. XXVI. 30.* Johannes vocat ἐντολὴν *1. Joh. III. 29.* Θέλημα τὸ Θεὸ *Joh. VI. 29.* qvæ in eo consistit ut credam in CHRISTUM *1. Joh. III. 23.* Paulus vocat νόμον πίστεως *Rom. III. 27.* Hujus Legis compendium est: Qv crediderit salvabitur: Qvi minus damnabitur. Ad hanc Legem illa varia V. T. δικαιώματα tantummodo erant παιδαγωγὸς *Gal. III. 24.* 3. Facere ergo judicium DEI erit conformem se gerere ordinationi DEI de salute nostra. Idem qvod servare verba, præcepta CHRISTI. *Facere* ergo Evangelicum non legale intelligitur. Atqve hi sunt qvos scriptura vocat τεταγμένους *Act. XIII. 48.* Hoc itaqve loco phrasis hæc totam pietatis à DEO mandatæ rationem innuit. Interdum specialius accipitur, cum np. servare judicium & justitiam facere conjunguntur *Esa. LVI. 1.* Ita enim alterum salutarem sui mortificationem, alterum fidem in CHRISTUM notat. Notanda sunt de hac phrasi qvæ Brentius habet in *cap. V. Es. In regno CHRISTI FACERE JUDICIUM est suscipere bellum cum satana, pugnare cum Diabolo, obsistere cupiditatibus ejus ejus, agnoscere peccata, mortificare carnem, ne Diabolus & caro in homine dominentur. Facere justitiam est credere in CHRISTUM, qvod passus sit pro peccatis nostris & resurrexerit ad justificationem nostri.*

3. Qvæ seqvuntur verba: *qværite justitiam, qværite mansvetudinem*, Abarbenel ad impios dici existimat שאר העם שאינם נכון ויטיבו דרכיהם ועליהם אמר בקשו צדק בקשו ענוה כי אם תעשו כן אולי כו׳ *in reliqvum populum qvi non ita pie vivebant dicit: qværite justitiam & mansvetudinem, forte tegemini in die iræ.* R. Qvæ causa qvod hæc non in pios sed impios dicantur? Aut hoc subjectum postulat præ-

dicati ratio, aut temere infertur. Non illud. Nam qværere justitiam ii qvoqve dicuntur qvi justitiam habent, uti pii dicuntur qværere DEUM, qvam possident. Cum ergo non seqvatur eos qvi qværere justitiam jubentur indigere justitia, male hoc prædicatum impiis & non sine temeritate tribuitur. Aut an in אולי dubia promissione protectionis aliqvid qværit præsidii? Expendemus ejus de hac particula mentem.

בפרק קמא דחגיגה אמרו רבי אמי כי הוה מטי
להאי קרא בכי א כולי האי ואולי ולא ידעתי למה הוא
בוכה ר אמי כי הנה כני יהודה וירושלם הרבו לחטוא לכל
מיני פשעים ימים רבים ואם באחרונה ובקשו ענוח למה
וכופר העון להם בהחלט מבלי שיקבלו שום ענש האום
הקבה ותרן הוא לבן אמר הנביא אולי תסתרו כלום כפר
וצא הקצף מלפני ה החל הנגע ואם עתה תשובו אלו
אולי שלא תועילו כי משניתן רשות למשחית לחבל אינו
מבחין ואולי תסתרו ביום האף החוא שישפוך השם חרון
אפו על יתר האומות הנה אם כן לא אמר אולי תסתרו
לספקו לתועלת התשובה כי אם להגיד שאולי וסתרו ולא
תעבור עליהם הרעה ואולי שתעבור אבל בקלות ובדרך
וסורין *In capite I. Chagiga dicunt, qvod Rabbi Ame, cum venisset ad hunc versum flevcrit, dicens: Hic nihil est præter* FORTASSE. *Ego vero non video qvid causæ flendi habuerit R. Ame; Nam Judæi omni peccatorum genere* DEUM *jamdudum multipliciter ad iram provocaverant. Qvod si itaqve qvæsivissent justitiam & mansvetud nem an ideo statim absolute expiata fuisset ipsorum culpa sine interventu ullius pœnæ? An* DEUM *tam dicemus prodigum? Qvapropter Fortasse, inqvit Propheta, tegemini, hoc sensu: Jamdudum furor à* DEO *prodit, Incepit jam plaga. Qvod si convertimini, fortasse nihil obtinebitis, nam qvamprimum potestas subvertendi hosti data est, promiscue ille omnia perdit: Fortasse etiam tempore furoris hujus tegemini ita ut effundat* DEUS *furorem suum in cœteras gentes. Ergo non dicit: Fortasse abscondemini, qvasi* DEUS *sit in pœnitentia eorum acqvieturus, sed ut indicet, fieri posse ut abscondatur, ita ut non inferatur illis malum; fieri qvoq; posse ut inferatur, hac tamen Lege ut*

non

non sit pœna sed levis castigatio. R. 1. Ergone hic nihil certi promittitur nisi qvod dubia tantum spes auferendi mali ostendatur pœnitentibus? Habuit certe qvod fleret Rabbi tantam incertitudinem ponderans. 2 Impie asseritur peccata tolli interventu pœnitentiæ, bonorum operum, ac pœnæ. Qvæ enim inter operam nostrorum pœnarumq; temporalium levitatem & inter peccata nostra proportio est, qvæ infinitam habent malitiam? Qvid si hæc consideratio lacrymas expresit R. Amæo? 3. Si per opera & pœnarum exantlationem expiatur peccatum, perit illud κρησφύγετον, qvo pœnam in castigationem paternam mutari ait. Qvæ enim propterea immittitur calamitas ut ea expientur peccata, ea propriedicta pœna non castigatio est.

4. Rectius alii אולי particulam hic esse *bene sperantis* & *bene ominantis* ajunt, conf. Noldium in Concord. Sic Chaldæus. vertit מאן *utinam*, hic, & *Amos* V. 15. Vulgatus, *si qvo modo*; qvod & Grotius retinet. Qvo ipso incertitudo à DEI protectione transfertur in pœnitentes. Nobis nulla religio est cum Græcis per ὅπως & cum B. Luth. per auf daß vertere, imprimis cum huic versioni ipse CHRISTUS faveat, qvi *Luc.* XXI. 36. ait, ἀγρυπνεῖτε ἐν παντὶ καιρῷ δεόμενοι ἵνα καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν ταῦτα πάντα τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, non obscure ad hunc locum respiciens. Enimvero non patitur contextus ratio aliqvid dubii hic promitti. Nam 1. qvibus promittitur sunt pii, qvi in fide stabant, non tales qvorum dubia adhuc erat pœnitentia. 2. Qvod promittitur est latibulum in die iræ. Hoc si ipsis dubie promittitur, potest ira effundi in pios. Qvis autem hoc satis pie asseret? Conf. *Ps.* XCI. 3. Qvi promittit est DEUS, verax in promissis. Promisit fidelibus remissionem pœnæ, ergo & firmissime servat. Si dubie promisisset, qvomodo fides piorum in tali promissione posset recumbere? 4. Nec ablatio castigationis paternæ hic promittitur. Cum enim DEUS πανολεθρίαν in impios Judæos decrevisset, fieri non potuit qvin in illo Babyloniorum Romanorumq; diluvio pii pariter & impii haurirentur. Ubi enim universale malum indicitur, ad omnes partes illud descendere necesse est. Accedit qvod non dicitur absondemini in die castigationis, sed in die iræ. Ergo nulla prorsus castigationis ablatio hic promittitur, ne dubie qvidem. Non enim ira est castigatio.

usus

Usus ex vers. 3.

NEMO JUDÆORUM SALVARI POTERAT, NISI PER DOCTRINAM MESSIÆ. E. NON SOLA LEX MOSIS SINAITICA JUDÆIS FUIT PRÆDICATA, SED ET LEX MESSIÆ SIONITICA. Prius in expositione versus probatum. Posterius confirmari potest ex *Es. II. 3.* Ubi LEX E SIONE dicitur EGRESSURA ad convertendas gentes. Ergo in Sione Judæis fuit prædicata. Negat Judæus *cap. XX.* Messiam aliam doctrinam orbi propositurum ab ea, qvam Moses tradidit. Rationes sunt.

1. *Qvia Mosis Lex perfecta & æterna est.*

R. Lex diversa est, typica & Moralis. Illa in se nec perfecta est, nec æterna: ac proinde suo tempore abrogata. Qvod qvi negat eum talpa cœciorem esse oportet. Hæc æterna est, cum sit ipsa naturæ Lex: perfecta qvoqve in se, at nulli perfectionem conferre potest eo qvod per carnem infirmata, *Rom. VIII. 3.* Hinc illi accedere debet verbum aliud, perfectionem ex merito Salvatoris conferens, *Rom. X. 4. cap. III. 28. Gal. III. 13. 24.* ac hæc est doctrina Evangelica qvæ perfecta vocatur, *Ps. XIX. 8. 9. 10. 11. 12.* ac æterna, *Ps. CXI. 8. Es. XL. 8. 1. Petr. I. 24. 25. Apoc. XIV. 6.* Hæc doctrina prædicata fuit Judæis, alias omnes fuissent damnati, Lex enim damnat omnes se non servantes, *Deut. XXVII. 26.* Jam vero nemo est qvi non peccat, *1. Reg. IIX. 46. Prov. XX. 9. Eccl. VII. 21.* Hæc eadem doctrina prædicari debuit gentibus, atqꝫ eam hic Esaias intelligit, constantem verbo Legis, qvia judicat & arguit *v. 4.* verbo Evangelii, qvia donum sinceræ charitatis confert *v. 4.* id qvod verbum Legis conferre non potest. *Gal. III. 2.* Hæc eadem est qvam Adam accepit in Paradiso, *Gen. III. 16.* eadem qvæ Patriarchis tradita, *Gen. XII. 3. Cap. XXVI. 4. Cap. XXVIII. 14.*

2. *Prodibit ex Sione Lex, qvam Messias docebit gentes, qva judicabit gentes. E. est Lex Mosis.* Conf. *Es. XLII. 4. cap. LI. 4.*

R. Ergo non est Lex Mosis. Nam Lex Mosis inter Judæos ac Gentes ponebat μεσότοιχον τῦ φραγμῦ. Hæc autem auffert tale μεσότοιχον, omnes gentes in societatem populi DEI advocans, *Eph. II. 14.*

Periocha

Periocha IX. 4. 5. 6. 7.

Duplex præmium promittitur piis, alterum est justitia fidei, alterum est Dominium in Satanam mundum & carnem. Illud priori periocha promissum. Hoc seqventi capitis parte promittitur. Ecclesia Judæorum ex omni parte cingebatur civitate Satanæ, qvæ veritatem in Judæa prædicatam infectatur. Ex parte occidentali ea sub typo Cananæorum & Philistæorum exhibetur. Ex parte Orientis eam repræsentant Ammonitæ & Moabitæ. Ex parte Meridionali Æthiopes. Ex parte Septentrionis Nineve. His indicitur damnatio & deinde servitus veræ Ecclesiæ. I. Occidentalibus indicitur æterna DEI ira sub typo externæ vastationis, in specie Philistæis: NAM GAZA DESERTA ERIT, ET ASCALON SOLITUDO, ASDOD IN MERIDIE INCOLIS EVACUABITUR, ET ACCARON ERADICABITUR. In genere omnibus Cananæis: VÆ HABITANTIBUS TRACTUM MARIS, GENTI CERETHÆORUM: VERBUM DEI CONTRA VOS, CANAAN, & imprimis TERRA PELISTIM, NAM EVERTAM TE ITA UT NON SIT HABITATOR. II. Promittitur reliqviis Judæorum dominium spirituale in has gentes: ET ERIT TRACTUS MARIS CAULÆ AGNORUM PASTORUM ET SEPTA PECUDIS: ET ERIT TRACTUS RELIQVIIS DOMUS JUDA, IN ILLIS PASCENT, IN DOMIBUS ASCALONIS CIRCA VESPERAM RECUBABUNT. III. Implebuntur hæc tempore Christi, circa vesperam mundi CUM VISITAVERIT EOS

JEHOVA DEUS IPSORUM, ET AVERTERIT CAPTIVUM STATUM EORUM.

Sensus Abarbenelis.

4. *Nam Gaza deserta erit ab omnibus suis incolis per longum tempus, Ascalon in solitudinem abibit. Asdodita in exilium ejicientur, Accaron autem radicitus exstirpabitur.* 5. *Væ vobis Palestinis, qvi opprobria dixistis populo Judaico, expellemini ex vestris urbibus eqve ut Cananæi.* 6. *Ita fiet ut in vestra regione ubi prius magnifica palatia & urbes steterant, inveniantur habitacula fortuita, in qvibus convivia agitent pastores, & stabula pecudum.* 7. *Atqve erit hic tractus filiorum Israël non ut ibi habitent, sed pecora pascant, & in domibus Ascalonis gregem recubare faciant vespere. Nam DEUS visitabit Judæos & reducet illos ex C. B. qvod non continget Philistæis.*

NOTÆ.

HIc difficultatem maximam parit connexio. Connexivum כי qvonam respiciat, ambiguum est. Kimchi ita connectit: *Etiamsi Vos dies iræ divinæ obruet, nec illud DEI judicium ullo modo inhiberi potest, tamen propterea non lætabuntur vicini vestri, nam & Gaza deseretur.* Raschi ita: *Si pœnitentiam egeritis, vicinis vestris incumbam, Philistæis, Ammonitis, Moabitis.* AbenEsra: *Qværite Dominum: nolite qværere auxilium à Philistæis, nam deserentur.* Alii solandorum Judæorum causa subjuncta esse hæc in Gentes vaticinia existimant, qvia solamen miseris socios habuisse malorum. Ita Drusius. Alii propositis his vicinarum gentium exemplis Judæos ad resipiscentiam commoveri. Ita Tremell. Himmel. Jo. Smidius. Tarnovius putat hæc exempla pœnitentibus Judæis in solatium, impœnitentibus vero ad terrorem proponi. Abarbenel ita לי נראה שדבר גדול דבר הנביא בויעוד הזה כי הוא למד ואשיהו ובני דורו דרך התשובה באומרו בקשו את ה כל ענוי הארץ אשר משפטו פעלו ורשעים אמר בקשו ענוה ובאומרו אולי הסתרו ביום אף ה רמז להם אל גלות בבל שיעמדו שם ימים

ומים מעטים כאלו הם נסחרים שם ער שוב חרון אף ה׳
מהם ויפקדם וישיב שבותם והודיעם עם זה שארץ הפלשתים
וארץ עמון ומואב חרוב וחרבו גם כן אחריהם ער ודי
נבוכרנאצר אבר לא ישובו לארמתם במעט הזמן כמו
שישובו בני יהודה כי עזה עזובה תהיה רל עזובה מכל אנשיה
זמן רב וכן אשקלון שממה וגרוש אשדוד ועקרון תעקר
מעקורה ולא יהוה ענינם הסתר מועט כמוכם *Mihi videtur, qvod Propheta in hoc vaticinio insigne aliqvid promittat: invitat enim Josiam & ejus ætatis Judæos ad pœnitentiam, dicens: Qværite Jehovam omnes mansveti terræ, qvi judicium ejus facitis; Et respectu impiorum: Qværite humilitatem. Porro cum dicit: Fortasse abscondemini in die iræ Domini, ipsis significare vult, qvod in Captivitate Babylonica brevi tantum tempore sint perstituri, qvasi ibi essent absconditi usqve dum conqviescente DEI in ipsos ira, rursus ipsis benignum sese exhibeat, captivosqve in terram avitam reducat. Hoc ipso simul iis prophetat terram Philistæorum, Ammonitarum & Moabitarum, post Judæorum excidium ope Nebucadnezaris etiam eversum iri, ita tamen ut incolæ non revertantur in suam terram post breve tempus, ut Judæi sunt reversuri; Nam Gaza deserta erit:* id est, *deserta erit ab omnibus suis incolis per longum temporis spacium, Ascalon desolabitur, Asdod civibus evacuabitur, Accaron exstirpabitur radicitus; Adeo non erit ipsorum excidium brevis absconsio, uti vestrum.* Etsi sunt in hoc discursu qvæ nobis probentur, plura tamen sunt rejectanea. Nam 1. supra ostensum qvod in *vers. 3.* non contineatur invitatio impiorum ad pœnitentiam, sed confirmatio piorum in fide & studio bonorum operum. 2. Si abscondi in die iræ Domini significat, latere in captivitate, non significabit plane impunem esse ab omni malo, qvod tamen in hac phrasi Judæis dubie promitti supra dixerat. Nam dubiæ promissioni hunc sensum dederat: Fortasse abscondemini, i. e. non inferetur vobis malum: Fortasse non abscondemini, i. e. inferetur vobis malum, qvod tamen levis erit castigatio. Nunc ipsi promissio non amplius dubia est, sed simpliciter affirmativa, nec abscondi amplius significat effugere exilium, sed latere in exilio per breve tempus. Conf. *Periocb. VII. §. 3.* 3. Falso asse-

asseritur Nebucadnezarem graviori ac diuturniori exilio mulctasse Philistæos, Ammonitas, Moabitas, ac Judæos. Leguntur enim Judæi soluta C. B. matrimonia ac affinitates contraxisse cum vicinis suis *Esdræ IX. 2.* ac in specie qvidem cum Philistæis, Moabitis, Ammonitis *Nechem. XIII. 23. 24. 25.* Ergo Judæi in patriam reduces Respublicas vicinorum incolumes invenerunt. Neq; enim inter plebeios & infimæ sortis homines contracta sunt conjugia, sed inter Principes *Esdr. IX. 2. Cap. X. 18. seqq.* Sic Zachariæ tempore incolumes stabant Philistæorum urbes Ascalon, Gaza, Accaron, Asdod, *Zach. IX. 5. 6.* Unde colligitur levem omnino jacturam fuisse, qvam bello Babylonico passi Philistæi, & neqvaqvam comparandum ad septuaginta annorum exilium Judæorum. Gaza tantum virium habuit, ut sese victrici Alexandri exercitui auderet opponere, cui tamen æternum excidium erat denunciatum *Jer. XLVII. 4. 5. Ezech. XXV. 16.* Utrobiqve reliqviæ Philistæorum rescindendæ dicuntur, E. ipsis nihil manebit reliqvi. Cæterum probamus hic (1.) qvod in subseqventibus insignis boni contineatur promissio & qvod propterea referatur ad pios ac fideles Judæos. (2.) qvod malum, qvod hic gentibus denunciatur, non ante sed post excidium Judæorum gentibus sit inferendum. Proinde non potest impœnitentibus Judæis in terrorem proponi. Connexio autem qvam facit Abarbenel hæc est: Vos pii persistite in bono, Impii agite poenitentiam; Nam captivitas in vos decreta per breve tantum tempus durabit, cum è contrario Philistæi Ammonitæ &c. funditus sit exstirpandi.

2. Qvot capita, tot sensus, suus cuiqve mos. Nobis indubium est qvod causale כי refetatur ad pios ac fideles Judæos, cum propterea, qvod ii sint subjectum propinqvius, utpote de qvibus proxime præcedente versu agebatur, cum impiorum versu abhinc qvarto demum mentio fieret: tum qvod in reliqva capitis parte insignis cujusdam boni promissio contineatur. Bonum qvod promittitur est universale dominium in omnes gentes. Nam qvæ hic nominantur gentes, synecdochice denotant omnes populos in qvatuor mundi plagis. Illustrabimus hæc verbis Bechai in Leg. *fol. 88. Col. 1.* ad verba *Exod. Cap. XV. 14.* הזכיר בכאן ד׳ חלקים

חלקיס מן האומות לד׳ רוחות העולם והם כלל הישוב
ואר כן הזכיר פלשת ואדם ומואב וכנען כלום
פלשת וכל ושבי מערב אדום וכל ושבי דרום
מואב וכל ושבי מזרח כנען וכל ושבי צפון

Nominat hic qvatuor ſpecies gentium, juxta qvatuor mundi plagas, qvæ ſynecdochice comprehendunt totum orbem habitabilem. Proinde mentionem facit Philiſtæorum, Edomi, Moabi, Canaanis. Scilicet ut ſub Philiſtæis comprehendat omnes populos Occidentales; ſub Edomo omnes meridionales: ſub Moabo omnes orientales; ſub Canaane omnes ſeptentrionales. Sic & h. l. Philiſtæi ſynecdochice Occidentales, Moab & Ammon orientales, Cuſch meridionales, Ninive Septentionales repræſentant. Hoc univerſale in gentes dominium nusqvam Judæis niſi in Meſſia promittitur, qvi Rex univerſalis *Pſ. XX. 11.* in cujus regni partem admittentur fideles *Eſ. XVI. 12.* Unde patet qvod mere ſpirituale ſit regnum cujus eſt ſpirituale objectum, Satan caro mundus.

3. Ut evidentius pateat hæc connexio, conſiderandum eſt, qvod primarius Reipublicæ Judaicæ finis fuerit veritatis à DEO patefactæ conſervatio & propagatio. Qvamdiu hunc finem Judæi ſerio intendebant, ſalva erat ipſorum politia. Nam qvia ita primum qværebant regnum cœlorum, omnia reliqva ipſis adjiciebantur. Ita DEUS hanc Rempublicam inſtituerat, atqve eum omnibus Rebuspublicis vult præfigi ſcopum. Et vero ſi ſingulorum finis ultimus eſſe debet divina gloria, idqve naturæ ductu agnoſcamus, integra Regna ac respublicæ tanto magis eam qværere obligantur, qvanto plus, qvam privati, ad obtinendum hunc finem habent præſidii. Qværitur autem & invenitur per fidem & veritatis ſtudium. Ab hoc fine omnes Respublicas aberraſſe legimus, ſiqvidem ſua potentia non uſæ ſunt ad qværendum verum DEUM, ſed inventa religione tanqvam medio uſæ ſunt ad conſervandam politiam ſuam. Imprimis vero Respublicæ qvæ in confiniis Judæorum erant, hoc vitio laborarunt, qvæ qvidem non ſatis habebant politiam adeoqꝫ externum aliqvod bonum tanqvam ultimum finem reſpicere, ſed præterea qvoqve omni ope eo

nitebantur, ut opprimerent veritatem in Judæa revelatam. Ipsi Judæi denicq; neglexerunt hunc finem, & pro DEO ac regno ejus qvæsiverunt externam politiam. Hæc culpa erat, qvæ DEUM in Judæos ac gentes provocabat. Hic fons exitii atqve omnium calamitatum.

4. Cum ergo hic verus esset Politiæ Judaicæ finis, nullum dubium est, qvin cum Judæis restitutio in integrum promittitur, hic finis unice respiciatur. Proinde cum CHRISTUS in mundum veniens Judæos non regnum DEI, sed regnum civile qværere deprehenderet, atcq; eo religionem cum omnibus legibus applicare, præposterum hunc ordinem plane invertere necesse habuit, & regnum DEI supremo loco ponere, huic autem politicam potestatem & qvidqvid est bonorum tam externorum qvam spiritualium subordinare: Eos qvi antehac Judæorum impotenti dominatu pressi erant, in lucem protrahere, donis instruere, & cum divina potestate tanqvam potentissimum exercitum in mundum emittere, ad subjuganda omnia Regna & Respublicas. Hi ergo ubivis gentium prædicabant, Jehovam ac regnum ejus unice esse qværendum utpote summum bonum, Jehovam in CHRISTO inveniri posse, Hujus ergo doctrinam amplectendam. Huic fini subjungebant potestatem politicam, qvam incolumem relinqvebant, nihil immutantes, nisi forte injustas leges invenirent, huic fini contrarias. Ita ergo salvis manentibus legibus civilibus, spirituali modo immutabantur imperium ac Respublicæ. Finis alius statuebatur, Regni DEI studium. Hoc posito, collebascebat tota relligio idololatrica, siqvidem regnum DEI nonnisi per fidem in CHRISTUM qværi poterat. Multæ præterea leges ac consvetudines impiæ abrogabantur. Ita non parva immutatio in respublicas introducebatur per prædicationem, incolumi tamen manente potestate politica, qvæ per qvascunq; leges exerceri poterat, dumne essent impiæ, & fini huic ultimo adversæ. Qvæ regna has apostolicas leges accipiebant, iis salus æterna promittebatur; qvæ vero respuebant, iis æterna damnatio denunciabatur. Utraq; sententia in fine mundi complementum suum accipiet. Hoc est qvod scriptura dominium vocat. Ut enim qvi legem genti ponit sub spe

præmii

præmii vel pœnæ metu, recte in gentem dominari dicitur, ita qvoqve Apostoli, reformati Israëlis Proceres, dum hanc legem ferebant gentibus: Qvi crediderit salvabitur, qvi minus, condemnabitur, spirituale imperium in eos obtinere dicuntur.

5. Porro notandum est qvod sic pii ac fideles Judæi opponantur non tantum impiis ac infidelibus Judæis sed etiam impiis gentibus, qvæ veritatem Judæis traditam ore ac armis perseqvebantur. Ex has oppositione elucet ratio destructionis gentium. Nam qvo modo pii ac fideles CHRISTI confessores conservantur, eo modo impiæ gentes destruuntur. Jam vero fideles ita conservantur ut etiam in gravissimis malis sub favore DEI securi lateant, spemqve retineant immotam, fidem in CHRISTUM, qvem cum vitæ periculo mascule confitentur, aliqvando Messia exhibito in omnes populos propagandi, ejusq; præmium in æternitate certissimum reportandi. Ergo infidelium Veritatis ac fidei oppugnatorum cœtus ita destruetur, ut maneat sub ira DEI, à DEO deseratur, induretur, excœcetur, nullamqve spem retineat falsam suam doctrinam & inventitium cultum propagandi, aut illustriorem reddendi, sed magnam suorum partem CHRISTO venienti cedere cogatur, usq; dum tamen una cum mundo CHRISTO redeunte ad judicium destruatur ac in æternum ignem præcipitetur. Hæc autem pœna in Scriptura sub symbolo vastationis externæ proponi solet.

6. Pars eorum qvi veritatem DEI infestabant, erant Philistæi, sub qvibus tamen symbolice omnes Occidentales populi intelliguntur. Philistæi *v.* 5. olim in qvinqve Satrapias divisi, pro numero urbium, Gaza, Ascalon, Asdod, Accaron, Gath. *v.* 4. Pluribus nominibus hic Philistæi ornantur, de qvibus ita Abarbenel:

קרא את ארץ פלשתים חברת הים לפי שעריהם הוו
סמוכות לים וכאילו אמר הוי ושבי חלק הים
ועל שפתו והים הזה הוא ים פלשתים כמש׳ וער
ים פלשתים האמנם קרא את ארצם חברת לשתוף
השם שחבלי יולדת יבואו להם וכן קרא אותם גוי
כרתים למו שהפלשתים כרתים נקראו כשש את
נגב הכרתי וב׳ וחכרתי את הכרתים אמנם תארם
עתר

עתה כשם כרתים להגיד שסופם לגכרת וכן תו
עמא דחיבין לאשתצאה ואמר הנביא דבר ה עליהם
ארץ פלשתים להוריע שפלשתים מכלה ארץ כנען
הוי כמו שכתוב לכנעני תחשב חמשרת סרני פלשתים
האמנם קראם כרת כנען להגיד שגם יחרבו
ויסחו מארצם *Vocat terram Philiſtæorum tractum maris propterea quid urbes eorum propinquæ erant mari mediterraneo, quaſi dicat Væ habitantibus oram illam maritimam. Vocatur enim hoc mare mare Philiſtæorum, juxta id quod dicitur: Usque ad mare Philiſtæorum. Nec vero ſine ratione vocat terram ipſorum CHEBEL ſed ut ſimul reſpiciat ad dolores graviſſimos qui ipſos obruent. Ita quoque ipſos vocat CERETHIM, quo nomine alias appellantur Philiſtæi* 1. Sam. XXX. 14. Ezech. XXV. 16. *ab exſcindendo, ad innuendum, quod ſint exſcindendi. Atque ita quoque transfert Chaldæus: populus qui meretur exſcindi. Dicit porro Propheta Verbum DEI contra vos Canaan, terra Philiſtæorum, ad indicandum quod Philiſtæi pertineant ad Cananæos* Joſ. XIII. 3. *Equidem vocat eos hic Canaan, ad innuendum quod & ipſi è terris ſuis ut Cananæi ſint ejiciendi.* Ita Rabbi paronomaſiam, qvam Propheta in *v. 4.* inceperat, porro inqvirit in hoc *verſu 5.* Rationum, qvod Philiſtæi Canaan vocantur, priorem probamus, poſteriorem non item. Nam cum Philiſtæi pars ſint Cananæorum, non ſatis commode cum Cananæis comparantur. Qvid ſi propterea Canaanis mentionem injicit, ut per tractum maritimum in genere omnes maris accolas etiam Tyrios & Sidonios intelligi debere innuat? Conf. *Jer. XLVII. 4.* Et vero niſi valde fallor ita res eſt. Indicat hoc pluralis עליהם *in vos*, qvem duo ſeqvuntur ſubjecta, Canaan, terra Philiſtæorum qvæ hic ἀσυνδέτως, more Hebræis conſveto, conjunguntur. Sic & *Joel. IV. 4.* cum Philiſtæis Tyrus & Sidon conjungitur.

7. Culpa excidium Philiſtæis attrahens, non qvidem hic expreſſe ponitur, ex circumſtantiis tamen facile intelligi poteſt. Una eſt qvod præſidium in carne & rebus terrenis ponebant, ſpreto Jehova ſummo Bono, in Judæis patefacto. Altera, qvod Eccleſiam DEI perſeqvebantur. Hanc non poterat alia pœna ſeqvi qvam

qvam æterna damnatio. Hujus externum symbolum vastatio. Emphaticum est, qvod DEUS minatus se ita perditurum oram maritimam מאון יושב *ut habitari non possit*, vel ut Vatablus & Tiguniri transferunt, *ne ultra sit habitator.* Hoc ipso plus videtur innuere qvam παντολεθρίαν Philistæorum. Etsi enim jamdudum plane eversa est Philistæa Respubl. tamen ad hoc usqve tempus tractus maritimus incolitur. Qvemadmodum ergo παντολεθρία Judæorum respiciebat finem mundi, qvo impii plenariam accepturi damnationem, ita & hæc Philistæorum eversio finem mundi simul respicere videtur, qvo tota Satanæ civitas una cum mundo plane evertetur.

8. Hæc damnatio Philistæis indicebatur, & simul cum ipsis reliqvis gentibus, ac in Philistæis qvidem incipiebat effectui dari ope Nebucadnezaris, confirmari per Alexandrum M. Antiochum, usqve dum tandem Philistæi in provinciam à Romanis redigerentur. Ac per tales plagas præparabantur ad Evangelii doctrinam eo facilius amplectendam, præsertim cum non dubium sit Apostolos in prædicanda ipsis pœnitentia decrementa politiæ suæ cum Prophetarum prædictionibus contulisse. Conf. *Joh. IV. 35. 36. 37. 38.* Cum itaqve plurimi ipsorum iram divinam, cujus jamdudum prægustum senserant, perhorrescerent, atqve ad CHRISTUM Mediatorem confugerent, evenit, ut Satanæ civitas qvæ in his Occidentalibus populis erat, non parum detrimenti acciperet, multis millibus in societatem reformatæ Ecclesiæ Israëliticæ transeuntibus. Atqve ita Israël dominium spirituale in has gentes obtinuit. Hoc est qvod promittit Propheta *v. 6. 7. Erit illa regio caulæ & pascent ibi gregem Judæi.* Abarbenel ad hæc verba והיה זה חבל הים לשארית בני יהודה וגו׳ שיהיה זה מגורם וחלקם לא לשבת בם כי אם שעליהם ירעון צאנם ובחמת באותו מקום שהם עתה בתי אשקלון שמה בערב ורבצון וגו׳ צאנם והיה זה לפי שבני יהודה יפקדם והוה אלהיהם ושב שבותם מבבל מה שלא ושוב לפלשתים *Erit hic tractus maris reliquiis filiorum Judæ, id est pertinebit ille ad ipsorum sortem ac agrum, non qvod ibi sint habita-*

iuri, sed quod in illa parte sint pasturi pecus suum & jumenta, & quidem in eo loco, in quo antea erant domus Ascalonis. Ibi vespere cubabunt, i. e. grex eorum. Erit autem hoc propterea quod DEUS ipsos visitaturus est & reducturus ex Babylonia, id quod non continget Philistæis. Resp. Si hæc post Captivitatem Babylonicam debuerunt impleri, monstret Abarbenel qvando Judæi paverint pecudes suas in hac maritima regione. Cum Judæi soluta captivitate in avitam terram remigrassent, tanto Philistæos se valentiores deprehenderunt, ut ausi fuerint ædificationem templi inhibere *Nech. IV. 7.* Usqve ad Alexandi tempora ægre se adversus suos vicinos tutabantur, ægre ab Alexandro privilegium *ἀυτονομίας* impetrabant. Porro Græcorum, imprimis autem Romanorum, temporibus cultissimus hic erat tractus maritimus, nulla ibi solitudo. *Locus hic*, inqvit Strabo *l. 16. pag. 506. adeo hominibus abundavit ut ex Jamnia proximo vico, & circumvicinis habitationibus qvadraginta hominum millia armarentur.* Alexander qvidem Jannæus Gazam occupavit, pono & Ascalonem occupasse, qvod Josippus refert pag. m. 53. At non tamen pecudes ibi pascendas curavit & occupata Gaza plures Judæos qvam hostes interfecit. Largior Jonathanem *1. Macc. X 86.* Josephum, *Jos. Antiq. L. 12.* Ascalonem tenuisse, at diruisse & solo æqvasse nusqvam leguntur. Fuit civitas celebratissima qvæ Herodem Magnum, qvæ Antiochum, Varronis & Ciceronis præceptorem, genuit. Qvo ergo tempore in ea greges suos paverunt Judæi, Abarbenel?

9. Neqve vero tantummodo una hæc urbs Ascalon, sed tota illa regio maritima pecudibus pascendis destinatur. Tria hic potissimum perpendenda (1) *ita vastabo ut amplius habitari non possit:* (2) *erit tractus maris agnorum pastorum caulæ* (3) *Reliqviæ Judæorum in iis gregem pascent.* Si hæc sumenda proprie, ut volunt R. Salomon, Kimchi, Esra, Abarbenel, ostendendum ipsis est qvo tempore Judæis post C. B. hæc regio in pascua pecudum cesserit. Si politice, ita ut, pascere gregem, sit dominari in populum, qvomodo conveniet cum illo: Vastabo ut nullus sit amplius habitator? An in locis desolatis dominari poterant Maccabæi? Evertunt hæc se invicem. Pono successive hæc esse facta, & ejectis antiqvis incolis

incolis novos succeſſiſſe in qvos dominati Maccabæi, (neq; enim video qvis alius deniqve ſenſus hinc exſculpi poſſit) probandum eſt qvando & à qvonam tractus ille maritimus fuerit incolis evacuatus, & qvinam populi in eas terras viciſſim deducti: & cum hoc probatum fuerit, conciliandum eſt cum verbis Prophetæ: *Perdam te ita ut nullus poſtea in te ſe ſit habitator.*

10. Si ergo *paſcere gregem* neqve proprie ſumitur; neqve politice, ſupereſt ut ſpirituali in ſignificatu accipiatur, qvi in N. T. eſt tritiſſimus *Joſ. X. 1. ſeq.* Atqve ita notat *regere mentes per verbum Evangelii* (1) Reliqviis Juda tribuitur poſſeſſio hujus tractus. Hæ Apoſtolica Eccleſia: Ergo erit ſpiritualis poſſeſſio ſiqvidem illa non carnalia ſed ſpiritualia affectabat. His (2) dominantibus & Legem Evangelicam his populis inponentibus tractus maritimus in caulas paſtorum commutatur, non qvod magnifica palatia ſint deſtructa, ſed qvod eorum, qvi prius hic imperium tenebant, mores ſint mutati ut ex perſecutoribus Eccleſiæ fuerint facti paſtores ovium CHRISTI *Eſ. XI. 6.* Ex civibus, qvi prius lupi, manſveti agni, ſtabula agnorum. Simul (3) innuitur qvod primarius finis hujus regionis ſit futurus regni DEI ſtudium. Dum enim dicitur fieri caula Eccleſiæ, ſimul innuitur, qvidqvid alias ibi erat politici ſplendoris, Regno DEI ac Eccleſiæ ſubordinatum iri tanqvam medium. Hujus (4) imperii, qvo Eccleſia Judaica ornata in hoc ſeculo, dignitas abſcondita & ſpreta coram mundo eſt, at in æternitate ſuum habebit ſplendorem *Col. III. 2.*

11. Qvando hæc fient? *Circa veſperam, cum viſitaverit DEUS Judæos &c.* Abarbenel cum reliqvis Judæis intelligit ſolutionem captivitatis Babylonicæ. Sed jam evictum eſt qvod Judæi poſt C. B. greges ſuos non paverint in tractu Cananæorum maritimo. Ergo fortaſſe tum paſcent, qvando falſus Meſſias ipſorum, qvem adhuc expectant venerit, eosq; in patriam reduxerit? At tum tanta erit Hieroſolymæ amplitudo ut illa loca maritima ſuis molibus impleat ארזל שעתורה ירושלים להתרחב ולהתארך עד רמשק ועד ים אוקאנוס עד שיחו ריפו כדי שתוכל להחזיק רבוי העם *Dicunt Veteres tempore Salutis Hieroſolymam tantopere extentum & amplıatum iri, ut pertingat ex una parte*

Damascum usq;, ex altera usq; ad Occanum, ad virgulta Joppes, ut ingentem illam populi multitudinem capere possit. Qvod ipse Abarbenel allegat in *Es. XLIX. 23.* Sane si in terram Canaan reducendi sunt non tantum omnes tum viventes Judæi, sed etiam pii Judæi qvi in Captivitate Edom mortui, præterea si כל אחד ואחר מישראל לו שני אלפים ושמנה מאות עבדים *unusqvisq; Israëlitarum comitatum habebit 2800. servorum gentilium*, ut est in Pesikta Rabbetha, qvis obsecro locus in terra Canaan pascendis pecoribus remanebit? Si ergo hoc vaticinium neqve post C. B. qvoad literam impletum est, neqve cum Pseudo-Messias Judæorum venit impleri poterit, qvid restat qvam ut tempore JESU CHRISTI & Apostolorum impletum esse fateamur? Si autem tum impletum est, necesse est concedant Judæi spiritualem esse Israëlis liberationem. Nam tum Judæi erant in sua terra. Proinde cum nihilominus è captivitate reducti dicantur, captivitatem spiritualem intelligi necesse est, qva mens dominio peccati & Satanæ subjacet. Atqve ita reductio in patriam erit liberatio à dominio peccati, qvæ vera libertas. De hac temporis circumstantia qvoq; accipimus בערב *circa vesperam*: sub mundi enim vesperam CHRISTUS est exhibitus, qvod tamen alibi vocatur אחרית הימים *ultimum dierum*, τέλη τῶν αἰώνων *1. Cor. X. 11.* ἔσχατον τῶν ἡμερῶν *2. Petr. III. 3. Johannes 1. Ep. II. 8.* manifestius huc respicit, dum dies CHRISTI vocat ἐσχάτην ὥραν *ultimam horam*. In ultimam enim horam diei vesper incidit. Conf. *Matth. XX. 6. 8. Zach. XIV. 7.* Hinc particula כי non per *qvia* ut Abarb. sed per *cum* vertenda, ut Lutherus, Amstel. Trem.

Usus ex vers. 4.

MIRACULOSA HÆC EST URBIS SATANICÆ DESTRUCTIO. E. ET IPSE DESTUCTOR MIRACULOSA PERSONA, QVÆ PROINDE ET פלא *miraculum* dicitur *Es. IX. 6.* Nativitas ejus miraculosa describitur *Es. VII. 14. Ecce virgo pariet.* Sic & typi ejus miraculose nati, *Isaac Gen. XIIX. 10. seq. Jacob Cap. XXV. 21. seq. Simson Jud. XIII. 3. sq. Samuel 1. Sam. I. 11. seq.* Hic JESUS ex Maria virgine natus *Matth. I. 21. 22.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863437893/phys_0140
DFG

21. 22. 23. Negat Rabbi *Cap. XXI.* loco allegato per עלמה virginem per Immauuelem JESUM intelligi. Ait ALMA est NAARA: *de eadem dicuntur Gen. XXIV. 43. 16. ac conjugatam notat Ruth. II. 5. ita & Alma Exod. II. 8. Prov. XXX. 19. 20.*

R. 1. Æqve sequitur ut hoc: Homo & animal de eodem dicuntur. Ut ergo animal æqve rationalem ac irrationalem substantiam notat, ita & Homo. Annon vides vocem נערה *Gen. XXIV. 26.* longe latiorem terminum esse ac עלמה? Qvod si æqve late patet, qvare tam sollicite determinatur בתולה ואיש לא ידעה *Naarah erat virgo neqve qvisqvam eam cognoverat?* Sic 2. ex *Prov. XXX. 19. 20.* male infers: *Ut via viri est in alma, ita est via adulteræ E. almah notat virum expertam eqve ut adulteram.* Via enim viri in almah comparatur cum via adulteræ, non via almæ. Sic 3. non sequitur עלם & נער de eodem dicuntur *1. Sam. XVII. 55. 56.* ergo utrumqve *juvenculum* notat. Nam & Josua נער dicitur, qvi tamen virilem ætatem jam attingerat.

2. *Signum non præsens non poterat confirmare Achabum. E. intelligi non potest nativitas JESU qvingentis post annis facta.* Resp. Limitanda Major: Qvod nullo modo præsens est &c.. Signum præsens est duobus modis (1) ratione promissionis (2) ratione exhibitionis. Utroqve modo fidem confirmant, qvæ fertur in rem futuram tanqvam præsentem. Hic prior præsentiæ modus valet. Conf. *Part. II. Loc. II. obj. 2. 3.*

3. *Puella ergo, erit uxor; Immanuel, filius Prophetæ.* Resp. אם היתה אשת נביא היה אומר הנביאה כמו שאמר ואקרב אל הנביאה ועוד שאמר מלא רחב ארצך עמנואל *Si est uxor Prophetæ, qvare non vocatur Prophetissa, ut Cap. VIII. 3. accessi ad Prophetessam? Et qvomodo in filium Prophetæ qvadrat illud qvod ib. v. 8. Implebunt passæ alæ ejus latitudinem terræ tuæ o Immanuel?* Responde ad hoc, qvod Kimchi objectat, dubium. Ais; *Ratio est, qvia Propheta adhuc dum ignorabat Almah esse conjugem suam. Qvod autem dicitur: Terra tua Immanuel; non eo fit qvod Immanuel esset terra Dominus, sed qvod esset ejus natale solum. Idem Immanuel & Maherschalal & Chasbas est.* Resp. Verba hæc sunt, sine rationum pondere. Supponunt *Alma* notare, hic *conjugatam*

jugatam, qvod nondum probatum. LXX interpretes, qvos instinctu Spiritus Sancti codicem sacrum transtuliſſe antiqviores scribunt, ut probatum dedimus *Part. II. Loc. LXIII.* verterunt παρθένος, *virgo*, παρὰ τὸ παραθέειν τῇ μητρί, diſerte explicantes genuinum conceptum vocis עלמה ex עלם *occultavit*, qvod nimirum notet *virginem in thalamo concluſam*, ceu mos erat apud Orientales *2. Maccab. III. 19. 3. Maccab. I. 15.* Conf. *Cant. VI. 7.* cui recte opponitur יצאנית *vagabunda?* Qvis ſit Immanuel apparet ex collatione *Cap. IX. 6.* Puer *natus eſt nobis.* His verbis manifeſto reſpicitur ad puerum, cujus nativitas ante promiſſa, id qvod Judæi concedunt. Ergo vel erit Hiskias, vel Prophetæ Filius, vel Immanuel. Priorum duorum neuter eſſe poteſt ob prædicata *eſſe DEUM fortem, Patrem æternitatis, regnum habere æternum.* Ergo eſt Immanuel, qvi *Cap. VIII. 10.* æqve magnificis verbis deſcribitur, tutorqve invictus populi ſui exhibetur. Si hoc, an dubitas ipſum terræ Judaicæ dominum vocare? Antiqvi *caput IX. 6.* de Meſſia expoſuerunt, ut non diffitetur Abarbenel in h. l. qvem vide. De Meſſia diſerte explicat Chaldæus. Proinde & Immanuel Meſſias eſt. Qvam ergo turpiter impingis Rabbi, qvod ex Immanuele Maherſchalalum Prophetæ filium facis? confer qvæ de Davide & Iſaida allata ſunt ſupra pag. *40.* & *Part. 2. Loc. 32. Obj. 3.* Petere Achas jubebatur prodigium ad confirmandam fidem. Qvod promiſſum erat, exhibitum ipſi eſt in miraculoſa Immanuelis ex Virgine nativitate. Qvod ſi Immanuel ex Prophetide natus eſt, ubinam eſt promiſſum prodigium? an hoc tantum miraculum eſt, maritam parere?

4. *Annon magnum prodigium eſt, qvod concepit, qvod peperit, nec abortum paſſa eſt? Hæc enim non ſunt in poteſtate maris aut fœminæ. Tum & hoc miraculum eſt, qvod filium non filiam paritura erat. Denique & hoc, qvod mel & butyrum comedere, non lac ſugere debebat filius.*

Reſp. Satis certe miraculorum. Qvid iſthæc non confirmaſſent labaſcentem domum Davidis? Ut ad pauca redeam & mittam tuas ineptias, Rabbi, dico tale hic prodigium innui, qvod fit contra conſvetum naturæ curſum. Ita deſcribitur promiſſum

Achaſo

Achaso miraculum העמק שאלה שיחיו המתים או שיעלו קרח ועדתו או הגבה למעלה שירד אליהו *Jubetur petere aut ex infernis, ut resurgant mortui, nominatim ut Korach cum suo cœtu redeat ex orco: aut ex supernis, ut e. g. descendat Elias* Jalk. Hotthorah. in h. l. Horum simile nullum est miraculorum, qvæ tu hic inepte venditas. Sterilem parere miraculosi qvidpiam est, Conf. *Rom. IV. 19.* At Prophetissa non erat sterilis, sed suam fœcunditatem in pariendo Schearjaschubo jam probaverat. Butyrum & mel cibus erat nutriendis infantibus aptissimus, qvod contra Lipmannum ostendit Celeb. Wagenseilius, *in Tel. ign. Sat. pag. 387. & seqq.* Nihil in tali nutritione prodigiosi. Esto prædictionem futuri contingentis miraculo non carere. At si in ea constituendum hic miraculum est, jam erat illud Achaso exhibitum. Jam enim ipsi Propheta prædixerat consilium hostium in rem non perductum iri *v. 7.* Qvid ergo novo miraculo opus erat?

5. *JESUS non est Immanuel: neqve enim unqvam ita fuit vocatus. Idem non est Princeps pacis, nec cœterorum prædicatorum capax qvæ omnia ibi dantur Hiskiæ, cujus merito eveniebat Judæis liberatio ab obsidione Sancheribéa.*

Resp. 2. Ergo nec Rabbi est Judæus, qvia non vocatur Judæus, sed Isaac. *Vocari* notat *esse* qvod ostensum vide *Part. II. Loc. III. Obj. 4. 5.* Est JESUS Immanuel qvia *μεθ' ἡμῶν ἐςὶν πάσας τὰς ἡμέρας ἕως συντελέιας τȣ̃ αἰῶνος Matth. XXVIII. 20. C. XIIX. 20. Rom. XVI. 20. 1. Cor. XVI. 23. 2. Cor. XIII. 13. Gal. VI. 18. Phil. IV. 23. 1. Thess. V. 26. Apoc. XXII. 21.* 2. Accipio qvod ais omnia illa prædicata *Es. IX. 6.* recensita, nempe esse *Admirabilem, Consiliarium, DEUM fortem, Patrem æternitatis, Principem Pacis*, in unum subjectum competere. Idem qvoqve AbenEsra fatetur reliqvis longe perspicacior, ita scribens: *sunt qvi hæc prædicata de DEO dici ajunt, qvi Hiskiam vocaverit* שר שלום *principem pacis:* והנכון בעיני כי כל אלא שמות הילד *Mihi vero videtur omnia hæc nomina esse pueri;* in h. l. At hinc manifesto infero, non posse intelligi Hiskiam. Si enim מלך בשר ודם אין נקראין בשמו קיסר אוגוסתא ואם נקראין בשמו ממיתין אותו *capitale est subditis tribueri sibi nomen Imperatoris Augusti*, Schemot Rabba

Rabba parascha 8. multo minus DEUS patietur sui nominis gloriam aliis dari *Es. XLII. 8.* Præter controversiam vero divina nomina sunt אל גבור *DEUS fortis Es. X. 21. Deut X. 17. Nech. IX. 31. Jer. XXXII. 18. Ps. XXIV. 8. Es. XLII. 13. Zeph. III. 17.* Cui unqvam homini Scriptura hoc tribuit? אבי עד *Pater æternitatis. Ita*, inqvis ipse, *vocatur DEUS, qvia in omnem æternitatem perdurat: est enim Pater temporis, qvia illud creavit, habetqve potestatem ejus augendi, minuendi.* Qvis ergo hoc hominum sibi satis pie tribuere posset? Qvatuor Reges fuisse dicuntur in Schemot Rabba allegato loco, qvi qvæ solius DEI sunt sibi applicuerunt, ac propterea perierunt Chiram *Ezech. XXVIII. 2. 7.* Nebucadnezar *Es. XIV. 14. 15.* Pharao *Ezech. XXIX. 3. Jer. XLIV. 30.* Joas *Paral. XXIV. 17. 23.* Hi sua superbia חרעו לנפשם *exitium attulere animæ suæ.* Jam vero Hiskias pie expiravit *Paral. XXIII. 33.* Ergo sibi præsumtuose non tribuit qvæ DEI sunt. Qva fronte ergo Tu ipsi divina tribuis nomina? 3. Amplector & hoc qvod ais Puerum hunc suo merito præstitisse Solymam ab Assyriorum manu immunem. Proinde non potest intelligi Hiskias. Non enim propter Hiskiam sed *propter se & servum suum David* pollicetur se DEUS servaturum esse Hierosolymam *Es. XXXVII. 35.* Non propter Davidem Patrem: Nam is peccator fuit, sola DEI gratia salvatus *Ps. XXXII. 1. 2. b. Ps. LVII. 1. 2. 5.* nullius sibi meriti conscius *Ps. CXXX. 3. Ps. CXLIII. 2.* sed propter Davidem Davidis filium, Messiam hominum peccata servi instar portantem *Es. XLIII. 24. 25.* qvi suo merito & animæ & corpori hominum profuit: JESUM τὸν βλέυοντα *Apoc. III. 18.* τὸν ἐργάζοντα τὰ ἔργα τῦ πέμψος *Joh. IX. 4.* τὸν εὐλογητὸν Θεὸν *Rom. IX. 5.* τὸν ἰσχυρὸν *Luc. XII. 22.* τὸν τὰς αἰῶνας ποιήσαντα *Hebr. I. 2.* τὸν εἰρηνοποιήσαντα *Col. I. 20.* Hujus Pueri merito acqvisita Judæis libertas. Qvid? An etiam Hiskiæ regnum tribues æternum, qvod huic Puero datur *v. 7.*? Hoc vero prædicatum magnam vim habet, & manifesto indicat qvod hic innuatur divina persona. Sed hæc & alia qvæ huc pertinent reservamus ad usum versus octavi.

Usus

Usus ex vers. 5. Cap. II. Zeph.

MESSIAS ULTIONEM CAPIT A COETU MALIGNANTIUM E. AB EO PRIUS INJURIAM FUIT PASSUS. Idem ergo est Messias qvi & patitur & vincit. Judæi duos Messias fingunt, qvorum alteri servilia alteri gloriosa adscribunt. At una tantum est Messiæ persona in qva duplex status Exinanitionis & exaltationis conf. pag. 12. Alibi status exaltationis describitur. *Es. LIII.* caput statum exinanitionis exhibet. Negat Rabbi *Cap. XXII.* caput hoc de vero Messia JESU NAZARENO agere, sed de natione Israëlitica exponi debere asserit. Rationes ejus sunt.

1. Si JESUS DEUS est (qvod falso supponunt Christiani, cum nec ipse se nec Apostoli eum DEUM appellent, qvod ostensum C. X.) qvomodo poterit servus dici, exaltari, semen habere, dies prolongare, prædam partiri cum robustis, intercedere pro peccatoribus?

Resp. 1. D. n. JESUM verum DEUM esse invicta veritas est, qvæ adversus insultus Satanæ tot secula jam perstitit incolumis, qvidni tela tua straminea sustineat, Rabbi? Salvatorem nostrum DEUM non esse, dicis solum, non probas. Qvod ostensum vide *Part. II. Loc. XLVIII.* Atqve in isthac tua pervicaci opinione persistes, donec visa Salvatoris redeuntis gloria vel invitus fatearis, Benedictum esse JESUM qvi venit in nomine Domini. *Matth. XXXIII. 39. Phil. II. 11. Es. XLV. 23. Rom. XIV. 11.* 2. Prædicata qvæ DEO competere negas, JEHOVÆ diserte dantur in literis Sacris. JEHOVAH dicitur servire, *Es. XLVI. 24. 25.* Exaltari, *Esa. II. 17.* Semen habere, *Mal. II. 15.* Prolongare dies *1. Reg. III. 14.* Intercedere pro peccatoribus, *Zach. I. 12. C. II. 15.* Partiri prædam, *Zach. II. 13.* Nihil ergo obstant hæc prædicata D. n. JESU, qvominus sit verus DEUS. Conf. *Part. II. Loc. XXI.*

2. JESUS occisus est anno ætatis 33. Ergo non est exaltatus, nec vidit semen. Nusqvam enim semen Discipulos notat, ut filii, sed semper liberos proprie dictos.

Resp. 1. Si JESUS mortuus est & inmorte mansit non fuit

exaltatus nec vidit ſemen. Hac limitatione præmiſſa, cadit tua minor, evaneſcit concluſio. Præter Apoſtolos de reſurrectione JESU teſtimonium perhibet perpetuum veſtrum exilium. In hoc non potuiſſet Salvator vos conjicere niſi reſurrexiſſet. 2. Si ſemen ſemper notat liberos propriedictos, qvid qvæſo eſt ſemen ſerpentis? *Gen. III. 16.* An & Satan proprie gignit? Si ſemen hic non idem eſt qvod filii ſpirituales, qvare Chaldæus זרעך vertit כנך *ſemen tuum, filios tuos?* Si ſemen Abrahæ ſolam nationem Iſraëlis notat, qvare dicitur innumerabile *Gen. XV. 5.?* An Iſraël non potuit numerari? annon plus vice ſimplici numeratus fuit? *Num. I. 2. 2. Sam. XXIV. 9.* Qvis non illico cum legit *Geneſ. XV. 5.* והיה זרעך כעפר הארץ רמז לגרים *erit ſemen tuum ut arena maris; converſos ex gentibus innui* cum autore Jalk. Chad. *p. 54. 1.* judicet? *Apoc. VII. 9.* Qvid autem ſunt Proſelyti? annon diſcipuli? Dictum Judæorum eſt לא זכה שום אומה לעה"ב כי אם זרעה של שרה *nulla gens particeps fieri poteſt futuri ſeculi præterqvam ſemen Saræ.* Solum ergo ſemen Saræ ſalvatur & qvi non eſt ſemen Saræ ille non ſalvatur. Jam vero & gentes ſalvantur. *Eſ. II. 2. 3. Cap. XIV. 1. 2. Cap. XLIV. 5. Zach. VIII. 23.* Ergo gentes ſunt ſemen Saræ ſpirituale, i. e. Proſelyti. Conf. *Gal. IV. 26. 27.* Qvare ergo tam confidenter negas *ſemen* in ſcriptura *Diſcipulos* vocari?

3. *Qvinam ſunt illi multi & fortes qvos JESUS tanqvam prædam diviſit?*

Reſp. Sunt Satan & mundus. Satan in mundum regnat vi & fraude captivatum. At qvi Satana fortior eſt Meſſias eripit Satanæ captivatos, ſua precioſa morte pro ipſis ſatisfaciens. Hi cum ante poſſediſſent populum DEI, præda fiunt populi DEI, confer, *Eſ. XIV. 2. Cap. XLIX. 24. 25. 26. Zach. II. 13. Luc. XI. 21. 22. Col. II. 15.*

4. *Cuinam JESUS pro peccatoribus ſupplicavit, ſi DEUS eſt?*

Reſp. Eidem cui Angelus ille apud Zachariam *Cap. I. 11.* ſupplicavit. Hunc Jehovam eſſe patet ex collatione *Cap. II. 5. 8. 9. 10. 11. 12.* Eidem ad qvem Davidis Dominus preces fert, qvi eſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech *Pſ. CX. 1. 4.*

Hunc

Hunc autem verum DEUM esse qvis neget, cum fuerit Davidis Dominus? *Matth. XXII. 44.* Eidem intercedendi officium competere qvis neget cum sit Sacerdos. *v. 4.* Et an tam inauditum est in scholis Judæorum, *DEUM orare?* Rabbi Juchanan nomine R. Jose ad verba *Esa. Cap. LVI. 7. Exhilarabo illos in domo orationis meæ*, ita commentatur, בבית תפלתם לא נאמר אלא בבית תפלתי מלמד שהקבה מתפלל *non dicitur in domo orationis ipsorum, sed in domo orationis meæ. Unde discimus DEUM ipsum preces facere.* Jalk. Hatthorah in h. l. Formulam precandi R. Sutra filius Tobiæ nomine Rabh hanc exhibet: יהי רצון מלפני שיכבשו רחמי את כעסי: *Sit mea voluntas, ut miserationes meæ subigant indignationes meas.* Qvod si DEUS ipse ad se potest preces facere, an hoc tam absurdum Judæo videri potest, si Messias verus DEUS qvoad humanitatem suam fundat preces ad Patrem suum cœlestem?

5. *Qvia in JESUM hæc prædicata non cadunt, de natione Israelitica exponendum caput hoc est: Illa enim recte dicitur Servus DEI numero singulari.* Esa. XLI. 8. Cap. XLIV. 1. 21. Cap. XLV. 4. Jer. XXX. 10. Ps. CXXXVI. 21. 22. *Sic DEUS in X. præceptis sexcenta millia virorum in numero unitatis alloqvitur.*

R. 1. Servi nomen interdum collective sumi qvis dubitat? Qvæstio est utrum in hoc Capite unum individuum, an populum & in specie Judæos modernos significet. Hoc posterius, qvod tu asseris, tibi probandum. 2. Duplex est Israël carnalis & spiritualis. Ille præter sangvinem cum Abrahamo nihil habet commune. Hic autem insistit vestigiis fidei fidelis Abrahæ. Carnalis Israël sunt moderni Judæi, utpote qvi non per fidem in verum Messiam, sed per opera volunt salvari. Atqve de his qværitur an agat hoc caput. At loca allegata agunt de Israële spirituali, de Israële electo non de abjecto, *Es. XLI. 9. Cap. XLIV. 2. Cap. XLV. 4.* qvalis hodiernus est Israël: de eo cui remissa sunt peccata, *Esa. XLIV. 1. coll. cum v. 21. 22.* & *Cap. XLIII. 21. 24. 25.* non de impœnitenti, qvi propter sua peccata adhuc exulat: de eo, qvi serio dolet de admissis peccatis, atqve propterea solatii capax est, *Jer. XXX. 10.* non de præfracto & præsumtuose se ipsum justificante

pag. 98. 99. de Israële Mosaico, *Ps. CXXXVI. 21. 22. conf. v. 10-20.* non de Cæsareano. Qvam itaq; aliena sunt adducta loca à scopo! 3. Qvod DEUS Israëlem numero unitatis alloqvitur inde est, qvia unus est populus. At hic non de uno populo, sed de uno individuo sermo est, qvod vocatur איש *VIR v. 3.* Abarbenel superbe hic irridet Christianos, qvod ignorent nomen איש *Viri* toti populo sæpe dari; argumento hoc esse ait, qvam parum sint versati in Scripturis; ac deinde affert qvædam exempla, in qvibus איש *Vir* de universa gente accipiatur: *Jud. XX. 17. Vir Israël numerabantur. v. 20. Exibat Vir Israël. v. 22. Roborabatur populus, Vir Israël. Cap. XXI. 1. Vir Israel jurabat.* Item *1. Sam. XIII. 6. XIV. 24. Cap. XVII. 2.* At qvid aliud hic agit Abarbenel qvam ut glaucoma objiciat genti suæ jam satis occæcatæ? Etenim in omnibus illis exemplis nomen איש *Vir* non significat collective, sed distributive juxta enallagen apud Hebræos receptam, qva pluralis collective singularis vero distributive notare solet. Sic Amstælodamensis versio traduxit: Die Mannen von Israel sahen / *1. Sam. XIII. 6.* Die Mannen von Israel wurden gezwungen. *Cap. XIV. 24.* Patet ergo, qvod איש in his locis sit idem, qvod *unusqvisqve*, qvo sensu & infra *versu 7.* sumitur: *Omnes nos erravimus*, איש *Vir, qvisqve suam viam respexit*: destribuit enim omnes in singulos. Proinde in locis citatis *Israëli* genitivus erit non nominativus, ut ita *Vir Israëlis* sit, *qvisqve ex Israële*. Cum ergo in his exemplis totam gentem Israëlis in singulos distribuat, qvam male ea qvadrant ad præsentem locum, ubi dicitur: איש מכאובות *Vir dolorum*? An hic etiam dolores distribuere dicetur? Sed operæ precium est seqvi hic Rabbini vestigia, & singulos capitis versus considerare, qvos *Cap. XXIII.* omnes de Israële moderno exponere conatur. Qvis sensus est *v. 13. Cap. LII. Ecce prosperabitur servus meus?*

6. Israël servus DEI soluta captivitate Edumæa & Ismaëlitica supremus omnium gentium erit.

R. Si servis DEI promissa est hic talis dignitas nunqvam eam adipiscetur modernus Israël; de eo enim ostensum qvod non sit servus DEI, vid. num. præc. nec qvamdiu tuetur suas hypotheses esse

esse potest. *pag. 99. 100.* Si saniores Judæos rogo qvodnam hic subjectum innuatur, respondent: רז"ל פה אחר קיומי וקבלו כי : על מלך חמשיח ודבר ואתריחם נמשך : *Nostri majores uno ore omnes de Messia interpretati sunt. Atqve hos etiam nos sequimur. Alschech in Jer. fol. 91. col. 2.* Qvare Majores tuos deseris Rabbi? R. 2. Evectio hic summa innuitur עברי זה מלך חמשיח ירום מאברהם נשא ממשה ונבדה ממלאכי השרת : *Per servum intelligitur Messias, qvi extolletur supra Abrahamum, altior erit Mose & excelsior Angelis ministerii.* Ita est in Jalkuth Hotthorah in h. l. conf. *Cap. I. Hebr.* Est certe dignitas supremo enti proxima. Qva fronte tantam dignitatem spurcæ tuæ Genti adscribes Rabbi? Sed perge ad *versum 14. & 15.*

7. *Uti gentiles miseriam Israëlis mirabantur, ita è contrario evecti obstupescent incredibilem felicitatem.*

R. Miseriam Judæorum Abarbenel in h. l. statuit in defectu 1. Sapientiæ, 2. Regni, 3. Prophetiæ, 4. gratiosæ DEI præsentiæ. Atqve horum præsentiam constituere felicitatem hic promissam. Bene facit Abarbenel, qvod primo loco ponit defectum Sapientiæ. Est ea vel externa, vel interna. Illa, versatur circa res corporeas ac mundanas. Hæc, est vera ac salutaris agnitio DEI. Illa nunqvam fuit ab iis ablata cum palam sit inter Judæos peritissimos inveniri Mercatores, Medicos, aliosqve artifices. Hæc ergo innuitur; id qvod vel inviti fatentur cum defectum hunc probant ex *Es. XXIX. 14. Perit Sapientia Sapientum.* Conf. *pag. 48. 49.* Hunc veræ ac salutaris sapientiæ defectum, regni, prophetiæ & gratiosæ DEI præsentiæ jacturam insecutam esse promtus largior. Hinc infero, qvi non habent veram DEI agnitionem, illi DEUM non recte colunt. Ignoti enim nulla cupido. Qvi DEUM non recte colunt, in eos non conveniunt promissiones de futura felicitate, sed minæ de æterna miseria. Si ergo hic de felicitate agitur, qvid ea ad vos? Cedo sensum *versus 1. Cap. LIII.*

8. *Dicent Gentiles: Qvis nostrum fidem habuit prædicationi Prophetarum de futura Judæorum felicitate, qvam nunc ampliorem oculis cernimus, qvam ex iis audieramus?*

R. Præcedentis capitis versus ultimus ex tua mente, Rabbi, hanc habebat paraphrasin: *Videbunt Reges gentium felicitatem Israelis, quæ ipsis antea nunquam narrata erat.* Ibidem vocem נגד recte ais habere ענין דבור *notionem loquelæ.* Erit itaque sensus: *narrabit gentibus ea, quæ nunquam ipsis fuere narrata.* Hujus contra versus talem exhibes sensum: *dicentque: Quis nostrum credidit Prophetis felicitatem prænunciantibus?* Hic ergo ais prænunciatam à Prophetis esse felicitatem. Ibi negas esse prænunciatam. Qvomodo hæc cohærent? Scio qvomodo elabi velis. Ais ampliorem visuros esse felicitatem atqve fuerat prænunciata. Ergone Prophetæ in prædicenda Judæorum felicitate non satis fideliter functi sunt suo officio dum nec gradus, nec partes felicitatis Judaicæ omnes enarrarunt? Prophetæ proprie ad Judæos pertinent non ad Gentes. Judæis prædicarunt mysterium Messiæ σεσιγημένον ἀπὸ τῶν αἰώνων, qvod non fuerat prædicatum gentibus. Judæi ergo non gentiles hic ob incredulitatem taxantur, ut qvi in sacris literis passim ob incredulitatem male audiunt. *Joh. XII. 38. Rom. X. 16.* Progredere ad *versum 2.*

9. Non enim putassemus fieri posse ut populus tam desperatæ sortis ad tantæ dignitatis fastigium posset evehi, cum in eo nullus decor esset.

R. 1. Subjectum hic confertur cum planta tenera, cum radice ex terra siticulosa prodeunte. Nomina hæc sunt individualia & Messiam ejusqꝫ humillimam nativitatem describunt. Sic *Es. XI. 1. planta, surculus* vocatur. *Radix Isai, v. 10.* prodiens ex terra siticulosa, i. e. ex succisa stirpe Isai, *Rom. XV. 12. Apoc. V. 5. Cap. XXII. 16.* Scilicet ut planta succum ac substantiam habet ex terra, ita & Messias carnem & sangvinem traxit ex Isæo, qvem etiam in æternum non deponet. Judæo surculus tener est natio Judaica; terra siticulosa, status captivitatis: propullulatio, evectio ad dignitatem amplissimam. Fiat jam applicatio: Uti surculus è terra siticulosa prodiens succum ac substantiam habet ex terra, qvam nunqvam deponit: Ita & natio Judaica prodiens ex statu captivitatis, indolem ac statum captivorum semper retinebit. Qvæ enim ita habet ex statu captivitatis, uti arbor sua habet ex terra, ea ipsi naturalia sunt ac perpetua, uti arbori naturale est esse terream.

ream. Qvam ergo tibi ipsi officis tua comparatione Rabbi! 2. Falsum est Judæos nihili à Christianis æstimari. Æqvum qvidem esset ut qvemadmodum Judæi spernunt CHRISTUM & sanctam ejus Ecclesiam, ita vicissim à Christianis spernerentur & pro hostibus haberentur, *Rom. XI. 28. Ps. XV. 4.* At illi cum divitiis abundent, ita Magnatum sibi benevolentiam conciliare solent dandis donis, ut non habeant qvod de contemptu qverantur. Ajunt hoc sibi à Patre suo Jacobo relictum exemplum, ut qvemadmodum ipse donis pacavit iram fratris Esavi, sic & ipsi Christianos, qvos posteros esse Esavi falso dictitant, muneribus sibi conciliare debeant, vid. Bech. *in leg. fol. 46. col. 2.* Hoc solo Patriarcham imitantur. Hac via & beati & tuti vivunt inter Christianos, imo sæpe, qvod dolendum, in gravissimis sceleribus patrocinium inveniunt. Qvid ergo de contemptu qveruntur delicatuli? Sed an & *versum 3.* de tua gente interpretaberis?

10. Vilitas ac contemptus tantus erat Israëlis omnes injurias ac molestias exilii perferentis, ut faciem ab ipso avertentes nollemus eum aspicere.

R. 1. Hic Subjectum dicitur איש מכאובות *Vir dolorum*, qvam vocem individualem esse, nonnunqvam distributivam, supra fuit probatum *n. 5.* Idem comparatur cum aliis viris contemtis cum dicitur חדל אישים *contemtissimus hominum*, cujus משחת מאיש מראהו ותוארו מבני אדם *aspectus præ alio Viro corruptus & forma præ filiis hominum*, uti exponitur *Cap. LII. 14.* Qvemadmodum ergo ii, cum qvibus comparatur Subjectum, non sunt gentes, sed filii hominum, seu plura hominum individua, ita & ipsum subjectum non erit gens, sed individuum unum. Non ergo hic intelligi potest populus Israël. Neqve vero 2. in Israelem qvadrat descriptus hic contemtus. Narrat Bechai *fol. 45. col. 4. in Leg.* Jehudam Sanctum aliqvando epistolam ad Cæsarem Antoninum datam his verbis inscripsisse: Sic dicit Servus tuus Jehuda. Illico rescripsisse Cæsarem: Qvid Te obsecro vocas servum meum? O utinam ego aliqvando tam fortunatus essem ut fierem servus tuus in regno cœlorum! Si tanta est Terrarum Domini observantia in Rabbinum, qvid non credas minores facere Principes?

cipes? Enimvero si tanta esset Judæorum aversatio, qvantam hic venditat Rabbi noster, ea aut inde esset, qvod Judæi omni plane mente ac ingenio carerent, aut qvod morbis contagiosis laborarent, aut qvod iis minus nihilo esset. Uti enim dona animi corporis ac fortunæ æstimium ac amor comitatur, ita defectus talium donorum plerumqve fastidium ac contemtum parit. Jam vero nihil horum de Judæis dici potest. In his enim donis si non superant æqvant certe alias gentes. Cui enim non nota est Judæorum in tractanda mercatura solertia, in acqvirendis opibus subacta sedulitas? Acqvisitis divitiis qvid bonorum est qvorum indipiscendorum non habeant facultatem?

- - - - Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina, humanaqve pulchris
Divitiis parent, qvas qvi construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam & Rex,
Et qvidqvid volet.

Sint inter eos pauperes, sint afflicti, sint oppressi ac contempti, nulla gens tam fortunata est, qvæ omnem miserorum mixturam excludat. Qvid ergo est miseriæ, qvod cum alia gente non habeant commune? An qvod patria carent? qvod in exilio degunt? Qvid? annon patria est ubicunqꝫ bene est? Et cum cœteris donis externis excelleant, qvis est, qvi eos propterea contemnit, qvod avita terra carent? Propera ad *versum 4.*

11. At vero cum jam sole clarius pateat penes Judæos veritatem esse, nos autem ovium instar errare, manifestum est omnes illas exilii calamitates non obvenisse ipsis ob propria peccata, sed ob nostra. Nos enim merueramus talia exilii mala: etsi persvasi fuimus Israëlem ea ob suam à DEO apostasiam pati.

R. Infero hinc: Subjectum qvod hic describitur non ob sua sed ob gentium peccata pœnas fert. Judæi ob sua propria peccata ferunt pœnas exilii. Ergo Judæi hic non intelliguntur. Major est Rabbini. Minor probatur. Exulant enim ob perjurium, vide supra *pag. 51.* ob contemptum verbi divini, *pag 42. 48.* Recte ergo persvasi sunt Gentiles, qvod ob propria sua peccata Judæi

pœnam

pœnam exilii ferant. Ubi enim est impœnitentia, ibi est peccati dominium. Aliud ergo hic subjectum innui necesse est, qvod sit expers peccatorum. Atqve hic Messias. Seqvitur paraphrasis *versus 5.*

12. Et cum alias nulla sit pax & felicitas ita perfecta, qvin aliqva ipsi admisceatur calamitas, nos qvidem plenam pacem habuimus, cum Judæi interim nil nisi meram miseriam paterentur. Aut si forte nobis qvoddam imminebat infortunium, certe Judæorum societati debemus, qvod cum membra essent nostræ reipublicæ, illud precibus à nobis amoverunt.

R. 1. Probatum est n. 10. Judæos frustra exaggerare suam miseriam, qvi cum ad *Genes. XLIX. 10.* ventum est, non cessant omnes nervos intendere, qvo probent sibi sceptrum nondum esse ablatum, sed adhuc in Æchmalotarchis conservari. vid. *Cap. XIV.* Si itaqve adhuc sceptrum gerunt, & ea præterea habent, qvæ ad externam felicitatem reqviruntur, qvæ insania est de miseria tantopere qveri? 2. Cum è sua terra sint ejecti apud Christianos tuta hospitia inveniunt, contra injurias defenduntur, juxta leges Romanas non secus ac alii Christiani judicantur, liberum religionis exercitium facilius obtinent, qvam Christiani in articulis fidei dissentientes: si qva ipsis accidit calamitas eane tantopere exaggeranda est, ut nulla in orbe gens similem pati dicatur? Hæc vero magna mollities est. Et qva 3. audacia asserit Rabbi, qvod Christiani plenaria fruantur felicitate, dum Judæis interea plene male sit, cum constet qvam illi multos Christianos illicitis suis usuris defraudent ac exsugant, qvi nisi paupertate summa premerentur, nunqvam ad Judæorum confugerent auxilia? Hoc vero 4. ridiculum valde est, qvod suæ intercessioni tribuant calamitatum Christianis impendentium amotionem: qvi si qvid suis precibus efficere possent, id omne in amovenda exilii sui mala, de qvibus tantopere qveruntur, impenderent: qvi se diserte negant, dum in exilio sunt, exaudiri eo, qvod non habent salutarem de DEO notitiam. Conf. *Loc. LXV. fin.* imo qvi dum pertinaciter suam protrahunt impœnitentiam exaudiri à DEO haut possunt. *Esa. I. 15. LIX. 2. 3. Joh. IX. 31.* Denicq 6. vocem חבורה qvam reliqvi omnes *livorem* esse docent, exponit per *societatem*. Invita sane Scriptura. Nusqvam enim

in eo sensu alibi occurrit. Inventa est στρεβλότης ad pingendum intercessionis beneficium, quod præsumtuosa gens neque præstare potest, neque Christianorum quisquam ab ea desiderat. Sensus *versus 6.* quis est ?

13. Nos erravimus : quisque nostrum suum sibi DEUM finxit. At Judæi nostri erroris ac peccati pœnam ferre coacti sunt.

R. Ergo Judæi hic intelligi non possunt. Qui enim aliorum expiare debet idololatriam, illum purum esse ab omni idololatria oportet. Jam vero Judæi sunt Idololatræ pessimi, qui nunquam in exilium acti essent, nunquam in captivitate detinerentur, nisi majorum suorum in exercenda Idololatria premerent vestigia. אין לך דור ודור שלא יהא בו אונקיא מעון העגל : *nulla ætas fuit, quæ non participaret aliquid de peccato vituli*, quod dictum antiquissimum Bechai allegat *in Leg. fol. 124. col. 3.* conf. *Part. II. Loc. LX. 3.* Age *versum 7.* expedi.

14. Cum nos sæpe falsis criminationibus Israëlem argento emungeremus, ille oviculæ instar patientissime talem tulit injuriam, Ps. XLIV. 22. 23. Jer. L. 17.

R. Inverto : Subjectum hujus capitis instar oviculæ patientissime fert injuriam sibi illatam. Atqui Judæi injuriam sibi illatam non ferunt. E. non erunt subjectum hujus capitis. Major est Judæi. Minorem probat experientia. Conf. *Part. II. Loc. XI. & XLVII. Obj. 2.* Hic ostensum fuit Judæos aversari Christianos ut hostes, etsi nullam habeant odii causam, cum multa à Christianis beneficia accipiant, vide supra *n. 11.* Esto, patiantur à Christianis injuriam, patiantur injustas exactiones, cui ignota est inhumana usurarum Judaicarum iniqvitas? Annon ea multipliciter rependunt, qvod accipiunt damnum ? Docet Limnæus ad Jus Publ. *Lib. III. Cap. II. n. 41.* Judæos ex uno floreno, si qvavis hebdomade à Christiano duos obolos, ut solent, accipiunt, intra viginti annos facere 5671. solidos 6. Hallenses tres cum dimidio : ex viginti florenis intra viginti annos facere 51854. solidos 13. Hallenses sex cum dimidio. Vid. Wagens. tela ignea Satanæ *pag. 534.* conf. Giess. censuram de Jud. *pag. 91.* item Mulleri Judaismum *Part. II. Cap. III. pag. 1439. pag. 1472.* item Hulsii Ribh Jehuda

pag. 417.

pag. 417. Hæc est נשך *usura* à mordendo dicta, eo qvod כשם שארס הנחש נכנס מן הנושך אר הנשוך באיבריו וגידיו כן ענש האסור נכנס בממונו שר מלוה : *qvemadmodum venenum ex serpentis ore progreditur in admorsi membra & nervos ita & hæc illicita usura fœnerantis opes ingressa consumit.* Bech. *in Deut. XXIII. 20.* Talem exigere à Christianis non libertatis esse ajunt, sed præcepti. Rabbi Maimonides ait esse unum ex præceptis 248. affirmativis atqve *Deut. XXIII. 20.* esse injunctum. Vide Bech. *l. c.* Rabbi David Kimchi *in Ps. XV.* scribit : אין ישראל חייב לעשות עם הגוים חסד ולהלווות לו ממונו חנם כי כרוב הם שונאים ישראל : *Non obligati sunt Judæi Gentibus opera misericordiæ exhibere, ipsisq; sine fœnere mutuo dare, siqvidem pleræqve Judæos odio habent.* Ex his patet non patienter eos ferre injuriam sibi illatam ac propterea non posse esse capitis hujus subjectum. Loca adducta ad eos pertinent, qvi DEO fideliter adhærent, nec unqvam ab ejus fœdere resilierunt, ad pœnitentes, *Jer. L. 4. 5. 6.* non ad impœnitentes Judæos, qvi etsi se propriis viribus pœnitentiam agere posse falso profitentur, tamen pervicaciter detrectant, *pag. 54. num. 4.* Age audiamus & *8. versus* paraphrasin.

15. Superavit jam Israel exilii mala & falsas in judiciis criminationes. Qvis omnes per tantum temporis exantlatas molestias posset digne enarrare? Enimvero qvidqvid ipsi mortis aut supplicii in exilio obvenit, minime ob sua propria, sed ob nostra scelera perpessus est.

R. Agnosco hic de tali agi subjecto, qvod peccati innocens aliena peccata portat. Proinde Judæi esse non possunt, qvi se ob propria scelera in exilio detineri diserte fatentur, prout jam sæpius fuit probatum, *pag. 51. pag. 42. pag. 48.* De tali, qvod tandem superatis molestiis gloriæ coronam reportat. Ergo non est Israel modernus, qvi propterea qvod pœnitentiam nec vult, nec potest agere, etsi ad eam agendam satis habere virium persvasus est, nihil partis habet in promissionibus de qviete vel hujus, vel futuri seculi. Succedit *9. versus* paraphrasis.

16. Qvos enim Judæos non crudeliter excruciatos necavimus, non

qvod meriti essent tale supplicium, sed ut ipsorum divitias invaderemus? Atqve hæc omnia passi sunt patientissime, ne necesse haberent perversæ religioni se addicere, & mendacium ore proloqvi.

R. Non ergo tam miseros esse oportet Judæos, cum suis sibi divitiis tantam concilient Christianorum invidiam. Qvi hic intelligitur, in ejus ore non est mendacium : In Judæorum ore est mendacium : Ergo Judæi intelligi hic non possunt. Minor patet ex eo, qvia Judæi carent vera sapientia, veram spernunt doctrinam DEI, qvod ipsimet fatentur, vide supra *pag. 48. 49.* Qvi veram non habent sapientiam & doctrinam, illi habent falsam ac mendacem. Est ergo in Judæorum ore mendacium ac propterea intelligi hic miminime possunt. Aperi nobis mentem tuam, Rabbi, de *10. versu.*

17. Cum ergo insons esset Israël, nullius in legem injuriæ reus, DEUS ei exilium immisit, ut ita expiatis per exilii molestias peccatis nostris & seminis multiplicationem Zach. X. 8. 10. Ezech. XXXVI. 11. *& vitæ longævitatem,* Es. LXV. 22. Zach. VIII. 4. *pro mercede reportaret.*

R. O ingentem sanctitatem Verparum, qvæ non tantum peccata Gentilium expiat, sed & tam eximiam mercedem habet, idqꝫ pro exilio tam leni, tamqve divitiarum affluente, nihilqve aliud molestiæ præter cæteras gentes habente, qvam qvod sceptro domestico caret? Enimvero vix ea fidem merebitur apud Tuos Rabbi, qvorum neminem esse judico, qvin se concupiscentiam pravam animo gerere, ac propterea sanctum esse non posse fateatur. Sed adesdum, ut tuo Te gladio jugulem. 1. Insons est, ac nullius peccati in Legem reus, de qvo hic est sermo. E. Judæi hic non possunt intelligi, nam illos impœnitentes esse & præfracte in impœnitentia perseverare jam sæpius fassus es. Imo exilium non nisi impiis & à fœdere resilientibus denunciatum fuit. *Lev. XXVI. 14. seq. Deut. XXVIII. 15. seq.* Ergo pœna exilii Judæis illata de ipsorum peccato testatur. 2. Judæi non possunt aliorum peccata expiare, qvod eum, de qvo hic sermo est, facere agnoscis; Absurdum enim est præfracte impœnitentem aliorum expiare scelera. E. alius qvam Israël intelligendus. 3. *Ascham*, seu sacrificium pro reatu fieri, notat

notat instar pecudis mactari, *v. 7.* ex terra viventium exscindi, *v. 8.* morti dari ac sepeliri, *v. 9.* hæc personalia sunt prædicata; Proinde Israeli populo non competunt. 4. Apte qvoqve allegas loca, qvæ de multiplicatione seminis agunt. Supra *n. 2.* negabas, *semen* notare *discipulos.* At loci allegati hoc docent. Nam *Zach. X. 8.* de tali semine agitur, qvod per prædicationem ex remotis locis colligitur, non qvod per cohabitationem maris & fœminæ generatur, *Ezech. XXXVI. 11.* de tali, qvo dudum caruit Israel, *v. 12. 13. 14.* jam vero semine corporali nunqvam caruit. Ergo intelliguntur Gentiles conversi, qvi Israelem hæreditant. *vers. 11.* Qvid postremis duobus versibus sententiæ inesse censes?

18. Hactenus Gentes loqvi introductæ. Qvæ sequuntur DEUS ipse profert promittitqve Judæis cum spiritualia bona veram sui cognitionem, Jer. XXXI. 33. *& vitam æternam Patribus promissam, tum corporalia Gogitarum opes: Idqve propterea qvod pro impiis satisfecit & oravit.*

R. 1. Ergo carent Judæi hodie vera DEI cognitione. Qvibus enim *Jer. XXXI. 33.* notitia DEI promittitur, illi à fœdere DEI resilierant. *v. 31. 32.* 2. Ergo Judæi hic intelligi non possunt, qvia neqve satisfacere pro aliis, ipsi peccatis sordidatissimi, nec intercedere possunt præclusis precum in exilio januis: uti supra ostensum.

Hæc est communis Rabbinorum modernorum Glossa, qva sensum hujus capitis horribiliter pervertunt. Glossa non juxta veram derivationem, qvæ græca est, sed secundum Germanicam, qvam Dn. Spathius in Lexico Germanico, non ita pridem edito, in qvo operose id agit, ut peregrinas voces in civitatem Germanicam receptas, ad radicem revocet Germanicam, exhibet, dum *glossa* dictum vult, qvasi Gelaß *excrementum.* Scilicet non est hæc פירוש *explicatio*, sed פרש *fimus*, uti Rabbini ineptam interpretationem per paranomasian vocare solent. Nos hunc fimum suum Rabbino in vultum sparsimus, *Mal. II. 3.* ut ita agnosceret, qvam non tam Christianæ fidei, qvam sibi suæqve doctrinæ obfuerit. Probavimus enim Israelem prædicata illa minime sustinere posse, ac proinde aliud hic necessario subjectum intelligi, qvi Messias.

Usus ex versu 6.

OMNES SUMUS NATURA OVES PERDITÆ AC ERRANTES. MESSIA ERGO OPUS EST, QVI NOS REDIMAT, COLLIGAT, PASCAT. Similem in modum ex *Esa. LXIV. 6.* Christianus qvidam Theologus contra Judæos infert, *Cap. XXIII.* SI OMNES JUDÆORUM JUSTITIÆ SUNT, SICUT PANNUS MENSTRUATÆ, NECESSE EST JUDÆOS NON PROPRIIS MERITIS SALUTEM ACQVIRERE POSSE, SED ALIENA SATISFACTIONE INDIGERE. Rabbi noster ita respondet:

Salus nostra utiqve non tantum à nostris dependet meritis, sed & à misericordia DEI, conatus nostros juvantis. Jer. LXV. 5. *& propter nomen suum nos liberantis*, Ps. LXXIX. 9. Ps. XXV. 11. Ps. CXV. 1. Ps. CXLIII. 11. Ps. XLIV. 6. 27. Ps. LI. 3. Ps. LXXX. 19. Jer. XIV. 21. Dan. IX. 18. *condonantis nobis peccata propter seipsum*, Es. XLVIII. 11. Cap. XLIII. 24. Ezech. XXXVI. 22. Cap. XX. 44.

R. Abarbenel in Maschmia Jesch. *pag. 36. col. 1.* hanc Judæi mentem ita clarius exponit: האדם כדי להתקרב לבורא ית' ולהתדבק בו לא יספיק רצונו וכוונתו אם לא ילוה אלוה העזר האלהי: *Ut homo ad DEUM Creatorem convertatur eique adhæreat, non sufficit voluntas aut conatus ejus, nisi à DEO mutuetur auxilium gratiæ.* Putant ergo hominem ex suis viribus habere conatum ac desiderium sui convertendi, cui postea DEUS subveniat, qvæ olim & Massilienſium seu Semipelagianorum fuit sententia. Hinc autem mortificata ope gratiæ divinæ carne, Legem totam posse implere; qvo spectat qvod ajunt אין דברו תורה מתקיימין אלא בממית עצמו: *Ab eo, qui pravam suam concupiscentiam mortificat præcepta Legis impleri possunt.* Duas ergo Justificationis causas ponunt Judæi 1. Gratiam DEI, 2. merium proprium. Sed audi 1. Rabbi. Si conatum habes seriam pœnitentiam agendi, erit ille vel à te ipso, vel à DEO. A te ipso esse non potest, qvia qvatenus nondum conversus es mancipium es pravæ concupiscentiæ tuæ,

tuæ, qvæ te non patietur pœnitentiam agere, conf. supra *pag. 54. 55.* Si à DEO est pertinebit ad gratiam prævenientem. Qvid ergo eum tibi aut tuis viribus adscribis? Mire hoc illustrant loca abs te adducta, *Jer. XXX. 21. Ps. LXV. 5.* Illic ita legitur: *Adducatur ipsum ad me:* ratio statim subnectitur: *qvia nemo est:* אשר ערב את לבו i. e. היטיב לבו והכשורו *qvi suum cor rectificet, ut accedere possit ad me*, ut exponit Kimchi. Ergo per naturam cor malum est, & propter suam malitiam accedere non potest ad DEUM. Rectificatione ergo opus est, hæc autem uti ab homine proficisci negatur, ita DEO unice adscribitur. Chald. ארי מן הוא דין דאתרעי לביה לאתקרבא לפולחני: *Qvis est, qvi habeat cor DEO placens ad accedendum ad cultum meum?* Dominus noster JESUS ita transtulit, *Joh. VII. 65.* οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, ἐὰν μὴ ἦ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ πατρός μου, *Psal. LXV. 5.* eadem sententia est. 2. Loca adducta NOMEN DEI ita opponunt justitiis hominum, ut eas ex actu justificationis plane excludant, *Ps. CXV. 1. Non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Jer. XIV. 20. 21. *Iniqvitates nostræ testantur contra nos, fac ergo propter nomen tuum.* Dan. IX. 18. *Non propter ullam justitiam nostram, sed propter miserationes tuas.* Ergo meritis operum in actu justificationis nullæ relinqvuntur partes. Qvod autem est nomen DEI? Non id, qvod vi luminis naturæ ex inspectione rerum creatarum de DEO cognosci potest. Nam aperte fatentur Judæi se in hoc seculo nescire nomen DEI, ac propterea non exaudiri, uti nomine Rabbi Pinchas filii Jair ait Rabbi Josua filius Levi Jalkut Hatthora in *Ps. XCI. 41.* Jam vero qva DEUS ex naturæ lumine cognoscibilis, à Judæis non ignoratur. Ergo nomen DEI hic ratione luminis revelati spectandū. Hoc à Judæis ignoratur. Qvidqvid enim Scriptura de DEO, de filio DEI, de salvatione eorum, qvi in ipso fiduciam ponunt, testatur, etsi clare legunt Judæi, tamen præjudiciis propriarum virium occupati non intelligunt. Hoc autem est illud DEI nomen, qvod per totam Scripturam prædicatur: οὔτε γὰρ ὄνομά ἐστιν ἕτερον ὑπὸ τὸν οὐρανὸν τὸ δεδομένον ἐν ἀνθρώποις ἐν ᾧ δεῖ σωθῆναι ἡμᾶς, *Actor. IV. 12.* Est nomen CHRISTI, de qvo omnes Prophetæ vaticinati, *Actor. X. 43.* שמו של משיח רפואה למכרי

Hoc

Hoc nomen Messiæ est remedium peccati. Ir Gibb. *fol. 10. 3.* Cætera loca, qvæ adducis, Rabbi, docent DEUM PROPTER SE IPSUM Israëlem liberare. Si ergo DEUS propter se ipsum liberat, non liberabit propter justitias humanas. Si enim DEUS ad suam justitiam humanam justitiam adjungere necesse haberet, seqveretur justitiam DEI non esse sufficientem ad præstandam gentis humanæ redemtionem. Qvis hoc sine blasphemia affirmet? Sed adi *Cap. I. 3. Epl. ad Hebr.* ibi invenis qvod JESUS sit ὁ δι ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Deniqve 4. in allegato loco omnes justitiæ vestræ reprobantur, eo qvod, ut fateris cum Kimchio non fiunt bona intentione.

Usus ex versu 7.

DEUS TOLLET SERVILEM JUDÆORUM STATUM: Ergo AUFFERET ONUS LEGIS MOSAICÆ. Inter onera legis qvoqve erat qvod Judæi singulis annis ter Hierosolymas ire ac ibi in templo comparere tenebantur. Hoc abrogatum iri docet, *Jer. Cap. III. 16. Cum augescetis in terra*, NON DICENT AMPLIUS, ARCA FOEDERIS DOMINI, *neqve veniet in animum, neq; recordabuntur ejus, neq; visitabunt*, NEQVE FIET AMPLIUS. Rabbi *Cap. XXIV.* hunc locum ita interpretatur.

Absit ut hic nobis spes reparandæ arcæ fœderis adimatur. Sensus est: Qvando Gentes, qvæ qvod vero DEO adhærent tum populus DEI dicentur, Zach. II. 15. Es. LVI. 7. *Hierosolymas venient ad perqvirendum verbum DEI,* Es. II. 2. *non dicent:* Arca fœderis Domini, *i. e. non sibi id sument, ut in locum Arcæ vicinum se conferant, aut in eum respictant, unde dicit:* Non fiet amplius, *i. e. non fiet amplius id qvod pridem factum est, ut nempe alienigenæ in templi atrio preces faciant,* 1. Reg. VIII. 41. 42. 43. Sed illo tempore Solymam solium Domini vocabunt, *i. e. non ingredientur gentes amplius Hierosolymam orandi gratia, sed è longinqvo constitutæ preces fundent. Tanta erit tum Hierosolymorum sanctitas.*

R. 1. Negas, Rabbi, Gentibus tempore Messiæ aditum fore ad Sanctuarium. Simul autem teipsum refutas, dum allegas *Es. II. 2.* ubi expresse Gentes ita introducunt loqventes; *Venite ascendamus*

damus montem Domini, Domum DEI Jacob. Item dum asseris Gentes esse & dici DEI populum juxta *Es. LVI. 6. Alienigenas adducam ad montem sanctum meum, & lætificabo eas in domo orationis meæ.* Alterutrum ergo tibi revocandum erit. 2. Verba textus *non dicent amplius* impersonaliter erant vertenda ex idiotismo lingvæ. *Non dicetur amplius*, aut *non dicent amplius qvicunqve antehac dixerant*, nempe cum Judæi, tum Gentiles conversi. At tu hoc ad solas Gentes restringis. Adeoqve hic demis aliqvid textui. 3. Verba, *non fiet amplius* prædicatum sunt arcæ fœderis, qvæ ὃ ποιηθήσεται ἔτι, ut vertunt LXX. Tu hic novum substituis subjectum, nempe *non fiet amplius, qvod olim factum, ut Gentes habeant atrium in Sanctuario.* Hic addis textui. Imo contradicis Spiritui S. qvi Gentibus in Sanctuario locum assignat, *Es. LVI. 7.* Vide, qvo tua te rapiant præjudicia. Sed qvid mirum, si Præceptores tuos seqveris? Abarbenel ait: הוא מאמר זר מאוד לפי שאם לא יזכרו ארון ברית ה' הוא ויעוד רע ולא טוב: *Valde difficilis hic locus est: Si enim non recordabuntur amplius arcæ fœderis DEI, non erit hic promissio, sed comminatio.* Hoc vobis præjudicium obstat, qvo minus hoc prædicatum Arcæ esse velitis, qvia putatis arcam restitutum iri. Proinde Chaldæus, Salomon, Kimchi hoc ita exponunt: לא ועשה עוד מה שנעשה כבר בו בשולה שהביאוהו במלחמה בימי עלי *Non fiet amplius: scilicet qvod illa olim factum est tempore Eli, cum in prælium asportaretur Philistæorum.* Vide Raschi in h. l. Sed cum tua tum horum expositio הם דברים חיצוניים אין בכתוב דבר לא מהמלחמה ולא משאר הדברים *longissime à scopo textus recedunt. Nulla enim in textu fit mentio belli aut ejusmodi aliarum rerum:* ceu recte hic judicat Abarbenel. Qvid ergo 4. causæ est qvare non amplius dicent ARCA FOEDERIS? R. Salomon ait, כי כניסתכם תהא קדושה ואשכון בה כיאלו הוא ארון: *qvia Ecclesia vestra tum sanctissima erit, in qva ego habitaturus ut olim in arca.* Abarbenel propius ad rem accedit: לא ועלה על לבם שהקדושה בלבד תמצא במקום הארון כי בכל מקום שהם יהיו מקודשים וכן לא ולכו להשבע שבועה ואלה במקום הראשון במקדש

כנגד הארון כי הנה בכל מקום יהיה מוקטר מוגש לשם ה׳ לא במקום הארון בלבד : *Non erunt persvasi sanctitatem tantum in Sancto Sanctorum inventum iri; sed qvod, ubicunq; terrarum erunt, sint futuri sanctissimi. Ac proinde cum jusjurandum præstandum erit, non se conferent in Sanctuariua, ut olim mos erat, in conspectu arcæ juraturi, siqvidem in omni loco suffimentum DEO offeretur*, Mal. I. 11. *non in loco sanctuarii tantummodo.* Imo negative hæc sunt accipienda: Non erit sanctitas amplius in loco sanctuarii, qvem scriptura eversum iri affirmat, sed in omnibus terrarum locis ubi Ecclesiæ DEI erunt plantatæ. Urgeo verba: *Non fiet amplius:* Qvæ verba qvi aliorsum qvam ad arcam referet, manifesto addit verbo DEI. Abarbenel intra sacrum & saxum hic stans refert ad ברית q. d. *Non fiet amplius fœdus.* At bis impingit. 1. in grammaticam. Nam ברית generis fœminini est pl. בריתות/ Ergo non patietur masculinum ועשה *fiet.* 2. in Scripturam. Diserte enim legitur, *Jer. XXXI. 31.* qvod DEUS tempore Messiæ novum fœdus sit cum Israële facturus.

Periocha X. 8. 9. 10. 11.

Denunciat Moabitis & Ammonitis & sub eorum typo omnibus orientalibus Ecclesiæ hostibus damnationem ætèrnam. Piis autem ac fidelibus æternam gloriam & dominium. Illorum notanda I. culpa est, contumelia in Dei populum: AUDIVI OPPROBRIUM MOAB ET CONVITIA FILIORUM AMMON, QVÆ CONJECERUNT IN POPULUM MEUM ET MAGNA LOCUTI SUNT CONTRA TERMINUM EORUM. II. Pœna est æterna ira ac vastatio PROINDE VIVO EGO DICIT DOMINUS EXERCITUUM, DEUS ISRAELIS: MOAB UT SODOM ERIT, ET AMMONITÆ UT GOMORRHA, URTICETUM, ET FODINA SALIS, ET SOLITUDO ÆTERNA. Horum describitur I. Dominium & gloria

ria pro acceptis convitiis RELIQVIÆ POPULI MEI EOS DEPRÆDABUNTUR, ET RESIDUUM GENTIS MEÆ POSSIDEBUNT EOS. HOC ERIT IPSIS PRO SUPERBIA IPSORUM QVIA PROBRIS AFFECERUNT ET MAGNA LOCUTI SUNT CONTRA POPULUM DOMINI EXERCITUUM. II. Tempus Dominii TERRIBILIS ERIT JEHOVA CONTRA EOS, CUM EMACIABIT DEASTROS TERRÆ, ET CUM INCURVABUNT SE IPSI QVISQVE E LOCO SUO, OMNES REGIONES GENTIUM.

Sensus Abarbenelis.

Audivi opprobria Moabi & Ammonis, qvæ conjecerunt in Judæos cum per regionem ipsorum in terram Babylonicam deducerentur, audivi injuriam qva partem terræ Judaicæ suo regno adjecerunt. Qvapropter evertentur cum regno suo, & qvi in Moabitide remanebunt ii post solutam captivitatem Babylonicam Judæis prædæ erunt. Hoc ipsis erit pœna pro sarcasmis qvibus Judæos terram ipsorum transeuntes exceperunt. Veniet qvoqve tempus qvo timebunt à potentia DEI, nempe cum omnes Gentium Deastros emaciabit, & unusqvisqve de loco suo etiam remotissimæ insulæ Jehovæ sese incurvabunt. Id qvod fiet temporibus Messiæ.

NOTÆ.

Hic culpa Moabitarum & Ammonitarum statuitur convitium in DEUM & populum DEI, *v. 9. 10.* Talia convitia ex infidelitate nata, si enim in CHRISTUM credidissent, verum Jehovam coluissent, & Ecclesiam ipsius ornassent. Primarium peccatum & præsidium in carne, *Jer. XLVIII. 7.* abnegatio veri DEI, *Es. XVI. 1.* Huic vitio omnes orientales populi dediti erant, anteqvam ipsis Apostoli prædicarent, qvi typice & synecdochice sub Moabitis & Ammonitis comprehenduntur. In specie ad contemtum Ecclesiæ

DEI pertinent, qvæ Abarbenel hic de Moabitis & Ammonitis ex antiqvitate refert: ארזל שכאשר היו מוליכים את ישראל בגולה לארץ כשדים היו עוברים דרך עמון ומואב ובוכים וישראל וצועקים והם היו משובים להם מה לכם סגופים מדי תבכו ולא לבית אביכם אתם הולכים בעבר הנהר וישבו אבותיכם מעולם והוה דבר השם עליה וגם אתם לבית אביכם תלכו לוט אביכם לא מסדום היה לכן מואב כסדום תהיה: *Veteres f. memoriæ narrant, qvod cum Israël in captivitatem B. duceretur, transierint terram Ammon & Moab flentes & vociferantes: tum eos ita compellasse hunc hostilem populum: Qvid fletis ô miseri? nonne abitis in regionem vestram avitam, ultra flumen, in qva majores vestri habitarunt ab initio. At DEUM ita per Prophetas respondisse: Ergo & vos in terram vestram avitam redibitis. Nonne Loth Pater vester ex Sodom est? Proinde Moab ut Sodom erit.* Idem aliud sannæ Moabiticæ genus refert ex Pesikta כשנכנסו גוים לירושלים נכנסו עמהם עמונים ומואבים ונכנסו לבית קדש הקודשים ולקחו הכרובים והיו מחזרין אותן הוצות ירושלים והיו אומרים לא היו ישראל אומרים אין אנו עובדי עז ומאלה מה היו עושים: *Cum Gentiles Hierosolymam irrupissent, simul in eam venerunt Ammonitæ & Moabitæ, ingressiqve sanctuarium abstulerunt Cherubinos eosqve per omnes urbis plateas circumportantes dixerunt: Nonne negent Judæi se esse Idolorum cultores? qvid ergo cum his faciunt?* Convitiis his annectit Abarbenel realem injuriam, וגם היו לוקחים מגבול בני יהודה להגדיל גבולם: *præterea etiam partem de termino Judæorum abraserunt, ad ampliandam regionem suam.* Ita exponit phrasin ויגדילו על גבולם suffixum referens ad Moabitas. At hoc non patitur על. Nam illa particula arguit, qvem significatum hoc loco habeat locutio, eundem nempe qvem habet *v. 10.* ubi חרפו ויגדלו ערי עם ipso exponente significat הגדילו פה על עם ה' *magna locuti sunt contra populum DEI.* Qvid ergo est magna loqvi contra terminum Israëlis? Qvemadmodum *Actor. VI. 13.* blasphemia non terminatur in templo, sed in cultum redundat, templo signatum, ita & hæc blasphemia non

in

in regionem Judæorum, sed in spem vitæ æternæ, qvæ per terram signabatur, *Hebr. XI. 10. 16.* conjicitur. Sensus est: illudunt ipsis, qvod per fidem in Jehovam sperant æternam beatitudinem.

2. Ob veri DEI & Ecclesiæ contemtum ipsis indicitur damnatio æterna sub typo vastationis externæ. Graphice vero describitur hæc vastitas. *Erunt sicut Sodom & Gomorrha.* Ut illæ Sodomiticæ civitates sine omni spe restitutionis sunt perditæ, ita & Moabitarum evertentur. *Erunt urticetum*, collisio urticarum. Urticeta prodeunt in locis derelictis ac incultis. *Erunt fodina salis.* Scribit Plinius *Hist. nat. l. 31. 7.* omnem locum in qvo reperitur sal, sterilem esse, nihilqve gignere, conf. *Jud. IX. 45.* Hæc ergo omnia sunt symbola æternæ vastationis, qvod & subjicitur. *Erit solitudo in æternum.* Evidentissima absolutæ παυολεθρίας descriptio. Drusius עולם hic sumit pro longo tempore. *Nam*, inqvit, *hæ terræ non fuerunt æternum desolatæ, sed ad tempus duntaxat incolis partim occisis, partim in exilium actis.* Sic & Vatablus, Tarnovius, Jo. Smid. Invertendum potius est: Qvia hæc indicta vastitas in typo non est impleta, non subsistendum est in symbolo, sed ad signatum transeundum. Qvid signetur discendum ex *Apoc. XI. 8.* Porro reliqviæ Judæorum dicuntur prædaturi esse Moabitas. Qværo ex Abarbenele, qvando hæc vastatio & deprædatio Ammonitis & Moabitis immissa: Concedit שיש מפרשים היעור הזה לעתיד לבא ואינו נכון: *esse qvi vaticinium hoc ad tempora Messiæ referant, attamen id non recte fieri.* Qvam ergo meliorem affert expositionem? שכאשר ישובו בני יהודה מגלות בבל ויבוז את הארץ החיא ואת האנשים אשר ישארו בה: *Judæos, aut, cum reversi fuerint ex Babylonia, deprædaturos esse hanc regionem & homines, qvi in ea relicti.* R. 1. Dici non potest, qvod Nebucadnezar causa hujus hic denunciatæ παυολεθρίας extiterit, id qvod supra asseruit Abarbenel, qvia Judæi statum Moabitarum & Ammonitarum post reditum suum in patriam satis florentem offenderunt, *Neh. IV. 3. 4. 5.* 2. Si à Nebucadnezare Moabitis illata est æterna vastitas qvæ hic descripta, qvomodo in illa regione supereſſe potuerunt homines à qvibus prædas agerent Judæi? 3. Cum Judas Ammonitas adoriretur, nihil minus ipsorum regio, qvam inculta

& vasta erat, siqvidem numerosissimas copias adversus eum in aciem ducebant, *1. Macc. V. 6. 7. Joseph. Lib. 12. Cap. 11.* Cum ergo 4. hæc vastatio & deprædatio neq; ad ætatem ædificati templi referri possit, qva satis habebant Judæi si injurias Moabitarum possent deprecari, *Neh. IV. 3.* neq; ad tempora Maccabæorum, siqvidem Judas unam tantum urbem Jaser occupasse legitur, non totam regionem, solo æqvatis omnibus ejus urbibus; certumq; sit, qvod Rabba Ammonitarum metropolis, qvæ postea à Ptolomæo Philadelphia vocata, & Aroër seu Rabbath Moab, qvæ postea Areopolis appellata, usq; ad Hieronymi ætatem floruerint, ad qvæ tempora tandem referetur? An adhuc expectandus est Messias, sub qvo Judæi in Ammonitas sint dominaturi? An, si ponam hoc, consistere poterunt: *Moabiticæ terræ incumbet perpetua vastitas, & Judæi possidebunt regionem Moabitarum.* Qvid commodi lucrabuntur ex devastata terra? Aut si dicent se tempore sui Messiæ loca desolata instauraturos, qvomodo implebitur vaticinium, qvod Moabiticæ terræ æternam vastitatem denunciat? Si inculta relinqvent, & cum iis plura vicinarum gentium loca, ut Prophetarum de iis vaticinia literaliter impleantur, *v. 6. 7. Es. XXXIV. 10. Mal. I. 4. 5.* in qvam arctas angustias denicq; cogetur illa innumerabilis verparum, qvi tempore Messiæ sui sese in avitam terram suam reductum iri sperant, multitudo? Et qvomodo implebitur qvod de dominio Judæorum in Edom Moab Ammon prædictum est, *Es. XI. 14.* si illæ gentes cum suis urbibus plane evertentur?

3. Hæc itaq; cum consistere neqveant, annon de spiritualibus Moabitis, spirituali vastatione ac deprædatione cogitandum erit? Regio Moabitis nunqvam cepit tantam vastitatem, qvæ hic ipsi denunciatur. In hunc usq; diem ager Moabitarum colitur. Petra metropolis, olim Areopolis vel secundum alios Arce, Israëlitarum autem tempore vel Sela, vel Rabbath Moab dicta, toti regioni nomen dedit Petræ, qvæ hodie ab Arabibus colitur. Etsi itaq; non negamus hanc regionem sæpe hostilibus deprædationibus & desolationibus subjacuisse, tamen ipsi non fuit inducta æterna vastitas, qvalis hic ipsi denunciatur, qvæ regionem plane inhabitabilem faciat. Ergo Moabitis & Ammonitis tantum typus erit & symbolum spiritualis cujus-

cujusdam Civitatis, in qva hæc implenda. Hæc est Civitas Satanæ, qvæ Ecclesiæ opponitur. Judas etsi Ammonitis magnam cladem intulit, tamen eorum Rempublicam non evertit, neqve regionem inhabitabilem fecit. Ergo nec in hoc typo subsistendum, sed qværendus antitypus in qvo hæc implenda. Hic vero Reliqviæ populi DEI, qvi Apostoli, vel Israël à CHRISTO visitatus & spirituali robore instructus. Hi deprædantur Rempublicam Satanæ spiritualibus armis. Ex Lege ipsi denunciant æternam damnationem, tanqvam dignam blasphemiæ ac infidelitatis suæ pœnam. Hinc multi de Satanæ Civitate iram DEI extimescentes confugiunt ad Mediatorem CHRISTUM, & in Civitatem ejus transeunt. Proinde fieri aliter non potest, qvàm ut devastetur & in solitudinem redigatur Satanica civitas. Vastitas hæc in adventu CHRISTI primo magna fuit. At major tamen & multò illustrior erit in adventu CHRISTI secundo, cum CHRISTUS plenarie pedibus suis subjiciet omnes suos hostes, ipsa qvoqve terra destructa.

4. Qvod si justitia postulat ut sit proportio inter culpam & pœnam, rursus apparet non hic de externa levi qvadam vastitate agi. Culpa Moabitarum erat superbia & contemtus populi DEI. Non simpliciter dicuntur *v. 10.* blasphemasse Judæos, sed populum DEI, Judæos qvatenus erant populus DEI. Dicuntur autem populus DEI, qvatenus sectantur nominis divini gloriam & veræ doctrinæ propagationem. Debebat enim populus Judaicus esse παιδευτὴς ἀφρόνων διδάσκαλος νηπίων, *Rom. II. 10.* Et vero dum hunc finem non seqvuntur, sed se & suum regnum, juste exponuntur contemptui & opprobrio gentium. Dum ergo populus DEI contemni dicitur, simul contemnuntur illa media, qvæ ad propagandam DEI gloriam & agnitionem sunt ordinata. Hoc autem qvid aliud est qvam non credere? Spiritui S. ἀνθιστᾶναι? *Act. VII. 5.* ἀνθάστασθαι *Act. XVIII. 6.* Jam vero infidelitatis & qvidem tam obstinatæ pœna est æterna damnatio non vastatio tantum externa. Hæc pœna sub imagine sulphurei imbris passim malignantium cœtui immittitur. *Ps. XI. 7. Es. XXXIV. 9. 10. Ezech. XXXVIII. 22. Apoc. XX. 9.* Unde palam est Prophetam hac phrasi, *fiet ut Sodom*, eodem voluisse respicere.

5. Porro

5. Porro indicat Propheta, qvo tempore hæc sint implenda. *v. 11. Horribilis erit DEUS adversus ipsos*, qvo ipso Φοβερά τις ἐκδοχὴ κρίσεως, *Hebr. X. 27.* innuitur. Qvando? *Cum emaciabit omnes Deos terræ*: sumta est metaphora à corporibus animantium, qvæ cum ipsis macies & febrium cohors incumbit, viribus suis & forma exuuntur dum tandem per mortem plane destruantur. Sic Christus in adventu suo primo Satanæ robur per verbum destruxit, in abyssum conclusit, dignitatem ademit, tandem in adventu secundo in igneum lacum detrusurus. Hic ubivis terrarum suos angelos suffraganeos habebat, qvi responsa dabant, & ita miseros homines in perpetua detinebat ignorantia. Dum autem his judicium denunciatur, simul & cultoribus eorum denunciatur, qvam denunciationem non potest non seqvi terror, qvi multos è Satanæ regno abstractos in regnum CHRISTI perducet: *& cum adorabunt eum omnes regiones gentium.* Ita אִיֵּי הַגּוֹיִם cum Tremellio malumus vertere, qvam *insulas*, cum qvod sic universalis gentilis superstitionis destructio prædicitur, tum qvod אִי talem generaliorem significatum non fastidit. Est enim ex Arabico אוי *commoratus fuit, substitit* in conjug. 5. אאוי *congregatus fuit, convenit in unum locum.* Unde אִי primo & generalius *regionem* significare videtur qvam *insulam*, conf. *Es. XX. 6.* ubi Judæa vocatur אִי *regio.* Sic & LXX. *Es. XLI. 5. XLII. 4.* simpliciter verterunt ἔθνη. Atqve hoc est *credere in CHRISTUM, Rom. X. 11. 12. Unusqvisq; è loco suo.* Hac circumstantia cultus novi testamenti innuitur, qvi non ad unum populum nec ad unum templum Judaicum restrictus. *Mal. I. 11.*

6. Omnes hujus textus circumstantiæ evincunt de temporibus Messiæ agi. Ipse Abarbenel hoc extra dubium ponit. והיעוד הזה אין ספק שהוא לעתיד לבא שיכירו וידעו כל יושבי תבל כי ה הוא האלהים ולו הגדולה והגבורה והתפארת ואלהי כל הארץ יקרא: *Nullum dubium est qvin hæc promissio de futuro Messiæ tempore sit accipienda, qvo agnoscent omnes incolæ universi qvod Jehova sit verus DEUS, & qvod illius sit majestas, potestas, gloria, qvo DEUS omnis terræ vocabitur.* Aut ergo expectandus adhuc est Messias aut concedendum JESUM CHRISTUM verum esse Messiam in qvo hoc vaticinium partim impletum, partim

tim adhuc implendum. Hæc enim cohærent, Messias veniet, DEUS in Moabum erit terribilis, eodem futura tempore. Ipse Rabbi hoc concedit. Dicit enim ad hunc versum והיה זה כי רזה את כל אלהי הארץ רל כאשר יתוש כחן של כל אלהות הגוים: *Fiet hoc cum emanciabit DEUS omnes Deos terræ, i e. postquam debilitaverit virtutem omnium gentilium Deastrorum.* Ut autem adventus Messiæ cohæret cum DEI terribilitate, ita terribilitas DEI cum Moabitarum supplicio. Nam per id DEUS in Moabitas terribilis erit, qvod eos digna pœna afficiet. Videt hoc Kimchi ita scribens: ad *v. 9.* reliqviæ Jud. possidebunt eos: אפשר לפרשו עתידה בימי המשיח ופסוק כי רזה את כל אלהי הארץ עוזר לזה הפי: *Potest hoc de futuris Messiæ temporibus exponi; qvam qvidem expositionem juvat, v. 11. cum emaciabit omnes Deastros terræ.* Et vero qvomodo tempore Pseudo-Messiæ Judaici DEUS poterit esse terribilis in Gentem Moabiticam, si *v. 9.* in qvo ipsi plenaria eversio indicitur, ad tempora Maccabæorum referendus est? An effundet iram in gentem, qvæ jamdudum est eversa? in regionem, qvæ paulo post C. B. est Sodom facta? Si ergo hæc referri non possunt ad Maccabæorum tempora, nec ad tempora expectati Pseudo-Messiæ Judaici, supereſt, ut ad JESU Nazareni ætatem referatur, qvi verus Messias. Tum enim per Apostolos non solum Moabitis, sed & toti civitati Satanicæ denunciata est æterna damnatio, tum oracula ubivis terrarum conticuerunt, tum verus Jehova omnibus gentibus manifestatus, tum præter cæteras gentes etiam reliqviæ Moabitarum & Ammonitarum depositio in Ecclesiam odio, in castra Christi transierunt, *Jer. XLVIII. 47. Cap. XLIX. 6.*

Usus ex versu 8.

Non solum Moabitæ, sed & multi è populo DEI promissiones de Messia ridebant, *Mal. II. 17.* Imò inter Christianos sunt, qvi ajunt: Ubi est promissio adversus ejus? *2. Petr. III. 3.* His empæctis pii & fideles opponuntur, qvi & olim anxie expectarunt Messiæ adventum in carnem, *Luc. II. 25. 38.* & adhuc expectant reditum ad judicium. *Apoc. VI. 10. Cap. XXII. 20.* Horum ardor describitur *Jer. XIV. 8. O spes Israëlis, servator ejus tempore angustiæ, qvare*

esses, ut peregrinus in hac terra, &c. Qvæsitus Rabbi, à qvodam Theologo Christiano *Cap. XXV.* qvisnam hic intelligeretur, respondit DEUS Benedictus. Porro qvæsitus, annon manifesta hic videat signa exinaniti Servatoris JESU, qvem peregrinum in terra fore hic vaticinatur Propheta, negavit hic qvidqvam de Messia prædici, sed *DEUM intelligi, qvi hic ἀνθρωποπαθῶς cum peregrino & viatore comparetur, qvod auxilium nullum allaturus videatur.*

R. Qvæstio est utrum locus de DEO essentialiter an personaliter spectato sit exponendus. Antiqvos de Messia explicuisse, vel ex Raimundi Martini Pugione fidei patet, ubi locus *fol. 328. 534. 580. 657.* ad Messiam exinanitum applicatur. An ratio disputantis cum Judæo Christiani satis sit valida, jam non disqvirimus. Interim in eam haut inviti propendemus sententiam, Messiam Filium DEI hic per spem Israëlis intelligi, cum qvod ei viri armati habitus, ut *Es. LIX. 17. Luc. XI. 21. 22.* & inhabitatio suorum *Zach. II. 10. 11. Joh. I. 14. Matth. XXVIII. 20.* tribuitur, tum qvod propter nomen suum remittere legitur peccata *v. 7.* Propter cujus nomen delentur peccata is est Messias. Nam השים ה׳ שמו של משיח רפואה למכה *posuit DEUS nomen Messiæ remedium peccato.* In Gibb. *Fol. X. 3. Conf. Act. IV. 12. Cap. X. 43.* At qvi propter nomen Spei Israëlis delentur peccata *v. 7.* Ergo Spes Israelis & MESSIAS.

Usus ex versu 9.

EMPÆCTAS ÆTERNUM EXITIUM MANET. JUDÆI SUNT EMPÆCTÆ. ERGO. Spernunt enim Judæi promissiones de CHRISTO *1. Thess. II. 16. 1. Cor. XVI. 22.* Tale exitium ipsis qvoqve denunciatur *Jer. XVII. 4. Ignem accendistis in ira mea qvi* עד עלם *usq; in seculum ardebit.* Ex hoc dicto qvidam Christianorum *Cap. XXVI.* inferunt exitium Judæorum perpetuum fore: qvibus ita respondet Rabbi.

Tribus modis usurpatur עולם *seculum. 1. notat omnes dies macrocosmi ut 2. Sam. VII. 26. 1. Paral. XVII. 36. 2. omnes dies microcasmi 1. Sam. I. 22. 11. 2. Sam. XII. 10. 3. notat tempus bene longum cujus terminus soli DEO cognitus ut Es. XXXII. 15. Hæc tertia significatio hujus est loci.*

Resp.

Resp. Ergone עלם nusqvam notat æternitatem absolutam? Ergo nomen DEI tantum durante hoc macrocosmo est celebrandum? Qvam qvæso impertinenter *2. Sam. VII. 26. 1. Paral. XVII 36.* ad hoc seculum astringis? Operæ precium est inqvirere qvid sit עד עלם *usqve in seculum.* Sciendum locutionem hanc esse & continuativam & terminativam. Continuat durationem fluentem. Hæc est הזה עלם *seculum hoc.* Hoc fluens seculum terminatur in alia duratione huic opposita, dicta הבא עלם *seculum futurum.* Estq; juxta doctrinam Judæorum triplex 1. עלם הנשמות *seculum animarum*, in qvod anima statim defertur post discessum ex vita. *Psalm. XXXI. 6.* 2. עלם התחיה *seculum resurrectionis* in qvo soli pii resuscitabuntur impiis in morte manentibus, qvæ cum spiritualis resurrectio est *Joh. V. 25.* tum exemplaris *Apoc. XX. 4.* In hoc seculo manebit אכילה ושתיה *esus & potus corporeus, 1. Cor. VI. 13.* 3. עלם הבא *seculum futurum stricte ita dictum.* Hoc seculum est ipsa æternitas, in qva אין אכילה ושתיה אלא הצדיקים יושבים ועטרותיהם בראשם ונהנין מזיו השכינה *non erit esus & potus corporeus, sed justi sedebunt coronati capita, & fruentur splendore Schechinæ.* Atqve ad hoc pertinent *2. Sam. VII. 26. 1. Paral. XVII. 36.* Conf. Ephr. in Ir Gibb. *Fol. 124. 1.* In primo seculo cessat vita hominis animalis. In secundo cessat typorum usus & abusus In tertio cessat Creaturarum usus & abusus. Cum ergo loco allegato dicatur servitutem Judæorum duraturam esse usqve in seculum, qvodnam tu ex tribus hic seculis intelligis? Primum & ultimum non facile intelliges sat scio. Si medium elegeris, in eo adhuc nos vivere certum est: Et vero patere tibi in hoc aditum ad libertatem non diffiteor. At hoc tamen scito, nisi pœnitentiam egeris, non posse te bonorum hujus seculi fieri participem. Jam vero pœnitentiam nec potes agere, nec vis agere, ut ipsemet fateris pag. 54. 55. Ergo recte contra te inferunt ex loco allegato Christiani: Nunqvam vos exituros ex servitute vestra.

Propter affinitatem materiæ referimus huc disputationem in *C. VII. 14. & IX. 6. 7. Es.* supra *v. 4.* abruptam, ubi Rabbi genuinum significatum τῆ עד עלם æternitatis conatur evertere, ita 6. excipiens.

6. *Æternum & sine fine esse, hyperbolice dicitur, ut* Es. II. 7. Eccl. IV. 8. Cap. XII. 12. *Præterea hic Puer sessurus dicitur in Solio Davidis quod corporale erat, non spirituale. Ergo Jesus intelligi non potest, quippe qui nunquam imperavit Judæis.*

Resp. 1. Legis hic non solum אין קץ *sine fine*, sed & מעתה ועד עולם *ab hoc nunc usque in æternum*. Hæc descriptio est æternitatis incessabilis. Confer sodes *Cap. VII.* Danielis, ubi *versu 14.* Regi Messiæ (nam uno ore hic per בר אנש *filium hominis* Messiam intelligitis,) *v. 18.* Israëli regnum æternum traditur, duraturum עד עלם ועד עלם על מוך *in seculum & in secula seculorum v. 18.* שלטן עלם די לא יערה *regnum æternum quod non transferetur v. 14.* Qvid ergo est regnum æternum? Qvod nunqvam transferetur aut corrumpetur. Hoc conceptu opponitur omnibus regnis politicis, qvæ pro DEI jussu multipliciter transferuntur *Dan. II. 47.* & tandem in fine mundi prorsus corrumpentur & abolebuntur, utpote nullius amplius usus. *1. Cor. XV. 24.* Ut enim huic mundo & huic temporali vitæ inserviunt, ita & una cum mundo interibunt, παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου *1. Cor. VII. 31.* Hoc autem regnum לא תערה ἐ παρελεύσεται. Non ergo erit politicum. Jam fatendum tibi est, Messiæ & Pueri hic descripti, (qvem falso Hiskiam esse supponis) idem esse regnum. Atqvi Messiæ regnum æternum ac spirituale est. Ergo & hujus Pueri. Qvo ore autem Hiskiæ spirituale regnum adscribes? 2. An tam leve pondus inesse judicas phrasi *fulcire regnum* מעתה ועד עלם *ab hoc nunc usque in æternum?* Scito hic conjungi duum generum durationes, temporariam, qvæ respectu hominum singulorum terminum suum habet in morte, respectu universorum in die judicii, dictam עתה τὸ νῦν *2. Cor. VI. 2.* ὁ νῦν καιρὸς *Cap. VIII. 13.* ἡ νῦν ζωὴ *1. Tim. IV. 8.* ὃ νῦν αἰὼν *Cap. VI. 17. Tit. II. 12.* αἰὼν οὗτος *Matth. XIII. 40.* & æternam dictam, ζωὴ αἰώνιος *Matth. XIX. 16.* ζωὴ μέλλουσα *1. Tim. IV. 8.* αἰὼν ἐρχόμενος *Marc. X. 30.* μέλλων *Eph. I. 21.* ac propterea descriptionem esse infinitæ æternitatis *Es. LIX. 21. Ps. CXIII. 2. Ps. CXV. 18. Ps. CXXV. 2. Ps. CXXXI. 3.* Agnoscit hoc Kimchi ita scribens in *Psalm. CXV. 18.* הוא ארון

ארון על הכל ויחיה אותנו ונברכהו בחיים והוא מעתה
שהוא זמן העומר וכן עד עולם שהוא העלם הבא
כלומר בימותנו לזמן הקצוב לא ימותו ולא יאבדו
נפשותינו אלא וברוהו והללוהו לעדו עד *Qui est Dominus omnium resuscitabit nos ex mortuis ut ipsum vivi celebremus. Atq; hoc est MEATTA, quo innuitur hoc seculum: AD OLAM, quo innuitur futurum seculum: q. d. Etsi vitæ nostræ certum tempus præfinitum est, tamen non morientur animæ nostræ, neque peribunt, sed celebrabunt ac laudabunt DEUM in omnem æternitatem.* 3. Cum D. N. JESU tradi dicitur solium Davidis, David spectandus est ut subjectum symbolicum, quod altera sui parte filius Isai erat, altera vero DEUS, David dictus; illo respectu terrestre, hoc cœleste tenuit regnum. Ipsos Judæos hoc docere probatum fuit supra pag. 40. item *Part. II. Loc. XXXII. Obj. 3.* JESU Davidis filio, vero homini, datum est cœleste Davidis regnum, non terrestre. Nam hoc cum reliqvis typis interire debuit: æternum regnum quod solius DEI est *Mich. IV. 7. Jehovah regnabit in Sion ab hoc nunc in usque seculum.* Infer hinc: Qvi regnat in Sion ab nunc in seculum, ille Jehova est. Atqve hic Puer &c. E. est Jehova, non Hiskias. Major ex eo firma est qvia nullus in Scriptura locus reperitur in qvo *meatta vead olam* non infinitam æternitatem innuat. Abar. in h. l. וימלוך השם תמיד מכל הפסק והוא אומרו מעתה ועד עולם *Regnabit Jehova jugiter sine cessatione. Id est qvod dicitur: à nunc usqve in seculum.* Minor autem est *Es. IX. 7.* Sed qvid qvæso ex tua mente est, *fulcire regnum Davidis à nunc usq; in seculum.*

7. *A præsenti tempore Hiskiæ non vacillabit principatus usqve in seculum. Et qvanqvam incidit cessatio tempore captivitatis, tamen hæc non evertit promissam æternitatem.* Es. LII. 1. Ezech. XLIV. 9. Ezech. XXXVII. 25. *Sic Circumcisio æternum fœdus est*, Gen. XVII. 13. *qvæ tamen in deserto intermissa. Pinchasi posteris æternus promissus pontificatus* Num. XXV. 13. Ezech. XLIV. 15. *qvo tamen caruere ab Eli tempore usqve ad Sadocum.*

Resp. 1. Terrestre solium Davidis de qvo Tu hic sermonem esse putas, integrum erat cum duodecim tribubus imperaret,

cum Moabitas, Ammonitas, Edumaos, Philistæos Syros multosq; alios populos tributarios feciſſet. Qvi ergo reſtituere & fulcire vult regnum Davidis collapſum, eum oportet æqve late fines imperii extendere. An hoc fecit Hiskias? 2. *Regnum Davidis inde ab Hiskiæ temporibus non vacillebit in æternum*: &: *regnum Davidis jam ultra 1670. annos plane fuit ablatum, ut ne ſpeciem qvidem regni amplius habeant Judæi*, juxta tuam Logicam, Rabbi, optime conſiſtere poſſunt. I perſvade hoc occœcatæ genti tuæ: Si ad eos veneris, qvibus ſanum adhuc ſinciput eſt, cum ratione inſanire videberis. Loca qvæ allegaſti ex *Eſ. LII. 1. Ezech. XXXVII. 25. Cap. XLIV. 9.* regnum æternum ad Meſſiæ tempora reſtringunt, qvi vel ſexcentos annos erat Hiskia poſterior: qvid ergo regni æterni terminum à qvo in Hiskiæ temporibus ponis? 4. Circumciſio æternum fœdus eſt reſpectu DEI vitam æternam ſub typo terræ Cananææ promittentis, *Gen. XVII. 8. Num. XXIII. 9. Jer. VII. 7. Cap. XXV. 5.* non reſpectu hominum, non credentium, *2. Theſſ. III. 1. Hebr. III. 18. 19. Cap. IV. 2.* aut circumciſionem tanqvam efficax incendendæ fidei medium præfracte ſpernentium, *Rom. III. 3.* Intermiſſa erat Circumciſio in deſerto ab Iſraële, at non ex contemtu, *Joſ. V. 5. ſeq.* Proinde non excidebant bonis fœderalibus à DEO promiſſis. *Num. XXIII. 21. Cap. XXIV. 5. ſeq.* Sic 5. Pinchaſo æternus erat promiſſus pontificatus at non abſolute. Conditio impoſita erat voci שלום *ſchalom*, qvæ qvia vau decurtatum habet remotis punctis legi qvoqve poteſt *ſchalem*, *integer* ללמדך שאין הבריות לכהן אלא כשהוא שלם בלא מום: *ad innuendum, qvod ipſi æternus pontificatus non niſi cum ea conditione promittatur, ſi fuerit integer ſine vitio*, ut eſt in Kidduſchin Cap. Haomer. Ephraim in Ir Gibb. *fol. 102. ſeq.* de virtutibus animi interpretatur. Vera conditio erat, ſi poſteri veſtigiis Patris in vera pietate & zelo pro DEI gloria inſiſtent. Hac non impleta transferebatur Sacerdotium in poſteros Ithamari, usqve dum tandem depoſito Abjathare Zadoko à Salomone redderetur, *1. Reg. II. 27. Ezechielis Cap. XLIV. 15.* ſpirituales Pinchaſi & Zadoki poſteros intelligi textus circumſtantiæ ſatis indicant. Ephraim *l. c.* docet, qvod per promiſſum ברית שלום *fœdus pacis* reſpectus habeatur ad

ad reditum Eliæ, Messiæ tempore, qvem Pinchasum hunc esse ajunt, ad annunciandum mundo pacem, juxta illud *Mal. III. 1. Ecce mitto vobis Eliam.* Hic autem Johannes Baptista, cujus cœptum præconium continuarunt Apostoli. 6. Negatur Davidi unqvam promissum esse æternum sceptrum. Diserte ipse terminus ponitur in adventu Messiæ. *Gen. XLIX. 10.* At Davidis filio Messiæ regnum æternum possidendum promissum est. *1. Sam. VII. 13. Es. IX. 7. Dan. VII. 14.* Atqve hoc sine ulla intermissione administraturus est in secula seculorum.

Usus ex versu 10.

QVI IISDEM URGENTUR PECCATIS, ILLOS EADEM QVOQVE MANET POENA: JUDÆI IISDEM URGENTUR PECCATIS QVIBUS MOABITÆ URGEBANTUR, SUPERBIA, BLASPHEMIA E. MANET EOS ÆTERNUM EXITIUM. Minorem probat experientia *Conf. p. 53. 54. Rom. I. 24.* Idem confirmatur *Jer. XVII. 7. 8. Momento eloqvar adversus gentem me convulsurum &c.* Hinc inferunt qvidam apud Abramiden *Cap. XXVII.* Judæos esse in æterum abjectos, nec unqvam restitutum iri in gratiam. Respondet Rabbi.

Minas esse conditionatas: addit v. 8. Si convertatur gens à malo suo, contra qvam locutus fuero, pœnitebit qvoq; me mali qvod ipsi intenderam. E. & hic spem esse Judæis.

Resp. Rectissima est illatio: Per solam pœnitentiam datur aditus ad gratiam. Pœnitentia includit fidem in CHRISTUM, in qvo omnibus promissa benedictio, *Gen XVIII. 18.* Eandem involvunt omnes promissiones DEI, Judæis de restitutione factæ, qvas hic frustra cumulat Rabbi *Deut. IV. 29. 30. 31. Cap. XXX. 1. seqq. Es. XXIV. 22. Jer. III. 14. Ez. XXXIII. 11. Hos. XIV. 2. 3. Zach. I. 3. Mal. III. 7. &c &c.* Talem pœnitentiam Judæi agere præfracte detrectant: E. manent abjecti.

Usus ex versu 11.

SI SIGNA QVÆ ADVENTUM MESSIÆ CIRCUMSTANT JAM SUNT EXHIBITA, NECESSE EST MESSIAM JAM ESSE NATUM, JESUM NAZARENUM ESSE MESSIAM.

Prius

Prius probatur ex signorum enumeratione, Idola sunt destructa qvod prædictum versu 11. sceptrum ablatum, templum exustum, tota eversa Respublica, infantes Bethlehemici accisi *Matth. II. 17. 18.* qvod prænunciatum *Jer. XXXI. 15.* Negat Rabbi *Cap. XXVIII.* agi hic de infantibus Bethlehemicis.

Obj. Qvi à Rachele deflentur sunt Rachelis Filii: Pueri Bethlehemici non sunt Rachelis sed Leæ filii: E. hic non intelligentur.

R. Qvi à Rachele deflentur filii sunt Rachelis sed non propriedictæ. Propriadicta enim Rachel, Josephi & Benjaminis Mater, jamdudum obdormiverat. Impropriedicta Rachel vel qvamvis piam matrem denotat, qvæ antiqvæ Racheli affectu in filios par: Vel ipsam significat Ecclesiam, cujus Rachel sterilis typus erat. Ut enim Sara superiorem Hierosolymam, Siona, Ecclesiam fidelium matrem figurat, *Gal. IV. 26.* ita & Rachel, unde & Chaldæus non dubitat per Rachelem intelligere Jerusalem: *Vox in excelso mundo audita est domus Israëlis flentis &c. Jerusalem plorat filios suos.* Jalk. Th. in h. l. אמר רבי יצחק לפי שהרברים אמורים ברחל רכתיב אעברך שבע שנים ברחל לפיכך נקראו ישראל על שמה של רחל שנ׳ רחל מבכה על בניה *Dicit R. Isaac: Qvia Jacob de Rachele contraxerat, uti dicitur: Serviam tibi pro Rachele, septem annis* Gen. XXIX. 18. *idcirco Israel dicitur de nomine Rachelis, uti scriptum* Jer. XXXI. 15. Jam sive Israëlem sive Hierosolymam intelligas, impropriedictam Rachelem confiteris. Utram vero, politicamne, an spiritualem? Eam certe intelligere cogeris, cui reddentur filii. At qvi politicæ nunqvam reddentur filii, qvippe qvæ in perpetuis manebit ruinis, cui toties כלה ונחרצה *præcisum excidium* indicitur *Es. X. 23. Dan. IX. 27.* Intelligenda ergo spiritualis, qvæ est DEI Ecclesia. Hujus filii erant infantes Bethlehemici, vera fidelis Ecclesiæ membra per circumcisionem facti, hæc plorat filios suos ab Herode occisos: Hæc solatium accipit: Huic restituendi dicuntur filii: Qvod utrumqve prædicatum non nisi in veros fideles accidit. In qvorum numero an omnes fuerint infantum occisorum matres non immerito dubites. Proinde tutius Ecclesia mater filiorum spiritualis intelligetur qvam matres infantum naturales. Plura de hoc loco vide in Refut. Partis *II. Munim. fid. loc. V.*

Perio-

Periocha XI. 12.

Indicit iram DEI meridionalibus Ecclesiæ Israëliticæ hostibus, sub symbolo Æthiopum. Puniendi, ETIAM VOS ÆTHIOPES: Pœna, INTERFECTI GLADII MEI IPSI.

Sensus Abarbenelis.

Etiam vos Moab & Ammon eritis ut Æthiopes, qvi interficientur gladio meo.

NOTÆ

1.

PEr Cuschæos Æthiopes intelliguntur. Qvi etiam terram Judæorum invaserant, populoqve DEI injuriam intulerant *2. Par. XIV. 9.* Sub iis autem omnes Meridionales Ecclesiæ hostes, Idumæi, Arabes, Ægyptii, in qvos multa exstant Prophetarum oracula. Dum dicit, *Etiam Vos*, combinat illos cum Orientalibus populis tam in culpa qvam in pœna. Culpa illorum erat Blasphemia in DEUM & Ecclesiam. Ergo & horum idem scelus. Abarbenel negat Æthiopas intelligi ita scribens גם אתם עמון ומואב כושיים שהם יהיו חללי חרבי באותו יום ה׳ הגדול והנורא שישתחוו לו כל איי הגוים *Etiam vos Ammon & Moab eritis Æthiopes, qvi interficientur gladio meo illo magno & terribili die DEI, qvo omnes regiones ipsum adorabunt.* Putat agi hic adhuc de Ammonitis, eosqꝫ cum Æthiopibus comparari ratione stragis qvam sint accepturi in adventu falsi sui Messiæ. Seduxit ipsum sine dubio pronomen המה qvod claudit hunc versum, qvod cum tertiæ personæ sit, non putavit consistere posse cum אתם secundæ personæ pronomine. Proinde divellit, interposito אשר, *Vos eritis ut Cusch, qvi interficientur ipsi.* At sciat qvod qvemadmodum חמו apud Chaldæos *Esr. V. 11.* אנון apud Syros, Dieu Gram. *pag. 136. 137.* apud Arabas הם Erpen. *Gr. Lib. III. C. 11.* apud Græcos αὐτοὶ *1. Thess. V. 2.* apud Latinos *Ipsi*, ut: *Qvæ nos non fecimus ipsi, Haut ego nostra puto:* Apud Germanos dieselbige / ita & apud Hebræe המה non tantum tertiæ sed & primæ & secundæ per-

sonæ significatum repræsentare, Conf. Druſ. & Dieu in h. l. Ita ergo vertitur recte *Vos ipſi qvoqve Æthiopes interficiemini.*

2. Cæterum conjungit Rabbi Moabitas cum Æthiopibus ratione temporis. Utrosqve ait interfectum iri tempore Meſſiæ. Concedo particulam DI hic eam vim habere ut Æthiopes cum Moabitis conjungat ratione temporis. Cujuſnam autem Meſſiæ ætatem intelligit Abarbenel? Suine, cujus adventum adhuc expectat? Hoc vero non poteſt, niſi ſimul abſurdiſſime ſtatuat Meſſiam ſtragem editurum in gente jamdudum everſa, cujus memoria cum omni Republica jam ante complura ſecula fuit exſtincta. Aut ergo intelligat tempora JESU Nazareni, aut alium monſtret Meſſiam cujus ætate Moabitarum & plurium aliarum gentium idola ſint everſa. Porro ſi CHRISTI tempore Æthiopes cum Moabitis ſunt interfecti, erit ſpiritualis clades intelligenda, Non enim CHRISTUS & Apoſtoli gerunt politicum enſem. De cætero non negamus politicam qvoqve cladem accepiſſe Æthiopas à Nebucadnezare, at hunc typum tantum eſſe dicimus, in qvo minime ſubſiſtendum. Multi ex illis gentibus, qvæ Nebucadnezaris exercitu ſubactæ, ad agnitionem veri Jehovæ ſe applicaverant. *Act. II. 5.* moti imprimis certiſſimo illo conſenſu prædictionum propheticarum cum eventu. At integra tamen meſſis ad CHRISTI tempora fuit reſervata *Joh. IV. 35. 36. 37. 38.*

Uſus ex verſu 12.

SI NATURÆ VIRIBUS NEMO POTEST SALVARI, LOCUS RELINQVENDUS EST NOVO FOEDERI. Qvod *Jer. XXXI. 31. ſeqq.* promiſſum. Prius patet ex eo qvod omnibus Gentibus ab Eccleſia Iſraëlitica alienis, qvales erant Philiſtæi, Ammonitæ, Moabitæ Æthiopes &c. æterna damnatio indicitur. Eo ipſo autem hæ gentes alienabant ſe ab Iſraelë, dum promiſſiones de CHRISTO & novo fœdere repudiabant. Hoc dictum Jeremiæ Rabbi *Cap. XXIX.* vindicare conatur contra eos qvi inde concludunt datum iri Iſraëlitis novam Legem i. e. Evangelium qvod promulgavit JESUS Nazarenus. Ait:

Fœdus novum promittitur, non nova lex: Ergo nec Evangelium.

Reſp. 1.

Resp. 1. Imo qvia non lex nova promittitur, sed fœdus, Evangelium promitti dicendum est. Nam Evangelium non est lex, sed verbum continens promissiones gratuitas de remissione peccatorum propter CHRISTUM. 2. Differunt vetus fœdus & novum. Vetus fœdus exigit plenam Legis impletionem, sed vires implendi non dat. At novum offert Spiritum regenerationis & sanctificationis. Aut valde fallor, aut ipsi antiqviores Judæi assertum hoc suo confirmant calculo, dum ita scribunt in Jalk. Thor. in h. l. בעלם הזה ישראל לומרים תורה מבשר ודם לפיכך משכחין אותה שנתנה על ידי משה שהיה בשר ודם וכשם שבשר ודם עובר שנ התעיף עיניך בו ואיננו אבל לעתיד לבא אין ישראל לומדין אלא מפיו וכשם שהקדוש ברוך הוא חי וקיים לעלם אף תלמודו מה שישראל לומדין ממנו אינם שוכחים לעלם שנ וירשו ויעקוב את מורשיהם *In hoc seculo Israël discit Legem ab homine, qvi caro & sangvis est: propterea eam qvoqve oblivioni tradunt, siqvidem data est ministerio Mosis, qvi caro & sangvis erat. Ut ergo caro & sangvis transeunt, ita qvoqve doctrina ejus transit juxta illud* Prov. XXIII. 5. *Num conjicies oculos tuos in eas cum nullæ sint? At futuro Messiæ seculo Israël ex ore DEI discet. Ut ergo DEUS vivens est & stabilis in æternum, ita qvoqve Israël doctrinam qvam discet ab eo nunqvam oblivioni dabit, ut est Obad. v. 17. Hæreditabit domus Jacob suas hæreditates.* Conf. Jac. I. 24. 15. 2. Cor. III. 6. 7. seqq.

2. *Novum dicitur, non qvod Mosaico opponitur, sed qvod perpetuo duraturum est, qvia non ut prius irritum reddetur.*

Resp. 1. Cum novum dicitur, idem & ac si diceretur aliud. Nam clare opponitur Fœderi Mosaico. Negatur enim fore sicut illud Mosaicum. Ergo aliud erit à Mosaico. 2. Fœdus novum qvod hic promittitur ex parte hominum indissolubile est non absolute. Si enim absolute indissolubile esset, homo foret impeccabilis, qvalem nec ipsi Judæi in adventu Messiæ statuere possunt, cum tempore Messiæ restitutum iri sacrificia doceant, qvæ remedium sunt peccatorum. Si ergo non est absolute indissolu-

bile, æqve poteſt irritum fieri ut prius. Si ergo non eſt abſolute indiſſolubile, qvomodo ratione indiſſolubilitatis priori poterit opponi?

Periocha XII. 13. 14. 15.

Continet judicium in ſeptentrionales Eccleſiæ hoſtes ſub ſymbolo Aſſyriæ & Ninives repræſentatos. Horum pœna eſt: ET EXTENDET MANUM ADVERSUS SEPTENTRIONEM, ET PERDET ASSUR ET PONET NINEVE IN SOLITUDINEM, SICCAM, UT DESERTUM. CUBABUNTQVE IN EA GREGES, OMNISQVE GENERIS BESTIÆ PROFANÆ, ITEM KAAT ET KIPPOD IN SUPERLIMINARIBUS EJUS PERNOCTABUNT, VOX CANTABIT IN FENESTRA, VASTITAS IN LIMINE, NAM ET TABULATA EJUS NUTABUNTUR. Peccatum eſt ſuperbia, & infidelitas. HÆC URBS EXULTABUNDA, QVÆ SECURE HABITAT, QVÆ DICIT IN CORDE SUO: EGO: ET NUM PRÆTER ME QVIDPIAM? QVOMODO FACTA EST VASTITAS, CUBILE FERARUM: QVISQVIS EAM TRANSIT, SIBILABIT, MOVEBIT MANUM SUAM.

Senſus Abarbenelis.

Extendet manum ſuam adverſus Babel eamqve vaſtabit, vaſtabit & Aſſyriam & Niniven, qvæ Iſraëlem deportavit. Hæc enim urbs non amplius erit hominum ſedes, ſed pecudum, ſiqvidem omnes finitimæ gentes in ea ſuos greges paſcent. Sic & Kaat & Kippod cubabunt in magnificis ædium portis: aves qvoqve cantabunt in feneſtris. Vaſtitas erit in limine. Et qvi poſſet aliter fieri, ſiqvidem omnes ejus cedri exſcindentur? Hæc

eſt

est civitas qvæ nunqvam malis pressa, semper læta ob prosperos successus, qvæ nullam parem agnoscebat, cum esset universalis Domina mundi, qvomodo ejectis civibus in stabula pecudum conversa est?

NOTÆ.

1.

COnjunguntur sequentia præcedentibus per ו *Et extendet manum adversus Aqvilonem.* Imago sunt Assur & Ninive. Ut Philistæas & Moabiticas urbes expugnavit Nebucadnezar, ita & Niniven expugnabit. De hac expugnatione confer *Corn. à Lap. in Cap. II. 1.* Nachum. At in hoc typo non subsistendum. Nam est & spiritualis Assur, qvi per CHRISTUM devastandus. *Mich. V. 5. Zach. X. 11.* qvibus locis manifeste de regno CHRISTI agitur. Per hunc civitas Satanæ intelligitur *Apoc. XVIII. 2.* Qvemadmodum ergo Propheta hactenus ostenderat tempore CHRISTI hostes Ecclesiæ Occidentales Orientales & Meridionales iræ DEI & æternæ damnationi subjectum iri, ita eandem pœnam porro indicit Septentionalibus. Hæc pœna iterum sub typo æternæ vastitatis indicitur. Hæc vastitas multis verbis graphice depingitur *Ponet Niniven siccam ut desertum.* Sicca terra est qvæ nec irrigatur nec germina producit *Hos. II. 3.* ac proinde tam ad homines qvam ad greges pascendos inepta. Unde sequitur, qvod qvando postea dicitur: *Et cubabunt in medio ejus greges*, non possint intelligi greges ovium, boum, caprarum &c. Qvæ in locis sterilibus non possunt pasci, sed talium ferarum ac avium qvæ locis desertis & sterilibus sunt assvetæ. Sic עדרים sumitur *Es. XVII. 2.* Confer. *v. 9. Cap. II. Zeph.* Male ergo hic greges ovium intelligit Abarbenel לא תהיה נינוה עיר לישוב אנשים כי אם לעדרי צאן *non erit amplius Ninive habitaculum hominum, sed pecudum:* nam pecudes non amant loca deserta ac sterilia, sed culta. Unde nec hæc sequentium verborum explicatio ferenda est: *omnes feræ gentis* כל בהמות הגוים אשר סביבותיה ירעו *i. e. omnia armenta gentium qvæ circa Niniven pascentur.* Nam חיה *feram*, בהמה *jumentum* notat, & sic sibi contradistinguntur communiter 2. feræ

dicuntur pascendæ non circum Nineven, sed בתוכה *in medio ejus.* Nec 3. bene conveniunt nec sede morantur in una greges ovium & feræ hæ ac solitariis locis assvetæ aves. 4. Si omnes vicini populi in agrum Ninivæum suos greges deducerent, esset ille pascuosissimus. Jam vero indicitur ipsi hic stecilitas. 5. Perdet DEUS non tantum Niniven, sed totam Assyriam, Conf. *Nach. III. 12.* ipsam qvoqve Babyloniam, qvam hic Abarbenel per צפון intelligit. Si ergo omnes his regionibus in circuitu vicinæ gentes armenta sua in vastatam Niniven agent, an unus locus tot armenta capiet? aut qvæ spes eos alliciet ut in locis desertis suos pascant greges, & qvidem tam procul à patria sua? Proinde 6. non dubitamus asserere hic intelligi immundas bestias, qvæ Israëlitis interdictæ. Hasqve vocari *feras gentium*, qvia profanæ, & sanctitati Israëlis non convenientes. Ita enim Gentes ratione impuritatis Israëli opponi solent *Gal. II. 15.* Nec tantum immundæ feræ sed & immundæ aves ibi reqvievscent גם קאת גם קפוד qvæ qvales sint aves dubium est. Johannes *Apoc. XVIII. 2.* in genere exprimit per ὄρνεα ἀκάθαρτα καὶ μεμισημένα. Aves autem non qvadrupedes intelligi vel inde cognoscitur, qvia pernoctaturæ dicuntur בכפתוריה והכפתור הוא עליון השער העומר ערי שני הספים ועל שתי המזוזות *in superliminaribus ejus. Est autem Caphtor supremitas portæ, qvæ duobus postibus innititur.* Ab. Eædem *cantaturæ in fenestris.* Deniqve palatia plane destruentur *Erit vastatio in limine* ובחרבן נפלו נגות הבתים והארזים בתקרת הבתים נשארו גלויים למטר ולרוח ונפלו מעט מעט *Sic qvoqve in vastatione decident tecta, & tabulata domus cedrina pluviæ & ventis exponentur & paulatim decident.* Ab. Conf. *Nach. II. 6.* Atqve hæc est talis vastitas qvæ omnem spem restitutionis excludit. *Nach. III. 17.*

3. Qvodnam autem peccatum Ninives? *Infidelitas* cujus hic Synonymum exhibetur *Fiducia in carne.* Vocatus עלזה *exultabunda*, non in DEO, nam DEUM & populum ejus insectabatur *Nach. I. 14.* Ergo in iis qvæ DEO opponuntur, *caro* vocari solitis, item גאוה *excellentia* ut *Cap. III. 11.* Ex hac fiducia in carne oritur damnata securitas, uti ex fiducia in DEO sancta se-

curitas

curitas pronascitur. Unde cum seqvens phrasis *secure habitare* sit μέσος, apparet in malam partem h. l. accipi. Talem in se fiduciam hic innui manifestum est ex seqventibus. *Qvæ dicit in corde suo, Ego, & num præter me amplius?* Sic Chaldæus ולית אנא בר מני עיר *Ego & non præter me adhuc*, ist etwas mehr als ich? ut Coccejus reddidit. Hoc modo se non tam cum aliis Rebuspublicis comparat, iisqve sese præfert, sed sese etiam facit עיקר *primarium finem*, cum tamen DEUS & ipsius Regnum primarius omnium regnorum finis esse deberet, siqvidem religio non est propter rempublicam, sed Respublica propter religionem. Hoc ergo maximum peccatum qvod non nisi æterna damnatio seqvi potest, qvæ adhuc semel hic sub typo vastationis innuitur: *Qvanta facta est desolatio, cubile ferarum* עד שכל העובר עליה ישרוק כמתמיה ויניע ידו כמקונן עליה *qvicunqve eam transit sibilabit admirantis more, & movebit manum, qvasi deflere eam.* Alii hos gestus irridentium esse dicunt, sed præferimus Abarbenelis mentem, siqvidem ita magis convenit cum parallelo *Cap. XVIII. Apoc. v. 9. 18. 19.* Cæterum cum Infidelitate cohærebat crudelis insectatio populi DEI, qva verus cultus & doctrinæ revelatæ propagatio inhibebatur. *Nach. Cap. I. 13.* Unde etiam cum Reipublicæ hujus ruina libertas Ecclesiæ combinatur *v. 15.*

4. Jam si qvæ hic de ruina Ninives dicuntur omnia in externam Nineven dicta esse affirmat Abarbenel, edisserat nobis qvando illa πανολεθρία ipsi sit immissa? Si ante Capt. Babyl. intra Josiæ & Nebucadnezaris ætatem immitti debuit, nam Zephanias de futuro Ninives excidio vaticinatur. At intra hæc tempora nemo produci potest qvi Niniven vastaverit. Sub Sardanapalo eversam esse ajunt; at ille vixit Ussiæ temporibus. Pono autem eversam esse urbem vel ante vel post vel etiam in ipsa captivitate Babylonica (nam hic infestis sententiis præliantur Autores, vide Corn. à Lap. in cap. 1. Nach. Herod. in Clio p. 22.) qvomodo excidium Ninives poterat libertatem parere Judæis? An priusqvam in Babyloniam deducerentur sub dominio Ninivitarum fuere, & qvidem intra Zephaniæ & Nebucadnezaris ætatem? Si dum in Babylonia detinerentur Judæi, excisa est, qvod Corn. à Lap.

à Lap. probat l. c. qvomodo ejus vastatio saluti esse potuit Judæis, qvibus qvamdiu florebat Regnum Babylonicum nulla spes in patriam revertendi relicta? Et qvid deniqve ipsis profuit ruina Ninives cum jam à Cyro in libertatem fuissent dimissi? Qvacunqve denicq; ætate sit eversa, an illi externæ Ninivæ ejusqve agro tanta est inducta vastitas ac solitudo qvanta hic ipsi denunciatur? Olim ager Nineveus erat *piscina aqvarum Nach. II. 8.* Talis adhuc fuit Herodoti ætate, qvi in Clio *pag. 58.* scribit: *In Assyriorum terra parum pluit. Qvod in ea frumenti germinat, id demum est, qvod ex flumine irrigatur. Irrigatur autem seges & frumentum provenit, non qvemadmodum in Ægypto flumine sua sponte in rura ascendente, sed manibus ac scrobibus irrigatum. Etenim Babylonica regio omnis qvemadmodum Ægyptus distingvitur in fossas, qvarum maxima navibus transiri potest, ad solum hybernum vergens ex Euphrate exiens in Tigrim, alterum flumen, juxta qvod urbs Ninos sita erat. Hæc regio omnium qvas nos vidimus longe optima est &c. Cereris fructu procreando adeo ferax est, ut nunqvam non fere ducenta reddat: & ubi præstans bonitate se vincit, etiam ad tricena.* Imo & nostra ætate eadem regioni illi bonitas manet qvod testatur P. a. S. T. in Itinerario anno 1671. in lucem emisso *pag. 88. 89.* Diese gantze Gegend ist sehr annmuhtig/ sonderlich an denen Gräntzen/ allda sie von den schönen und süssen Wasser des Euphrates und des Tigris bewässert von vielen Leuten bewohnet und mit vielen Städten und Dörffern gezieret ist. &c. Ohne den Euphrates und Tigris welche seiner breite vor Grentzen dienen/ wird es auch noch von etlichen kleinen Wasser befeuchtet und sehr fruchtbar gemacht. Et tamen Zephanias agro Ninivæo comminatur qvod sit futurus aridus instar deserti.

5. Dicit: at Ninive urbs tamen ita funditus deleta est, ut in ea exacte videatur completum vaticinium. Pono deletam esse, qvid ejus eversio profuit Judæis, qvibus vaticinatus Zephanias & Nachum? Nam utrumqve de exidio per Nebucadnezarem Ninivitis inferendo prophetasse haut obscure innuit Abarb. in *Cap. I. 1. Nach.* Nego autem ita eversam esse à Nebucadnezare, ut hæc à Propheta descripta vastitas in eam qvadrare possit. Eversa est,

est, at non facta stabulum impurorum animalium. Instaurata enim postea superfuit adhuc Juliani ævo teste Ammiano Marcellino, *l. 33. pag. 251.* qvi Juliani σύγχρονος. Haitho Armenus in Hist. Orient. *Cap. II. p. 12.* scribit: *Ninive ad præsens est totaliter devastata, sed per ea qvæ adhuc sunt apparentia in eadem, firmiter credi potest qvod fuerit una ex majoribus civitatibus hujus mundi.* Superfuerunt ergo qvædam Haithonis ætate priscæ magnificentiæ monumenta. Supra citatus P. a. S. T. scribit *p. 89.* Ninive die grosse und berühmte Stadt welche drey Tagereisen im Umkreise hatte und die Hauptstadt der ersten Monarchie der Assyrer war / lag zwischen dem Tygris und Euphrates und siehet man noch einige gefallene Mauren davon an dem Ufer des Tigris dahin nun eine Stadt gebawet welche Moussul genennet wird. De hac Moussul ita scribit Becmannus Orb. Imp. *Cap. VI. Sect. II. p. 254. Moussul hodierna qvæ in locum veteris Ninives successisse dicitur, & à scriptoribus Nova Ninive appellari solet, mœnibus qvidem adhuc superbit, sed intus itidem tota fere desolata est, nec nisi ædiculas qvasdam & exiguum castellum, cui Bassa cum præsidio Turcico præest. Commerciis tamen Arabum & Assyriorum assidue frequentatur, inter qvæ commercium Gallorum præcipuum est.* Hæc ex Taverniero adducit *Cap. IV.* Sed qvia horum autoritas forte parvi æstimatur ab Abarbenele, audiat R. Benjamin Tudelensem, qvi hæc de Ninive scribit in Itinerario *p. 96.* נינוה חרבה אבל יש שם כפרים וכרכים רבים *Nineve excisa & vastata est, pagi tamen & castella multa sunt intra antiqvi ambitus spacium.* Vixit hic seculo XII. Pono tamen eversam esse funditus, ita qvidem, ut, qvod Lucianus ait, ᾅδε ἴχνος ἔτι λοιπὸν αὐτῆς ἀδ' ἂν εἴπῃς ὅπῃ ποτ' ἦν *Tom. III. pag. 164.* (qvæ qvidem verba minus accurate confert Jo. Conr. Dietericus in Antiq. Bibl. cum *v. 17. Cap. III. Nach.* siqvidem ibi non de urbe sed de Principibus sermo est; conf. Abarb.) finis tamen indictæ eversionis nulla unqvam ætate in Judæis impletus est, qvi erat Judæorum libertas.

6. Ut proprius ad rem accedamus, negamus hic vel urbi vel agro Ninivitico primario desolationem denunciari. Id primarium subjectum est indictæ vastitatis, qvod dicebat in corde suo *Ergo*

& qvid præter me amplius? At hoc non urbs dicebat, sed populus ex parentibus & Imperantibus constans. Huic qvidem immissa est politica vastitas dum Respublica dissoluta, urbs devastata, iræ ac æternæ damnationis πρόδρομος. At non tamen in hoc typo subsistendum: siqvidem immissa tali vastatione populo DEI non est allata salus, utpote qvi nihilominus in Captivitate Babylonica remanebat tam externæ qvam internæ corruptionis periculo abnoxius, sed ad antitypum progrediendum, qvi Satanæ Civitas, Babylon in N. T. item Sodoma, Ægyptus, Jerusalem vocata *Apoc. XI. 8.* Hæc CHRISTO & Apostolis prædicantibus æternæ damnationi subjecta, omnibusqve conspicum factum qvod esset Diabolorum habitaculum, qvod in extremo die adhuc clarius patescet Conf. *Apoc. XVIII. 2.* Unde ut in adventu CHRISTI primo piis inchoata libertas ac dominium contigit, ita in adventu ejus secundo cum omnes Ecclesiæ hostes plene subjicientur pedibus CHRISTI, consummatum dominium ac libertas seqvetur. Eadem pœna & qvidem iisdem verbis indicitur Babyloni & Bosræ, qvæ manifestissima sunt Civitatis Antichristianæ symbola, ut patet ex collatione *Cap. XVIII. Apoc.*

Usus ex versu 13.

CHRISTUS JAM VENIT, NINIVE ENIM SPIRITUALIS CIVITAS SATANÆ JAM EST DESTRUCTA, ERGO JAM CESSANT FESTA CEREMONIALIA, ea enim erant σκιὰ τῶν μελλόντων *Col. II. 17.* Narrat Abramides *Cap. XXX.* sibi à Christianis pro obtinenda festorum abrogatione objectum fuisse locum *Hos. II. 11. Et abolebo omne gaudium ejus, festivitatem ejus, novilunium ejus, sabbatum ejus, & omnem solennitatem ejus.* Item Es. I. 14. *Novilunia vestra & statas ferias vestras odit omnia mea.* Respondet Rabbi:

1. *Distinguendum est 1. inter ipsas festivitates & adjunctum ipsis gaudium: Hoc cessat, non ipsa festa. 2. inter cessationem & abrogationem. Cessant festa tempore Captivitatis & oblivioni dantur* Thren. II. 6 *at propterea non abrogantur. 3. Inter festa & adjunctam ipsis idololatriam: Hanc odit DEUS, non illa.*

Resp.

Resp. Tam cessatio qvam abrogatio hic locum habet. Abrogationem ipsa infert festorum ratio, qvæ typica erat. Qvod festa typica fuerint probo ex *Exod. XXXI. 13. Custodite Sabbata mea, qvia unumqvodq; eorum signum est inter me & vos.* Hic Sabbatorum fit mentio num. plur. ad innuendum qvod suo ambitu omnia cœtera festa complectatur, Kimchi in *Ezech. XX. 12.* אמר שבתותי בלשון רבים כלל בו שבתות המועדים *Dicit Schabbetotai in plur. n. ut simul complectatur & cœterorum festorum qvietem.* Unumqvodqve ergo festorum est אות *signum*. Qvidnam ergo figurant? השבת אות וסימן לחדושו של עלם כי נברא בששת ימים וביום השביעי שבת *Sabbatum typum gerit innovationis mundi. Scilicet sex diebus creatus erat orbis, septimo est Sabbatum* Vid. Bech. in h. l. Dicit R. Simeon ben Jochai כל מצוה שנתן הקדוש ברוך הוא לישראל נתן להם בפרהסיא חוץ מן השבת שנתן בצינעא וכתוב ביני ובין ישראל *Qvidqvid DEUS præceptorum dedit Israëli, manifeste dedit, excepto præcepto de observatione Sabbati qvod dedit occulte uti dicitur: inter me & inter te.* Mirum qva fiducia hoc asserant Judæi, cum præceptum de Sabbato pertineat ad Decalogum, cujus præcepta omnia tanqvam natura nota æqq ad gentes ac ad Judæos pertinent. Ad hoc dubium ita respondet Bechai l. c. כוני חכמים על הענין הנסתר שבמצות השבת כי הוא הנתן בצנעא *Respiciunt hoc dicto veteres ad mysterium qvod est in præcepto de Sabbato, qvod occulte datum.* Nempe id non Gentibus sed solis Judæis revelatum אות הוא ביני וביניהם ולא ביני לבין האומות *Signum esse dicitur inter me & te, non autem inter me & Gentes.* Jalk. Th. in h. l. Mysterium est qvies seculi futuri: Schochar Thobh in *Psalm XCII.* פי לאות שמכרח עלם שבעי שכולו שבת ומנוחה *Signum esse dicitur ad innuendum qvod certo immineat mundus septimus, qvi totus Sabbatum est & qvies* וכל מי ששומר השבת הקדוש ברוך הוא מוחל לו על כל עונותיו שנאמר כל שומר שבת מחללו מחול לו פי מפני שמאמין בעלם הבא עלם השביעי למנוחה ועונג הוא מוחל לו ומנחילו אותו

Qvicunqve ergo Sabbatum servat, illi DEUS remittit peccata, juxta illud qvod scriptum Es. LVI. 6 7. *qvi observat Sabbatum mechallelo i. e. michul lo, illi remissio: nempe qvia certa fide sperat seculum futurum, mundum septimum, mundum qvietis & deliciarum, illi DEUS remittit peccata, atqve eum solum vitæ æternæ facit hæredem:* ibid. Jam vero nemo potest credere vitam æternam nisi in CHRISTUM credat, qvi portatis nostris peccatis *Es. LIII.* nobis meruit remissionem peccatorum & vitam æternam, unde צדיק באמונתו יחיה *nemo accipit vitam æternam, nisi qvi justus est per fidem in ipsum Chab. II. 4.* sc. Messiam cujus adventus *v. 3.* promittebatur. Ex his patet qvod mysterium festorum V. T. fuerit qvies vitæ æternæ, qvam Messias sua morte acqvisiturus erat. Eam se in Messia venturo expectare Veteris Testamenti fideles agitandis festis profitebantur. Infideles Judæi qvi hoc festorum mysterium abnegabant, celebrandis festis iram DEI in se provocabant, & tandem patria tam terrestri qvam cœlesti excidebant *Es. I. 14.* לא חרבה ירושלים אלא בשביל שחללו את השבת שנ׳ *Non est vastata Hierosolyma nisi propter profanationem Sabbati, uti scriptum* Ezech. XXII. 26. *A sabbatis meis abscondebant oculos suos, & coinqvinabar in medio ipsorum.* Bech. l. c. Apparet CHRISTUM & futura ejus beneficia fuisse signatum festorum. Qvia ergo CHRISTUS jam est exhibitus & sua morte vitam æternam mundo acqvisivit, jam abrogatæ sunt festivitates V. T.

2. *Si festa sunt abrogata qvare Esaias* Cap. LXVI. 23. *& Zacharias* Cap. XIV. 16. *Sabbata & novilunia temporibus Messiæ non tantum à Judæis sed & à gentibus celebratum iri testatur?*

Resp. Qvidqvid tanqvam typus futura CHRISTI beneficia præfigurabat, illud exhibito Messia abrogatum esse oportet. Proinde cum Judaicæ solennitates qvietem à CHRISTO acqvirendam adumbrarent, apparet illas jam esse abolitas, qvia exhibito fine cessat actio propter finem. Ergo qvæ hic memorantur Sabbata novilunia ac festa, cum ad Messiæ tempora pertineant, non erunt Mosaica Sabbata, neqve enim figuram gerere poterunt qvietis jamdum partæ. Sabbata Mosaica præscripta erant solis Judæis,

Judæis, non gentibus: propterea enim dicitur: אות ביני וביניכם ולא ביני לבין האומות *Erunt signum inter me & inter vos, non inter me & inter gentes* Jalk. Th. in h. l. Hæc Sabbata gentibus indicuntur sub pœna æternæ damnationis *Zach. XIV. 16.* De his ergo nulla est qvæstio. Illa ad certa tempora erant adstricta; hæc continua. Ita enim verba מרי שבת בשבתו exponit R. Samuel per בכל זמן *qvovis tempore*, apud BenMelech. Plane ergo impertinenter hæc loca abrogationi Solennitatum Mosaicarum opponuntur.

3. *Sabbatum à JESU universisqve ejus Discipulis fuit observatum usq; ad seculum qvintum. In qvo Papa qvidam primam hebdomadis diem pro Sabbato coli præcepit; ut constat ex Zemach David.*

Resp. Ad has nugas jam responsum est supra p. 112. fin.

Usus ex versu 14.

Mystici Ninivitæ traduntur Satanæ: Ergo ob incredulitatem traduntur: qvi enim non credit damnatur *Es. XXVIII. 16. Marc. XVI. 16.* Idem judicium manet Judæos, qvi Majorum suorum vestigiis in blasphemanda CHRISTI doctrina pertinaciter insistunt. Abramides noster *Cap. XXXI.* scribit qvosdam Christianorum idem probare conari ex Amosi II. 6. *Sic ait Dominus: propter tres defectiones Israëlis, & propter qvatuor, non convertam eum, eo qvod vendunt pecunia justum, & egentem pro pari calceorum.* Per Justum, ait, intelligere eos JESUM NAZARENUM, atq; ita inferre, Judæos, propterea qvod vendiderunt JESUM precio exiguo, triginta argenteis, nunqvam obtenturos esse remissionem. Respondet Rabbi:

Mera hæc est sensus loci perversio: Verus sensus est: Qvamvis Israëlitæ tria gravissima peccata commisissent, Idololatriam, incestum & cædes, non tamen propterea in eos fuit decreta deportatio Assyriaca, sed propter חמס vim injustam, propter qvam & primus orbis diluvio periit Gen. VI. 11. *Nihil hic de venditione JESU Nazareni.*

Resp. 1. Omnia peccata, qvæ contra Legem DEI fiunt, commode reducuntur ad hæc tria capita, Idololatriam, qvæ com-

plectitur omnia peccata in DEUM; incestum, qvi complectitur omnia peccata qvæ homo in semet ipsum committit; Cœdem, qvæ peccata omnia in proximum commissa includit. Pueriliter g. huic peccatorum τριχοτομία adjungitur חמס *injuria*. An enim injuria solum proximum habet pro objecto? anon etiam DEUM? *Ezech. XXII. 26.* annon homo se ipsum injuria afficit, cum peccat? *Prov. VIII. 36.* Ita generalis dictio est, ut de omnibus dici possit peccatis, siqvidem peccatum vel est injuria in DEUM, vel in proximum, vel in se ipsum. Qvam inepte itaqꝫ חמס *injuria* tanqvam qvartum peccatum tribus prioribus opponitur? Tria qvatuorqꝫ i. e. multa, numerus certus pro incerto. *Notatur finalis impœnitentia & exultatio in rebus pessimis, qva iniqvitates complentur, ut CHRISTUS ait, mensura peccatorum completur Matth. XXIII. 32.* Winkelm. in h. l. Exponitur חמס per השחתת דרך יהוה *corruptionem viæ DEI v. 11.* Qvid ea aliud est qvam ἀνομία tam legalis qvam Evangelica? *Luc. VII. 30.* 2. Recte Christianus ex hoc Amosi loco inferre contra Judæos potest: Deportatio in exilium pœna est oppressionis justorum in judicio. Judæi ferunt pœnam exilii: Ergo oppresserunt Justos in judicio. Inter eos autem primum locum tenet JESUS, ἐξόχως justus dictus. Conf. *Joh. VIII. 45.* Hujus oppressionis pœna non tantum exilium est, sed & æterna damnatio, qvæ Judæis, qvamdiu non resipiscunt, non remittetur.

2. *Qvod de Israële, idem & de Edumæis dicitur: propter tria peccata & qvatuor non reducam eum* Cap. I. 11. *Jam vero Christiani sunt Edumæi, qvod* Cap. VI. *offensum. E. nec Christianis remissio peccatorum sperandæ.*

Resp. Ineptissima assertio est qvod per Edom Christiani significentur, qvam rejectam vide p. 37. fin. Remissio peccatorum non nisi in semine benedicto obtineri potest, *Gen. XIIX. 18.* qvod CHRISTUS *Psalm. LXXII. 17.* Christiani in CHRISTUM credunt E. indubie obtinent remissionem peccatorum.

Usus ex versu 15.

NINEVE PROPTER FASTUM ET INCREDULITATEM SUAM ÆTERNÆ VASTITATI SUBJACET. ERGO IDEM

IDEM FATUM QVOQVE EXTERNÆ SOLYMÆ EXPECTANDUM. Ubi enim eadem est culpa, ibi & eadem est pœna. Confirmat idem Amos Cap. V. 2. *Cecidit, non perget stare virgo Israëlis, deserta erit in terra sua, nemo eriget eam:* qvibus verbis Propheta Judæis omnem instaurationis politicæ spem adimit. Cum hic locus Rabbino nostro objicitur, respondet *Cap. XXXII.*

1. *Sub finem libri sui instaurationem Israëli aperte promittit Amos* Cap. IX. 14. *Reducam captivam multitudinem populi mei Israëlis, & ædificabunt civitates desolatas &c. Aut ergo dicendum Prophetam sibimet ipsi contradicere, aut concedendum comminationem hanc κατὰ τι intelligendam esse.*

Resp. Nullus hic est contradictionis metus. Ruina qvæ Israëli indicitur politica est, ut patet ex v. 3. Instauratio qvæ ipsi promittitur *Cap. IX.* est spiritualis. Jalk. Thor. in. h. l. אמר ליה בר נחמן לרבי יצחק מי שמיע לך אימתי אתי בר נפלי אמר ליה מאן בר נפלי אמר ליה משיח אמר ליה בר נפלי קריתיה ליה אמר ליה אין דכתיב ביום ההוא אקים את סוכת דוד הנופלת אמר ליה הכי אמר רבי יוחנן דור שבן דור בא תלמודי חכמים מתמעטין והשאר עיניהם כלות ביגון ובאנחה *Dixit R. Nachman ad R. Isaac: Quis patefecit tibi quando sit venturus filius ruinæ? Respondit: Quemnam tu vocas filium ruinæ? Regerit ille: Messiam. At hic: Tune eum filium ruinæ appellas? Omnino, replicat ille, & quidem ex verbis Amosi Prophetæ* Cap. IX. 11. *Eo die instaurabo tabernaculum Davidis quod corruit. Annon enim R. Juchanam dixit, quod adventus Messiæ in eam ætatem incidat, in qva magna sit Sapientum paucitas, & in qva reliqvi tristitia & mœrore sint defecturi?* Hic ruina tabernaculi Davidici constituitur non in ablatione sceptri, sed in remotione Sapientum. Non ergo intelligitur politica ruina, sed spiritualis. Hæc ruina causa impulsiva erat mittendi Messiæ: Proinde dicitur *Filius ruinæ.*

2. *Sensus est: Non resurget ex se ipsa, per vires naturæ & morem consvetum orbis, sine pœnitentia aut qvæsitione DEI, qvæ ipsi commendatur v. 6. aut permiraculum, sed post suam ad DEUM conversionem.*

Resp.

Resp. Ut duplex est Israëlis ruina, ita & duplex est ejus resuscitatio, politica & spiritualis. Illa sperari non potest, eo qvod Israëlis כלה *finale exidium* denunciatum est à Prophetis *Zeph. I. 17. Esa. X. 23. Dan. IX. 27.* Ipse R. Akiba negavit Israëlem reversurum vid. *Part. II. p. 19.* Hæc ipsis non est denegata, at includit tamen illa instauratio conditionem pœnitentiæ, & qvidem non Judaicæ sed Davidicæ Conf. *pag. 99.* pœnitentiæ, qvæ fidem in Messiam includit. Conf. *part. II. loc.* LXX ubi ostensum hunc Amosi locum & Chabacuci *II. 4.* à Judæis haberi pro parallelis. Qvamdiu ergo Judæi fide in JESUM Nazarenum, qvi verus Messias est, destituuntur, spiritualis resuscitationis participes fieri non possunt. Cœterum opponit hic Rabbi pœnitentiam viribus naturalibus. Pessime ergo ea voluntati aut conatui hominis tribuitur. vide supra *pag. 150. p. 54.*

3. *Similis locutio occurrit* Ps. LXXVIII. 40. *Recordatus est qvod sint caro: Spiritus vadens & non rediens. Non hic spiritui simpliciter denegatur reversio ad corpus, alias negaretur corporis resurrectio, sed reversio qvæ propriis viribus fit.*

Resp. Hoc per se patet, animam propria vi non reverti in corpus. Est enim opus resuscitationis mere divinum *1. Sam. II. 6. Ego morti affcio & vitæ restituo.* Negatur anima reverti ad hanc vitam animalem. Semel enim hujus vitæ stamine abrupto, ordinarie non ordimur novam hujus corporalis vitæ telam, qvamqvam extraordinarie qvorundam spiritus reversus est ad hanc vitam *1. Reg. XVII. 22. Act. XX. 10.* In Jalk. Th. hoc non de anima sed de prava concupiscentia explicatur: הרא אמר רלית מתון חין אלא רוח הולך ולא ישוב הוא יצר הרע שאינו עמו לעלם חבל *Qvidam opinantur mortuos non resurgere, abusi hoc* Psalmi LXXVIII. 40. *dicto. At hic intelligitur peccati fomes, qvi non revertetur cum anima ad vitam æternam.* Conf. *1. Cor. XV. 50.* Ut ergo anima non revertitur ad hanc vitam, ita nec Judæis spes relicta revertendi in externam terram Cananæam.

CAP. III.

CAP. III.

Periocha XIII. 1. 2. 3. 4.

COntinet denunciationem judicii in externam Hierosolymam decreti. Not. 1. Judæorum judicium. v. 1. Hoc indicatur per unam particulam VÆ. 11. Judicii causas, qvæ sunt peccata, describunturqve I. generaliter ex parte subjecti: ac reduci possunt ad duo capita, Injuriam & Infidelitatem: MONSTROSÆ ET INQVINATÆ, CIVITATI PRÆDATRICI. NON AUSCULTAT VOCI, NON ACCIPIT CORRECTIONEM, IN JEHOVA NON PONIT FIDUCIAM, AD DEUM SUUM NON ACCEDIT. II. Specialius ita ut designentur 1. peccata Principum: PRINCIPES EJUS IN MEDIO EJUS LEONES RUGIENTES, JUDICES EJUS LUPI VESPERTINI, NE OSSA QVIDEM RESERVANTES IN CRASTINUM. 2. Prophetarum: PROPHETÆ EJUS SUNT LEVES, VIRI EXTREME PERFIDI: SACERDOTES EJUS POLLUUNT REM SACRAM, VIOLANT LEGEM.

Sensus Abarbenelis.

1. Væ tibi, qvæ antea eras terribilis Gentibus, tempore Chasmonæorum è multis periculis à DEO liberata, qvod ei tunc instar columbæ adhæreres 2. jam vero deserto DEO neqve reali neqve verbali ejus castigatione commoveris 3. Cujus Principes Herodes aliiqve Tyranni Leonum & luporum instar in populum dominantur. 4. Cujus doctores Sadducæi, Baithosæi, Minæi, Epicuræi & imprimis discipuli JESU legem horribiliter lacerant.

NOTÆ.

1.

QVæ superiori vaticinio proposuerat Propheta, eadem in hoc repetit, more Prophetis consveto. Nimirum duo hic iterum exhibentur 1. Judicium partim hypocritarum, partim exterorum populorum, qvi Ecclesiam Judaicam persequebantur, à v. 1. ad 9. 2. Liberatio & glorificatio fidelium à v. 9. ad finem. Judicium denunciatur per VÆ, sub qva particula innuitur non temporalis tantum pœna, sed & æterna damnatio. Id qvod patet ex eo, qvia multi scelerum horum, qvæ hic enarrantur, rei, externum supplicium effugerunt. Manst ergo ipsos æternum. Cæterum Abarbenel hanc Prophetiam ad ætatem Templi secundi trahit. Nos non qvidem hæc tempora excludimus, at distingvendum tamen esse putamus inter Prophetarum visionem & nostram experientiam. Illi sine temporum intervallis in una imagine conjunctim omnia videbant exhiberi. At nos per experientiam discimus ratione temporum discrimen esse rerum prævisarum. Hinc qvanqvam nos satis recte distingvamus inter excidium Solymæ prius & posterius, tamen Prophetæ Antebabylonii talem temporum distinctionem non animadvertebant. Minus ergo recte hic Abarbenel, damnata Raschii Kimchii & AbenEsræ mente, scribit Prophetam superiori vaticinio de excidio priori per Babylonios immisso tantum prophetasse, hoc autem de exidio Romanorum vaticinari, eam procul dubio ob causam, ut, qvæ in Solymæos hic dicuntur, ea in CHRISTUM & Apostolos possit convertere.

2. Atqve ut hoc evincat prædicata qvæ Hierosolymæ primo in versu dantur plane aliter exponit, ac pleriqve interpretes. Primum est מוראה. Hoc ex ירא deducit in sensu *timendi*, qvasi *terribilis facta* diceretur respectu gentium postqvam ex Captivitate Babylonica esset in patriam reducta. Confirmat suam sententiam autoritate adducta ex EchaRabbethi, in qva מוראה dicitur *eo qvod DEUS timorem ejus dedit super omnem mundum.* At si talis significatus inesset voci, necessario ad Conjugat. Hophal ea reducenda esset. Jam vero in nulla parte Scripturæ Hophal hujus verbi reperitur.

reperitur. Deinde si Participium Hophal deberet esse, non מוֹרָאָה sed מוֹרָאָה legendum foret, siqvidem Jod hujus formæ convertitur in Hophal in Schureck. Præterea cum conjugatio Hiphil à verbo neutro sit activa atqve adeo Hiphil hujus verbi significaret *terruit*, Hophal necessario significaret *territus est*, & ita plane contrarium sensum vox sustineret. Qvod autem autoritatem Rabbinorum ex Echa Rabbethi allatam attinet, sciendum est illam explicationem non esse literalem sed Medraschicam atqve allusivam, qvod ipse Abarbenel negare haut potest, dum ait, מצאתי רמז למה שפירשתי במוראה ונגאלה במה שרשו זכרונם לברכה באפה רבתי *Inveni ad meam expositionem qvoqve alludere veteres f. m. dum ita allegorice exponunt in Echa Rabbethi.* Jam vero literalis sensus cogitur cedere allusivo אין מקרא יוצא מידי פשוטו וכאשר יבא אמורא ויוציאנו מפשוטו אנו אומרים דרך דרש הוא זה וש לו סוד או ענין ולא נאמין לאותה דרש אם מנגרת לפשט *Nullum est Scripturæ dictum qvod non literaliter explicari debeat. Cum autem Amoræus qvidam illud mystice interpretatur, eam expositionem nos vocamus Deraſch, cui qvidem subest mysterium. Qvodsi autem allegorica illa expositio literalem sensum evertit, ei nos non credimus. Schebbeth Jehud. pag. 53. col. 2.* Melius ergo est inhærere explicationi Kimchii, qvi vocem ait esse ex ראה *vidit*, & qvidem ex Hophal, facta permutatione Kametzchathuph cum cholem והוא ענין שנוף ולכלוך מן ושמתיך כראי *& habere significatum conspurcationis & inquinationis, ut* Nach. III. 6. *ponam te ut inqvinamentum.* Notat ergo vox *monstrosam.* Sic & נגאלה putat Rabbi redemptam significare, & עיר יונה *urbem columbam*, eo qvod DEO olim adhæserit uti columba Columbo. At rectius & Textui convenientius interpretamur cum Kimchio vocem נגאלה in sensu inqvinationis, ut accipitur *Es. LXIII. 3.* יונה autem in sensu oppressionis. Scilicet inqvinata vocatur Jerusalem cum aliis peccatis, tum imprimis injuria in proximum.

3. Jam enumerantur peccata: *Non auscultat voci, non accipit correptionem.* Rabbi illud refert ad precepta שמעות *qvæ*

agunt de fide. Hæc autem ad præcepta מעשיות *qvæ agunt de operibus*. At mala hæc est distinctio, si stricte vocem *præcepti* accipias, ita enim fides & præcepta opponuntur. Si latius, pro constitutione & ordinatione divina ut *Rom. III. 31. 1. Joh. III. 23.* hic esset prioris phraseos sensus: non credit, non sibi applicat salvandi medium à DEO ordinatum. At vero hæc meriti CHRISTI ordinatio comitem habet novam obœdientiam, & vitam CHRISTI præceptis conformem. Phrases subseqventes priorem explicant. 1. *Non accipit correptionem.* Hæc autem significat meliorem fieri per castigationes aut proprias aut alienas. Jam vero omnes castigationes à DEO eo ordinantur, ut homo vel à peccatis convertatur ad DEUM, vel in perpetua pœnitentia ac contritione conservetur: Sensus itaqve est: Qvanqvam sæpissime multis cladibus affecti sunt Judæi, multasqve & aliis gentibus calamitates propter peccata inferri viderunt, tamen propterea ad veram pœnitentiam non sollicitantur, qvæ contritionem & fidem in CHRISTUM comprehendit. Hinc ergo *neqve confidit in Jehova, neqve* malis pressa *ad DEUM suum* per preces *confugit.* Apparet hinc qvod fidem in CHRISTUM seqvatur fiducia in DEO, & προσαγωγὴ ad DEUM. At qvia fides in Messiam in Judæis non præsupponitur, nec fiducia, nec accessio suum verum objectum habet. Hinc dicit Propheta *non confidit in JEHOVA, ad DEUM suum non accedit.* Qvodnam ergo erat fiduciæ Judæorum objectum? qvod accessus? Abarbenel fiduciæ objectum facit *robur proprium*, accessus & perfugii, *Romanos.* At qvia hæc Prophetia non est restringenda ad ætatem qvæ CHISTI adventum proxime antecedebat, objectum utriusqve constringi tantopere haut potest. Erit itaqve objectum, qvidqvid JEHOVÆ opponitur, sive sit intra hominem, sive extra eum.

4. Etsi Judæi per sacrificia, preces, aliaqve opera Legalia qvotidie ad DEUM accedebant, tamen hic accedere ad DEUM negantur. Duplicem ergo oportet esse accessum ad DEUM alterum verum, alterum hypocriticum. Ille cultus est DEO placens, hic plane frustraneus & damnabilis Bech. *fol. 108. 2.* מיחד חשם יתברך בפיו ולבו רחק ממנו גדול עונו מנשא

Qvi

Qvi DEUM unum confitetur ore tantummodo, animo ab ipso remotus, ejus delictum majus est, qvam ut remitti possit. Ille nititur DEI præcepto, hic vero præceptis hominum. Ita enim cultum externum discribit Abarbenel ad verba *Es. Cap. XXIX. 13.* היתה יראתם את ה׳ מצות אנשים מלומדה ר״ל מצות ההר גל לא מכוונת הלב *Pietas ipsorum est humanæ inventionis, externi moris, præceptum de externa consvetudine non de interno cordis affectu.* Talis est modernorum Judæorum cultus, qvos nil qvidqvam declinatos esse videas à majorum suorum indole qvibus CHRISTUS objicit cultum hypocriticum externum *Matth. XV. 9.* Proinde & in eos recte dicitur. Μάτην σεβονταί με διδάσκοντες διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων *v. 9.*

5. Porro in specie statum politicum & Ecclesiasticum reprehendit Propheta, & illum qvidem v. 3. *Principes ejus in medio ejus &c.* Per Principes intelligit Abarbenel domum Herodis & violentos oppressores populi Judaici, qvi erant sub finem domus secundæ. Verum non ad eos solos restringi potest textus, sed intelligendi sunt omnes ii, penes qvos erat politica potestas qva tamen impie abutebantur ad injuriam DEI, fovendo Idololatriam & hæreses, & Ecclesiæ, destruendo illam cum externe tum interne. Imprimis Synedrii membra respiciuntur, qvæ inde à Zephaniæ temporibus ad extremum Judææ excidium Reipublicæ præerant, qvos Præsides temporibus distinctos in una imagine videbat Propheta. Hi comparantur cum Leonibus & lupis vespertinis propter abusum suæ potestatis in eos, qvi resistere non poterant, sed ut inertes pecudes fortioribus cedere cogebantur, sub tam impio imperio & animæ & corporis periculum incurrentes.

Docet hic versus qvam insolentes sint Judæi cum ad clavum sedent. Proinde ipsis nihil est damnosius qvam sceptrum gerere: Contra vero nihil convenientius ad salutem ipsorum procurandam, qvam calamitatibus affligi, juxa illud Hoseæ *Cap. VI. 1.* בצר להם ישחרנני *in angustiæ tempestive me qverent.* Exitiale ipsis est מלכות *regnum*, qvod tantopere affectant; salutaris vero מלקות *plaga* qvam omni ope vitant. Harum duarum vocum

materiale discrimen est levissimum, contra formale & finale maximum. Annoto hic qvæ de persecutionis Pharaonicæ salubritate memoriæ consignavit Judæorum antiqvitas, Rabbot *fol. 138. col. 4.* אמר ר' ברכי יפה היה הקרבת פרעה לישראל ממאה צומות ותפלות למה שכוון שרדפו אחריהן וראו אותן נתיראו מאד ותלו עיניהם למרום ועשו תשובה והתפללו *Dixit R. Berechias: Multo utilior fuit Israëli Pharaonica persecutio, bvam centum jejunia & supplicationes. Qvamobrem? Qvia cum Israëlitas persequeretur Pharao, aspectu hostis vehementer consternati, cœperunt oculos in sublime ad DEUM tollere, pœnitentiam agere ac precari.* Hunc ad officium redigendi Judæos modum si Principes Christiani observarent, non certe pauci ex Judæis converterentur.

7. Status Ecclesiasticus taxatur his verbis: *Prophetæ ejus leves &c.* Notantur omnes ii qvi munus docendi prophetandiq; perfide tractabant, sub figura eorum Pseudo-Doctorum, qvi erant Zephaniæ tempore. Hunc versum non erubescit blasphemus homo ad CHRISTUM & Apostolos trahere, ita scribens: אמר זה כנגד ישו ותלמידיו שנעשו נביאים בפחזותם וקלותם וכלם היו אנשי בוגדות *Dicit hæc de JESU & Apostolis ejus, qvi facti sunt Prophetæ in levitate sua, qvique omnes erant homines extreme perfidi.* Ergone propter doctrinam Apostolorum exciti sunt Judæi? Qvotusqvisqve Magnatum eam amplexus est? Annon qvo magis Apostoli sacrum dogma disseminarunt, eo crudelius Judæi fideles persecuti sunt, hoc ipso impium suum pro religione παλροπαραδότῳ zelum declarantes? Si itaqve, etsi tanta erat omnium Judæorum pro avita relligione contentio, nihilominus subsecutum est extremum excidium, utri eorum cusa ejus extiterunt, Judæine, an dogma CHRISTI seqventes? Non hi, qvia hi non puniebantur, sed Pellæ receptum tutum tempore obsidionis inveniebant. Ergo Judæi, Pharisæorum partes tutantes qvorum maxima tum erat multitudo & potentia. Verbo: Qvi extremo excidio puniti sunt, illi per Prophetas leves intelligendi, siqvidem hic peccata recensentur ob qvæ funditus exciſa est Hierosolyma. *Conf. v. 7.* At non Christiani sed Judæi παυολεθρίᾳ puniti

puniti sunt. Illi enim Solymæ excidium sibi nunqvam tanqvam pœnam attribuerunt, nunqvam de excidio Hierosolymitano doluerunt, sed juste immissum esse censuerunt, neqve Solymorum instaurationem unqvam desiderarunt usqve ad hæc tempora, sed ea in perpetuis ruinis jacitura esse constanter asseverant. Contra vero Judæi Pharisæorum asseclæ per omnia secula de Hierosolymitano excidio doluerunt, in Romanos propterea perpetua jactant convitia, ob sua peccata immissum esse concedunt, instaurationem patriæ certo expectant. Proinde Pharisæi cum suis suæqve doctrinæ asseclis hic simul intelligendi. Qvis non videt damnari simul hic perfidam Pharisæorum doctrinam qvam adhuc profitetur Judæorum colluvies, contra veram CHRISTI doctrinam stabiliri, cum tempore excidii Judaici DEUS se tam benevolum erga Christianos exhiberet?

8. *Sacerdotes ejus polluunt Sanctuarium.* Sub imagine impiorum Sacerdotum sui temporis exhibet Propheta omnes Sacerdotes usqve ad finem Reipublicæ. Hi dicuntur profanare Sactuarium. Sactuarium קדש *ispòv* res sacra est, comprehendens verbum cum visibile tum audibile. *Matth. VII. 6.* Hic visibile tantum signat, qvia תורה *verbi audibilis* statim seqvitur mentio. Innuuntur autem potissimum sacrificia, qvæ visibilia invisibilis Sacrificii Sacramenta, ut Augustinus loqvitur, cum ad signandum Messiam tum ad excitandam fidem erant ordinata. Profanantur hæc dum ad alium usum convertuntur. Convertebant autem Judæi ad meritum operum ad qvod minime erant ordinata. Abarbenel per Sacerdotes hic intelligit Sacerdotes templi secundi, eorumqve duos potissimum nominat, Manassem qvi in monte Garizim ædificavit Sanctuarium, & Eleasarum, qvi causa fuisse omnium malorum vulgo perhibetur. Verum neuter eorum verus fuit Sacerdos. Nam Manasses utut de gente Sacerdotali ortus, tamen nunqvam officio Sacerdotali ex DEI instituto functus est. Nam in monte Garizim ipse condidit templum, soceri sui Sanballetis opibus adjutus, contra DEI præceptum, qvi tantum in monte Moria sacra sibi offerri jussit. Hinc ea qvæ Manasses ut Sacerdos tractabat, nullo DEI jussu erant ordinata ad rem sacram, ac proinde non

sacra

sacra, sed profana sua natura erant. Si qvid ergo profanavit Manasses semetipsum profanavit, dum se ad profanas res tractandas prostituit, qvi ad sacra tractanda à DEO erat separatus. Cæterum utut hoc magnum fuerit Manasśis peccatum, tamen Solymæ non potuit afferre extremum exitium, cum impios illos Manassis ausus Judæi Hierosolymitani graviśimo odio perseqverentur ac ipsum tandem templum ductu Hircani funditus delerent. Sic Eleasarus incentor Belli Judaici qvæ fecit, non ut Sacerdos, sed ut Bellator & prædo fecit, nunqvam utut Hanani Sacerdotis filius esset, Pontificatui admotus. Duo ergo hæc exempla à scopo sunt aliena. Conf. Josipp. de bello Jud. *p. 228. seq.* Qvanto ergo rectius feciśset Abarbenel, si è numero Sacerdotum templi secundi produxiśet Hannam aut Caipham, qvi cum JESUM CHRISTUM condemnarent omnium sacrificiorum Antitypum, manifesto declarabant sese rem sacram sibi commiśsam profanare.

9. *Violant Legem* Sacerdotum officium qvoqve erat tractare verbum audibile *Mal. II. 7.* qvanqvam tale officium non ut Sacerdotes stricte dicti, sed ut Doctores & Prophetæ administrabant. Hæc iterum ad CHRISTUM applicat Abarbenel perfidus obtrectator, ita scribens: חמסו תורה אין זה כי אם כתות הצדוקים והבייתוסים המינים והאפיקורסים ותלמידי ישו שקמו שם וחמסו תורה בהותם מורים בה פנים שלא כהלכה *Violant Legem, nonniśi de Sadducæis dicitur, Baithośeis, Minæis, Epicuræis & discipulis JESU, qvi, Solymæ exorti, injuria affecerunt Legem, dum eam eo modo exposuerunt, qvi non decet.* Norma interpretandæ Scripturæ est: Unum esse sensum literalem, à qvo non debeat recedi nisi necessitate flagitante, cum ope grammatices tum ope collationis & analogiæ fidei eruendus. Hanc regulam seqvuntur veri Christiani, neglecta Patrum autoritate. Rabbini moderni Phariśæotum posteritas, etsi unum statuunt literalem sensum, tamen & normam interpretandi faciunt antiqvorum Rabbinorum consensum. Hinc cum in locis controversis & maxime in vaticiniis Messiæ, qvæ Christiani contra Judæos urgent, diversas inveniunt Rabbinorum expośitiones, vi veritatis

nimis

nimis evidentis extortas, incerti eo delabuntur, ut locum talem minime aptum esse ad probandum aliqvid aperte fateantur; כל פסוק או מאמר שיש לו פרושים אין משם הכרח לאמרת סברה או אמונה *Unusqvisque versus aut dictum Scripturæ qvod pluribus expositionibus subsistat, non potest adhiberi ad stabiliendam sententiam aut fidem.* Atqve his verbis qvidam Rabbi elidere conatur robur argumenti ex classico loco *Gen. XLIX. 10.* pro elapso adventus Messiani termino nexi, in Schebheth Jehuda *pag. 52. col. 2.* Si tanta est Rabbinorum hallucinatio in rebus fidei, in locis qvæ de Messia agunt, fidei fundamento, qvis eos diceret ita Scripturam exponere uti decet? Proinde eliminamus ex glossa Abarbenelis verba, *& Discipulis JESU*, locoqve ipsorum ponemus, *& pharisæis omnibusqve ipsorum asseclis.* Imo cum tot sint Judæorum expositiones literales in uno dicto, plane à se invicem discrepantes, qvibus nulli Judæorum contradicere fas est, cum אלו ואלו דברי אלהים חיים *qvæcunq; etiam sint, omnes sint Spiritus S. instinctu profectæ*, ut ipse Abarbenel non dubitat scribere in *Cap. II. Hagg. v. 11.* qvis eos rectam observare interpretandi formam assereret, cum una tantum sit veritas? Qvis eos non plures qvam unum sensum literalem statuere affirmet? Horrenda sunt qvæ leguntur in Jalk. chad. *pag. 155. col. 2.* ששים רבוא פרושים בפשט הפסוק וכנגדן באגדה וכנגדן בקבלה *Sexaginta myriades expositionum cujusqve versus sunt, idqve in sensu literali. Respectu harum sexaginta myriades sunt literalis sensus applicationes allegoricæ & mysticæ.* Eant jam Judæi & glorientur se interpretari Scripturam ut decet.

10. Hic exstat, causam excidii Judæorum esse Legis violationem. Eandem suæ diuturnæ captivitatis causam esse agnoscunt Judæi. Ir Gibb. *fol. 125. col. 1.* כי מאסו תורת ה' ולמדו רוֹל ממקרא ז שבעון בטול תורה גלו ישראל *Ex verbis Es. V 24. docent Rabbini nostri f. m. qvod propter Legis contemtum exulet Israël.* Cum itaqve palam sit, qvam Judæi moderni Legem venerentur divinam, qvam sedulo eam legant, qvam ornent, qvam in deliciis habeant, & DEUS nihilominus cœptam in Majoribus cala-

mitatem tam longe protrahat, neceſſe eſt, aut DEUM eſſe injurium in tam pios poſteros, aut venerationem, lectionem, meditationem illam Scripturæ eſſe tantum externam & literalem, minimeq; ſufficientem. Ratio eſt, qvia cum Lex de Meſſia teſtetur, ad Meſſiam ducat, ſiqvidem כל הנביאים לא נתנבאו אלא ערי מלך המשיח *omnes Prophetæ unice de Meſſia vaticinati*, Meſſiam eſſe juſtitiam noſtram affirmet *Jer. XXXI. 6.* illi nihilominus ex Legis operibus ſalvari cupiunt. Dum itaqve verus Scripturæ finis negligitur, violatur Scriptura. Hinc recte dicuntur legem contemnere & Lege contemnenda ſimul DEO renunciare אם בטלו ישראל המצות כאילו מקללין אב ואם ואין אב אלם הקבה שנ ועתה אבינו אתה ואם זו התורה שנ ואל תטוש תורת אמך *Cum Iſraël repudiat Legem, idem facit, ac ſi Patri & Matri maledicat. Pater DEUS eſt juxta illud Eſ. LXIV. 16. Mater vero lex, ſecundum illud Prov. I. 8. Rabb. 145. col. 4.* Imo qvia qvia ſub dominio pravæ concupiſcentiæ ſunt, Scripturam ſine periculo erroris legere non poſſunt, Schemot Rabb. *fol. 135. 4.*

II. Obſervat hoc loco Abarbenel tanqvam ſingulare κριτήριον de ſecundo templo hic agi, qvod nulla hic Idolorum fiat mentio, qvanqvam plures aliæ transgreſſiones enumerentur. Verum ſciendum eſt minime excludi hic Idololatriam, utpote qvam omnes peccatorum ſpecies præſupponunt tanqvam עיקר כל העונות *radicem omnium peccatorum*, ut recte eam appellat Kimchi in *Cap. XXVII. 9.* Eſaiæ. Cum Hieroſolyma dicitur non auſcultare voci, *v. 2.* Idololatriam qvoqve committere judicanda eſt, cum & eam interdicat vox DEI. In *Eſ. Cap. I. 24.* Abarbenel verba Rambam allegat לא יקרא איוב ולא שנא השם כי אם כעו *Nemo vocatur Hoſtis & Oſor DEI, niſi Idolorum cultor.* Jam vero, qvibus hic DEUS minatur excidium, in qvos effuſurus eſt furorem iræ, illi ſunt DEI hoſtes, cum filiis ſuis non inferat pœnam. Proinde & hi erunt Idololatræ. Apparet aliam eſſe craſſam, aliam ſubtilem Idololatriam. Qvanqvam itaq; craſſa Idololatria ſe non polluerunt Judæi Poſt-babylonii, ſubtilem

tilem tamen commiserunt qvæ in eo consistit, ut fiducia in carne ponatur, qvæ in DEO solo collocari debebat. Qvod si idololatra est, qvi, dum preces ad DEUM fundit, de auro & argento cogitat, id qvod Bechai asserit *fol. 100. col. 1.* כשאתם עומדים בתפלה אתו לבא תחשבו בכסף וזהב אשר עמכם שעם תעשו כן מעלה אני עליהם כאולו עשיתם אלהי כסף ואלהי זהב *Cum precamini, nolite de argento & auro cogitare. Si enim hoc facietis, eodem loco id habebo, ac si aurea ac argentea idola adoraretis*, qvot non idololatræ fuere sub templo secundo? Moderni Judæi propter majorum suorum peccata exulant, ipso Abarbenele teste in *Cap. XXXI. 29. Jer.* At filii non puniuntur propter Parentum peccata nisi כשהבנים אוחזים מעשה אבותיהם בידיהם *cum insistunt Parentum in peccando vestigiis.* ibid. Proinde & omnes hodierni Judæi subtilis & spiritualis Idololatriæ sunt rei, utpote concupiscentiæ pravæ mancipia, cujus destruendæ gratia Messias in orbem missus. Hæc enim est אל זר *DEUS peregrinus*, qvod ubivis inculcant Rabbini. Videatur imprimis Ephraim in Ir Gibb. passim.

Usus ex versu 1.

INFERIOR HIEROSOLYMA OPPRESSIT SUPERIOREM i.e. VEROS FIDELES. ERGO VICISSIM JUSTE OPPRESSA EST A DOMINATORE ISRAELIS, vindice fidelium suorum, qvi CHRISTUS cujus nativitas Bethlehemum nobilitavit, *Mich. V. 2.* Fundatur autem evidenter in hoc *Cap. III. Zeph. vs. 1.* distinctio inter Solymam inferiorem & superiorem, qvam Paulus exhibet *Gal. IV. 25. 26.* Hæc est persecutrix *v. 1.* illa persecutionem patitur *v. 3. 8.* Hanc DEUS deserit, æternis pœnis tandem subjiciendam *v. 1. 8.* Illi autem gratiose præsens est *v. 5. 15.* Hæc peccatis libere indulget, Pravæ Concupiscentiæ mancipium. *v. 1. 2. 3. 4. 7.* Illa non facit peccatum *v. 5. 13.* Proinde & hæc vocatur SERVA, illa LIBERA *Gal. IV. 25. 26.* Habent & Judæi hanc distinctionem, Schemot Rabba *fol. 141. col. 1.* אם אכיך למה קנך ואם קנך למה אכיך אלא בזמן שעושין ישראל רצוני שלמקום הוא מרחם עליהם כאב על בנים ובזמן שאבן

שאין עושין רצונו הוא רוזה אותן כעבד מה העבד
בטובתו ושלא בטובתו משמש לאדונו בעל כרחו כך
את תעשו רצונו של מקום בטובה ושלא בטובה
על כרחכם *Si DEUS vocatur Pater, quare idem vocatur Herus Israëlis? Ratio hæc est: Cum Israëlitæ implent, voluntatem DEI, DEUS ipsorum miseretur ut Pater filiorum. At cum non faciunt voluntatem, ille æque dure in ipsos dominatur, ac Herus in servum. Servus ingratis præter suam voluntatem, voluntatem heri sui implere cogitur. Ita & ab Israële invito voluntatis divinæ impletio exigitur.* Talis servus est externus Israël qvi hodie exulat. Nam ita ex hoc infero: Qvi non facit voluntatem DEI is servus est: Atqvi Israël: E. Major certa est ex verbis allatis. Minor probatur: Qvi invitus facit voluntatem DEI, is non facit voluntatem DEI. Atqvi Israël: E. Major clara est, qvia DEUS non coactum sed liberum cultum postulat, qvi fiat רוח נדבה *Spiritu spontaneo*. Minor, Qvi pravæ Concupiscentiæ dominio subest, is invitus facit Legis opera. Atqvi Israel: E. Major: Prava enim concupiscentia occasione Legis invalescit שהוא תקפו כדבר הנאסר *utpote cujus vis in nulla re & negotiosior qvam in prohibita.* Ir Gibb. *fol. 109. col. 3.* atq; adeo hominem ab implenda DEI voluntate retrahit. Minor patet: Qvi non agunt Pœnitentiam, illi sunt sub pravæ Concupiscentiæ dominio. Atqvi Israël E. Major: Hoc enim in confesso est, qvod nulla alia sit impœnitentiæ causa, qvam concupiscentia prava. Minor inde constat: Qvia Messias à Judæis expectatus nondum venit; hujus enim adventum à pœnitentia & bonis operibus suspendunt. Ex hoc omnino concludere possunt Judæi: Si ita cum homine comparatum est, ut qvo magis cognoscit prohibita naturæ vitio, eo magis ea appetat, extortam invitam ac imperfectam esse oportere obœdientiam Legalem, atqve adeo aliam oportere esse DEI voluntatem, np. Evangelicam, qvæ est credere in CHRISTUM *Joh. VI. 40.* qvi Legi pro nobis satisfecit *Rom. VIII. 3.* At hunc itaqve Lex est παιδαγωγὸς *Gal. III. 24.* Sed ad rem. R. Abraham *Cap. XXXIII.* ex hoc loco negat qvidqvam pro JESU Nazareno concludi posse.

Objicit

Objicit 1. *Si cæteri characteres Messiani in JESUM non cadunt, hic unus, Bethlehemi nasci, nihil probat: Atqui prius ostensum Cap. 1.*

Resp. Qvam male probaverit autor suam thesin, vide prolixe ostensum in subjecta refutatione.

2. *Messias Bethlehemi nasciturus, dominator est Israëlis. Atqui JESUS non est dominatus in Israëlem, sed Israël dominatus est in ipsum, occidit ipsum. Proinde nihil eum juvat Bethlehemi natum fuisse.*

Ref. 1. Invertimus. Messias debet esse Dominator Israëlis Spriritualis. JESUS est Dominator Israëlis Spiritualis E. JESUS verus est Messias. Majorem probamus ex promissione de æternitate solii Davidici: Jer. XXXIII. 17. *Non excindetur Davidi vir qvi sedeat in solio domus Israëlis.* Hic promittitur Davidi perpetuus regni successor שלא תכלה משפחתו לשתבא המלוכה לזרע אחר גם לא יכלה זרעו בנקבה *qvod familia ipsius non sit interitura, ita ut regnum ejus in aliam familiam transferatur, neq; qvod regnum ad sexum muliebrem sit transiturum*, uti exponit Abarbenel in h. l. Aut hæc scriptura פלסתרון *vana falsa ac ficta est*, qvod nec Judæorum nec Christianorum qvisqvam asseret: aut concedendus est Davidi spiritualis successor: politicum enim regnum ejus jamdudum interiit, nunqvam instaurandum. Minoris ratio patet. Nunqvam enim JESUS sibi tribuit regnum politicum *Joh. XVIII. 36.* ait: *Regnum meum non est de hoc mundo.* 2. Falsum est Israëlem interfeciſſe JESUM. Duplex enim Israël est, politicus & Spiritualis. Hic, qvi secundum ductum Spiritus S. vincit hostes suos internos: Ille, qvi externam rexit disciplinam juxta Leges forenses Mosis. Neuter Israël JESUM occidit, neqve enim vel profanæ vel sacræ Leges innocentis Viri cædem imperant aut permittunt: sed scelestissimi homines occidere, qvi nil nisi sangvinem habebant ex Israële, fidei & morum ejus plane expertes *Joh. VIII. 39. 40. 41.* Satanæ filii, Sodomæorum & Ægyptiorum indolem gerentes *Apoc. XI. 8.* non Judæi sed Satanæ Schola *Ap. II. 9.* Hi JESUM interfecere Salvatorem mundi. 3. Occiderunt Judæi JESUM, at non in morte mansurum, sed tertia die revicturum,

Ergo non sunt in eum dominati, sed suo maximo malo tandem experti sunt severissimum ultorem.

3. *E Bethlehem egredi, est, nasci ex Davide Bethlehemita. Nulla ergo est illatio: Bethleem jam est eversa E. Messias jam natus.*

Resp. Egredi Bethlehem, est nasci Bethlehemi: Ita exposuerunt Majores tui, Judæe, Vid. *Matth. II. 4. 5.* Postulat eum sensum ratio contextus. Ea juxta Kimchium talis est: לחיותך נמנה בערי אלפי יהודה צעיר אתה כנגדם ואף על פי כן ממך יצא לי המשיח *Cum tu Bethlehem jam numereris inter urbes millium Jehuda, parva es cum ad illas compararis: At nihilominus ex te nascetur Messias.* Hinc infero: Qvæ Bethlehem refertur ad reliqvas urbes Judæ tanqvam minor ad majores, ex ea nascetur Messias: Atqvi Bethlehem in sensu proprio accepta &c. Ergo. Non ergo hic poterit accipi pro Davide Bethlehemita: non pro Messiæ prosapia, sed pro loco nativitatis. Freqvens est qvidem in Scriptura metonymia loci pro incolis. At metonymia urbis pro uno cive, qvalem tu hic fingis, inusitata est cum sacris tum profanis Scriptoribus. Pono dari talem metonymiam, qvæ hic te necessitas eam adigit amplecti? Qvare eadem phrasis qvæ olim majoribus tuis significabat *nasci Bethlehemi, prodire Bethlehemo*, nunc significari debet *nasci ex Bethlehemita?* Qvid qvæso aliud te movet qvam præjudicium te Messia nondum nato?

4. *Messias egredi dicitur ex urbe Bethlehem egressu jam plurimis ante ipsum seculis facto. Ergo non in se sed in Davide egredi dicetur. Dicitur enim: Egressiones ejus à principio.*

Resp. Negatur Antecedens: Duplex hic Messiæ describitur egressus, alter Michæ tempore futurus adhuc erat, alter jam erat. Ille temporarius. Hic æternus. Est enim ille מקדם מימי עלם ἀπ' ἀρχῆς, πρὸ χρόνων αἰωνίων, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, sumto מ in sensu *ante* ut *Es. XLIII. 13. Prov. VIII. 23.* qvem sensum Kimchi approbat qvi מקדם *Prov. VIII. 23.* exponit per ממרום עלם *ante mundum.* Qvod autem ante mundum conditum est, illud stylo Scripturæ æternum est. Duplex ergo natura CHRISTI clare hic describitur, humana, juxta qvam erat Bethlehemi nasciturus: divina, juxta qvam ante tempora secularia egressus erat ex

substantia

substantia DEI Patris: juxta qvam ante suam temporalem nativitatem erat Dominator Israëlis, qvi Israëlem peccantem etiam in manus Babyloniorum Pers. Græc. traditurus erat usqve ad tempus qvo erat ex virgine nasciturus.

5. *MIKKEDEM, non est, AB ÆTERNO, sed notat* מזמן רב *ANTE LONGUM TEMPUS, qvod scilicet fluxit inter Messiam nasciturum & Davidem jam natum.*

Resp. קדם *principium* notat & qvidem primum, est enim ex קדם *antevertit.* Ita absolute positum DEO tribuitur Chab. I. 12. *Tu DEUS fuisti* מקדם *à principio*, vel *ante principium.* Chaldæus transfert *Tu DEUS creasti mundum* מבראשית *à principio.* Hic aperte determinatur ad principium mundi: Conjungitur enim מימי עלם *à diebus mundi* E. מקדם notabit *à principio mundi*, plane ut *Prov. VIII. 23.* מקדמי ארץ *à principiis terræ.* Sic exponit Gersonides מעלם נסכתי מראש מערת היות עלם נתנה לי הגבורה והשורה הגדולה מקדמי ארץ בראשית מה שנברא בארץ *Ante seculum inuncta fui, ante principium i. e ante tempus qvo mundus fuit conditus, fuit mihi data virtus & dominium maximum: A principiis terræ i. e. in principio qvo qvid creatum fuit in terra.* Kimchi מעלם exponit per מטרם עלם *ante mundum* vid. ipsum in Michæ V. 1. De principiis mundi etiam intelligit Versio Amstælod. reddens Daß seine Außgängen seyn von vormahlen von die Tage der Welt. Jam optionem damus Rabbino, utrum מ per *à* malit exponere, an per *ante.* Si per *ante* explicat, concedenda est Messiæ egressio æterna, qvæ est æterna generatio à Patre, descripta *Psalm. II. 7.* Si mavult sensum *à* retinere, Messiæ egressiones erunt inde à primordio mundi. An ergo David & Bethlehem inde à mundi initiis extitere, unde egredi suo tempore posset Messias? Chaldæus ut hanc difficultatem declinet pro actuali egressione declarativam hic introducit, ita vertens textus verba: ודי שמיה אמר מלקדמין מיומי עלמא *Cujus nomen dictum est inde à primordio à primis diebus seculi.* Si ergo Messiæ temporaria nativitas inde à primordio mundi prænunciata, in protevangelio prænunciata erit. Adducit hic R. Salomo ex

Psalm.

Ps. LXXII. 17. Coram Sole soboleſcet nomen ejus i. e. juxta R. Sal. & Kimch. כל ימי השמש יגדל שמו *omnibus diebus ſolis magnum erit nomen ejus.* Fuit ergo etiam Adamo promiſſus. Si hoc, ſpirituale regnum habet Meſſias. Si enim Protoplaſtis profuit Meſſias, non politicam ipſis attulit felicitatem, ſed ſpiritualem. In Protevangelio Meſſiæ tribuitur contritio capitis ſerpentini. Jam vero divinum opus eſt caput Diaboli conterere, aut regnum Satanæ vaſtare. Non ergo erit Meſſias φιλάνθρωπος ſed θεάνθρωπος. Qvod ſi autem DEUS eſt, qvis ipſi egreſſionem æternam à Patre denegabit?

6. *Vaticinium loqvitur de ultimis Gogitarum temporibus v. 1. Cap. V. Nunc turmatim coito o turmaria &c. Non ergo ſenſus eſſe poteſt, Meſſiam Bethlehemi naſciturum.*

Reſp. Expendemus hujus argumenti præmiſſas. 1. Major eſt: Qvi ſubſidio veniet preſſo à Gogitis Iſraëli, ille non naſcetur Bethlehemi, Ratio, qvia tempora belli Gogitici ſunt ultima mundi tempora, qvibus non exſtabit Bethlehem. Hæc Major falſa eſt. Duplex Gog eſt, typicus & Antitypicus. Typicus Gog Scytharum populus eſt, qvi tempore Joſiæ irruit in Palæſtinam de qvo *Ezech. XXXII. 26.* Antitypicus eſt cohors anti-Meſſiana ſeu Antichriſtiana, qvæ eſt vel V. vel N. Teſtamenti. Illa, qvæ Meſſiam ejusqve Eccleſiam perſecuta ſub finem politiæ Judaicæ, de qva agit Ezech. *Cap. XXXIX. & XXXIX.* Hæc, qvæ ſub ultima mundi tempora Eccleſiam CHRISTI vaſtabit, de qva *Apoc. XX. 8. 9.* De typico Gogo non eſt hic ſermo, ſed de Antitypico. Hinc invertimus Majorem: Qvi ſubſidio venire debet preſſo Gogitis Iſraëli ille naſcetur Bethlehemi. Cum enim immineret populo Judaico abjectio à facie DEI propter contemtum veræ doctrinæ, declarata toti orbi per memorabile totius politiæ excidium, neceſſe erat non multo ante Meſſiam Bethlehemi naſci, qvi fideles reliqvias à profana gente ſepararet, & contra myſticos hoſce Gogitas ſtrenue defenderet. Præſtitit hoc JESUS Nazarenus Bethlehemi natus cum per ſe tum per ſuos Apoſtolos, donis Spiritus S. inſtructos. Præſtabit idem ſub finem mundi, pleneqve liberabit ſuos ab omnibus malis. Minor eſt: Meſſias ſubſidio veniet preſſo à Gogitis

gitis Israëli. Hæc probatur ex v. 1. Cap. V. *Nunc turmatim coite o turmaria &c.* Kimchi per turmariam Gogitas intelligit. Abarbenel imperium Romanum. Seqvitur hos moderna Synagoga. Nos contra ex textu inferimus: Is hostis intelligitur, qvi Israelem adhuc Principem habentem oppressit: Dicitur enim: *Nunc turmatim coito, turmaria, obsidionem disponens contra nos: virga peccatiant in maxilla Judicem Israelis.* Imo ex hoc versu probatur non posse ultimi temporis Gogitas intelligi. Qvia hic describitur hostis, qvi invasurus Israëlem adhuc judices habentem. Atqvi sub tempora Gogitarum postremorum non habebit Judicem, sed erit dispersus in exilio. וישראל בגלות בלי מלכות בלי משפט כי ומנע הוא לנמוסי העמים *Israël in exilio neq; regnum habet neq; judicium, sed juxta Leges populorum cogitur vivere.* Abarb. in *Es. LIII. 7.* Opponimus Kimchio autoritatem R. Salomonis, qvi per בת גדוד *filiam turmæ* intelligit בת כשדים *filiam Chaldæorum.* Si ergo non intelliguntur Gogitæ, Judæos exules infectantes, cadit ratio, qvod vaticinium debeat ad ultima mundi tempora referri. 3. Si Gogitæ intelligendi sunt, non ultimi mundi, sed ultimi Reipubl. Judaicæ Gogitæ intelligentur. In Sanhedr. Cap. Chelek. legitur: אין העלם פחות משמונים וחמשה ובבולת האחרון בא בן דוד *Non durabit seculum hoc diutius qvam 85. jubilæos. In postremo Jubilæo veniet Filius Davidis.* 85. Jubilæi conficiunt 4250. annos. Jamdudum hi elapsi. Si ergo in ultimo Jubilæo necesse fuit Messiam exhiberi, jam exhibitus est, jam conflixit cum Gogitis. Erunt itaqve medii temporis Gogitæ, non ultimi: Allegatur hic locus in Nezach. Isr. *Cap. XLI.* Ibidem Rabh Chanan bar Tachalipha ait se offendisse qvendam volumen habentem sancta lingva scriptum & Romæ inter alia *κειμήλια* repertum, in qvo hoc scriptum legerit: לאחר ארבעה אלפים ומאתים ותשעים ואחר שנה לאחר בריאתו של עולם יתום מהם מלחמות תנינים מהם מלחמות גוג ומגוג והשאר ומות המשיח ואין הקב"ה מחדש עלמו אלא לאחר שבעת אלפים שנה *Elapsis qvater mille ducentis & nonaginta annis*

à creatione mundi, mundus consummabitur. Pars horum annorum continet bella cum Draconibus, pars bella cum Gogitis, reliqva pars dies Messiæ. Non autem DEUS innovabit mundum suum nisi post elapsos septies mille annos. Vivimus jam in sexto millenario à condito mundo. Dudum ergo venit Messias, dudum confixit cum Gogitis.

7. *Sub adventum Messiæ maxima Judæis veniet afflictio, qvæ hic prædicitur.* v. 2. *Idcirco exponet eos usq; ad tempus qvo parturiens pepererit. Hæc nondum oppressit Judæos. E. nondum venit Messias.*

Resp. Israël hic clare distingvitur à puerpera parturiente: *Dabit Israelem sc. in angustias*, ut Kimchi supplet, *in manus hostium* ut Raschi, *donec parturiens pepererit.* Alii ergo sunt qvi in manus hostium dantur, alia, qvæ parit. Qvænam est illa parturiens? Propriene an improprie dicta? Propriedictam intelligunt nostrates, qvibus religio est discedere à sensu literali, qvamdiu non obstat insignis necessitas. Erit ergo Virgo Maria qvæ Messiam erat paritura. Ejus partum jam prænunciaverat Esaias *Cap. XII. 14.* Repetit eundem Micha, qvi & jam ante Esaiæ vaticinium de gentium conversione adduxerat *Cap. IV. 1. seqq.* Sensus ergo est: Dabit Israëlem in angustias usqve dum Maria virgo Messiam pepererit. Illa enim tempora qvæ fluunt inter solutionem captivitatis Babylonicæ & Messiæ nativitatem dicuntur à Daniele צוק העתים *angustia temporum Dan. IX. 25.* Atqve hic sensus planissimus est, qvem legenti litera primo intuitu suppeditat. Sion enim esse non potest, ea enim hic introducitur loqvens *v. 1. 5.* & opponit sibi convertendos ex Juda & Israële *v. 3.* Sed condescendamus tamen cum Judæis ad impropriedictam. Ita hoc exponunt communiter: *Tradet Israelem angustiis usqve ad tempus parientis puerperæ* id est, *per novem menses.* Hi novem angustiarum menses nondum inciderunt: E. nondum venit Messias. Antiqva hæc glossa est, & reperitur in Sanhedr. Cap. Chel. אין בן דוד בא עד שתפשוט מלכות רשעה תשעה חדשים על כל העלם כולו שנ׳ לכן יתנם גו׳ *Non prius veniet Messias Davidis filius, qvam impium Regnum Romanum sese per totum mundum extenderit & qvidem per novem menses, uti scriptum Mich. V. 2.*

Tradet

Tradet ipsos usqve ad tempus parientis puerperæ. His novem mensibus Judæi gravissimas sibi persecutiones ominantur, qvas vocant חבלי משיח *dolores Messiæ.* Vide autem qvam ruinoso fundamento nitatur commentum hoc. Rogati Judæi qvare hæ persecutiones per novem menses duraturæ, respondent, qvia comparantur cum doloribus puerperæ. Annon hic manifesto confundunt עת הרון *tempus conceptus* cum עת הלדה *tempore partus?* Tempus graviditatis durat novem menses, non item tempus dolorum partus. Imo qvia dolores partus sunt transitorii & per breve tempus durant, Scripturæ solenne est fidelium afflictiones cum ipsis comparare *Joh. XVI. 21.* Cum itaqve nullum hic sit tempus angustiarum, novem mensium circulo circumscriptarum, nullum qvoqve hic argumentum est contra doctrinam de jam nato Messia. Imo invertimus: Qvia tempore Constantini M. primi Christiani Imperatoris Regnum Romanum complexum est ὅλην τὴν οἰκουμένην, qvod Historiæ affirmant, necesse est Messiam jam venisse. Cæterum qvæ de doloribus Messiæ scribunt Judæi, originem habent ex veritate. Sunt חבלי משיח *παθήματα τοῦ χριστοῦ* qvæ ipse passus est in cruce, qvæ etsi acerbissima fuere, tamen & brevia fuerunt, & eventum habuerunt lætissimum. Hisce *παθήμασι* conformantur fidelium qvorumvis *παθήματα*, itidem brevia & gloriosum exitum habentia *2. Cor. IV. 17.* Debent enim fideles fieri *κοινωνοὶ τῶν παθημάτων τοῦ χριστοῦ 2. Cor. I. 5. Phil. III. 10. 1. Petr. IV. 13.* Aliam textus expositionem affert R. Salomo יתנם ביד אויביהם עד בא העת אשר חלח וילדה ציון את בניה צוין אשר החזיקה עתה חיל כיולדה ועכשיו היא קרויה וולדה *Tradet ipsos in manus hostium usq; ad tempus qvo parturiat & pariat Zion filios suos: Zion qvam jam comprehendit dolor, sicut puerperæ, qvæ jam vocatur puerpera.* Colligit ergo: Sion nondum peperit Messiam. Resp. Duplex est partus naturalis & mysticus. Ille, cum mater maturum fœtum juxta naturæ ordinem utero excludit. Hic est vel politicus vel spiritualis. Ille, cum Respublica mater plures sibi cives acqvirit armis corporalibus. Ita Metropolis suas filias habere dicitur. Hic, cum mater Ecclesia per arma spiritualia verbum sc. DEI ad verum DEI

cultum adducit impios. *Gal. IV. 19.* Eligat jam Rabbi partum qvem velit, nullum suæ Synagogæ adscribere potest. Ac naturalem scio non intelligit. Si politicum; supponendum est Judæos adhuc habere rempublicam qvanqvam valde infirmam, habere arma, Leges &c. ab ea republica separatos esse Filios Israelis & magnam partem fratrum Messiæ i. e. Judæorum; nam statim subjicitur: *Et residuum fratrum ejus redibit una cum filiis Israel.* Ubinam qvæso terrarum est lacera illa Judæorum Respublica? Si spiritualem: Seqvetur dari adhuc cœtum inter Judæos qvi habeat veram doctrinam, cui opponantur Israelitæ & magna Judæorum pars tanqvam Apostatæ: Qvos enim ex Israël Sion Spiritualis mater parit filios, ii ante partum non erant filii. Ergo erant Apostatæ. Nam התלמידים נקראו בנים *discipuli dicuntur filii.* Dum ergo non sunt filii, non habent communem cum Sione doctrinam. Ipsi hic inter se certent Judæi, qvinam eorum sint fidelis Sion, qvinam apostatæ: Ego omnes Judæos Apostatus voco, *qvia spreverunt doctrinam Jehovæ exercituum, & sermones Sancti Israelis blasphemant. Es. V. 24.* Ob hanc enim causam se in exilio vivere ipsimet fatentur: ob hanc causam præclusæ illis sunt portæ sapientiæ Conf. disq. in *Cap. VI. n. 18.* Qvia ergo hodie penes Judæos non est amplius fidelis Zion, apparet eam olim stante adhuc republica fuisse. Atqve hi Apostoli, qvi tanqvam mater pepererunt filios DEO *Es. XLVI. 6. LX 3.* Hinc invertimus argumentum Judæi. Si Sion jam peperit, seqvitur Messiam jam esse natum. Minor probatur, qvia parere debuit salva adhuc republica *Es XLVI. 6.* בטרם תחיל *antequam parturiret*, i. e. exponente Chaldæo עד דלא ייתי זועא דחרבנא *antequam veniret commotio excidii Hierosolymitani.* Futilis sane & coloris omnis expers glossa est, qvam hic habet R. Salomo *Congregabuntur*, inqvit, *filii in urbem Hierosolymam, qvæ ipsis antea abductis erat vastata, & orbata, Ita Hierusalem filios suos videbitur peperisse sine dolore.* Nusqvam certe Sion sterilis urbem vastatam notat: Nusqvam putativus partus in Scriptura fundatur. Apage ergo frivolam hanc expositionem.

§. *Residuum Fratrum Messiæ revertetur in terram suam avi-*

tam

tam cum filiis Israelis, v. 2. *Illa reductio nondum facta*, *E. nondum venit Messias.*

Resp. Duplex est Israelis reductio: politica & Spiritualis. Non illa sed hæc à Propheta promittitur. Absolute dicitur ישובון qvod proinde non vertendum est, *revertentur in terram suam*, sed simpliciter, *convertentur*, scilicet ad אל גבור *DEUM fortem* uti docet *Es. X. 2.* ad Dominatorem Israelis, à qvo per apostasiam discesserant, qvi ipsos propter suam defectionem tradiderat in manus hostium. Idem enim est qvi frater Israelis dicitur, & qvi Israelem in manus hostium tradere dicitur. Fieri debuit reductio Israelis stante adhuc Bethlehem Ephrata. E. spirituali modo fieri debuit, non politico. Nam Messia Duce qvi Bethlehemi nasciturus erat, fieri debuit. Hoc probat textus connexio: *Dominator Israelis nascetur Bethlehemi, qvi tradet Israelem in manus hostium, donec mater sua eum Bethlehemi in lucem ediderit: Ac tunc reliqviæ fratrum ejus una cum reliqviis populi Israel convertentur: qvos ille pascet &c.* Atqvi jam Respublica dudum corruit, E. reductio Israelitis promissa spirituali modo impleta est.

9. *Micha promittit Israeli tempore Messiæ pacem ac tranqvillitatem perpetuam.* v. 4. 5. *Ea nondum exhibita est Israeli E. nondum venit Messias.*

Resp. Duum generum pax est, politica & Spiritualis. Illa incerta est, qvia nititur pactis humanis. Omnis enim homo est mendax *Psalm. CXVI. 11.* Hæc certa est ac indubitata, qvia nititur promisso divino. Illa securos nos reddit ab ira hominis benevolentiam suam pollicentis: Hæc securos nos reddit ab ira DEI, gratiam suam pollicentis. Solus enim DEUS est verax *Rom. III. 4.* Utranam pax hic intelligitur? an incerta illa ac fluxa qvam promitunt homines? imo שלום גמור וקבוע באין הפסק עוד *pax perfecta, constans, nunqvam iterum terminanda:* uti R. Salomo: שישבו בבטחה ובשלום לעלם *qva qvietam & securam vitam agent in æterna tranqvillitate*, uti R. D. Kimchi describit. Erit ergo spiritualis pax, qvæ animos nostros tranqvillat ac obfirmat adversus qvasvis afflictiones. Hujus pacis dator Messias est, omnium promissionum divinarum fons. v. 5.

זה יהיה שלום לנו מכל פחד שלא
נפחד עוד עד עלם פי זה שלום ער המשיח כי
הוא יהיה סבת השלום כמו שאמר ודבר שלום
לגוים *Hic erit Pax nobis ab omni terrore, ita ut nunqvam amplius perterrefiamus: Nimirum MESSIAS dicitur pax nobis fore, qvia erit causa pacis, qvemadmodum de ipso scriptum legitur* Zach. IX. 9. *Loqvetur pacem gentibus.* Satis feliciter expressit Rabbi emphasin locutionis abstractivæ *Messias erit Pax.* i. e. immunes nos præstat ab omni terrore. Atqvi hinc fluit, Messiam nos primario immunes præstare à metu iræ divinæ. Qvamdiu enim metus iræ divinæ non est compressus, pax externa ac politica non est pax: neqve enim vel externa pax vel honor vel opum affluentia internos mentis tumultus potest sistere. Si autem Messias nos immunes præstat à metu iræ divinæ, autor est nostræ cum DEO reconciliationis. Affert ergo Messias pacem spiritualem. Recte hic allegat Kimchi verba Zachariæ IX. 9. *Loqvetur pacem gentibus:* Hinc autem fluit: qvæ pax verbo tanqvam spirituali gladio non politico paritur, ea est spiritualis naturæ. Atqvi hæc Messiæ pax Conf. *Es. XII. 2.* Ergo. Atqve ita invertimus Judæi argumentum: Pax spiritualis jamdudum parta est mundo, & per præconium Evangelii oblata. Debuit enim pari à Messia Bethlehemi nato. E. Messias jam exhibitus dudum est, D. n. J. C. est verus Messias qvi hoc in se vaticinium completum esse prædicat cum ait Joh. XIV. 27. *Pacem meam vobis do, non qvalem mundus dat.*

10. *Tempore Messiæ erit terra Assyriæ subigenda armis præfectorum Messiæ septem & octo.* v. 5. 6. *Id nondum factum, E. nondum est exhibitus Messias.*

Resp. Qvia Assyriacæ Reipublicæ memoria jamdudum interiit, Spiritualis Assur hic intelligendus. Unde invertimus: Spiritualis Assur jamdudum oppressus est: E. Messias jam est exhibitus. Est autem Spiritualis Assur hostis Ecclesiæ & CHRISTI, uti apparet ex collatione *Es. XI. 4.* & *2. Thess. II. 8.* Considera hic I. Hostem; Is Assur. Assur tempore Messiæ resurrecturus dicitur, exemplatum Assuris qvi Israelem vastaverat, qvi Hierosolymam tempore Hiskiæ

Hiskiæ conabatur exscindere. Is eo tempore non mere politicus Israelis hostis erat: Ita enim non qvæsivisset evertere sacra populi DEI, sed potius protexisset, *Es. XLIX. 23.* cum politica potestas spirituali minime adversetur, siqvidem utraqve DEI est institutum. Erat ergo qvoqve spiritualis hostis Israelis, qvatenus nempe ex arbritrio Satanæ tractabat potestatem politicam, ad evertendam veritatem & Ecclesiam DEI Conf. *Es. Cap. X. 8. 9. 10. 11. Cap. XIV. 13. 14.* Hujus indolis Assur resurrecturus tempore excitati per orbem Regni Messiani: descriptus plenius *2. Thess. II. 3.-11.* Est ergo Assur Spiritualis, cujus scopus primarius est non regna subigere, sed Ecclesiam DEI & veritatem revelatam exscindere. Considera II. Protectorem, qvi Messias, cujus Duces Spirituales, Spirituali huic hosti oppositi, descripti 1. qvoad caput suum qvi Messias Rex Spiritualis ἀρχιποίμην *v. 4. Septem & octo pastores ac uncti* i. e. *complures Messiæ duces* ut exponunt Rabbini שבעה מלכין *Septem Reges*, ut Chaldæus habet. 2. qvoad dona. Sunt נסיכים *uncti*, donis Spiritus S. *Apoc. I. 6. Cap. V. 10.* 3. qvoad vocationem immediatam dicuntur constitui ab Ecclesia עליו *contra Assurem*. 4. qvoad arma, qvæ sunt gladius spiritualis, verbum DEI. 5. qvoad victoriam qvæ καθαίρεσις ὠχυρωμάτων 2. Cor. X. 4. 5. *Frangent Assurem cum portis suis.* His Ducibus subnixus Messias הציל מאשור *eripiet Ecclesiam suam ab hoste* qvandocunqve in nos insurget. המלך המשיח וצולנו בהתריבו ארץ אשור ובכל עם נסיכיו ושריו *Rex Messias eripiet nos cum vastabit terram Assur & Babel una cum suis Regibus & Principibus*, Kimchi. Ut appareat qvod hic spiritualis hostis describatur, qvi animæ non corpori interitum intentet, adscribam hic qvosnam Talmudici per septem Pastores & octo Reges intelligant: מאן נינהו שבעה רועים דוד באמצע ואדם ושת ומתושלח מימיו אברהם ויעקוב משה משמאלו משמאלו ויצחק לחיכן אזל אזל וקאי אפתחא דגיהנם ומציל את בניו מרנדא של גיהנם מאן נינהו שמנה נסיכי אדם ישי שאול שמואל עמרם צפניהו צדקיהו אליהו ומשיח *Quinam sunt illi septem*

septem Pastores? David, qvi in medio statuendus: Adam, Seth, Methusalem ipsi sunt à dextris: Abraham Jacob Moses à sinistris. Ubinam autem est Isaac? abiit ad fores Geennæ, & eripit filios suos à judicio Gehennæ. Qvinam vero sunt octo Reges? Isai, Saul, Samuel, Amram, Zephanias, Zedekias, Elias, Messias. Ita adducitur in Jalk. Thora. Adducit Kimchi in h. l. sed paulo aliter. Pro Adam ponit *Chanoch:* pro Amram, ponit *Amos:* pro Zedekia, ponit *Hiskiam.* Omnes hi singularibus donis Spiritus S. erant ornati & insigni zelo pro gloria DEI donati. Hi resurgere dicuntur Messiæ tempore, qvia paribus donis ornati Ecclesiæ Ministri surgent. Male autem inter eos refertur, Messias, qvi caput erat, Isaaci potius antitypus dicendus. Ex gehenna enim liberare non est hominis nudi opus sed Θεανθρώπε *Hos. XIII. 14. 1. Cor. XV. 54. Psalm. XLIX. 16.* Infero hinc: A qvo per Messiam, qvi Isaci Antitypus, liberabitur & ope Præfectorum Messiæ defendetur Israel, id est judicium Gehennæ. Atqvi ab invasione Assuris liberabitur & defendetur: Ergo Assyrii invasiones notabunt malum Gehennale. Erit ergo Spiritualis Assur, qvi animæ intentat judicium Gehennale. Cæterum si Judæus historiam Ecclesiasticam cum hoc loco confert, abunde docebitur in primitiva Ecclesia hoc vaticinium fuisse impletum. Qvoties persecutiones Ecclesiam invaserunt, Martyrum constantia factum & animositate, ut Ecclesia non everteretur. Semper enim victores discessere, usqve dum tepescente illo vigore, tandem Ecclesia sub ultimi Antichristi captivitatem redigeretur, à qva in adventu CHRISTI ultimo plene liberanda.

II. *Tempore Messiæ proterent Israëlita populos Hierosolymam oppugnantes, uti prænunciatur* v. 7. 8. *At hos nondum prostravit: E. nondum venit Messias.*

Resp. Subactio hic describitur non hostilis sed spiritualis & amica. Disce eam Judæe ex circumstantiis textus Israel *v. 7.* dicitur saluti fore gentibus *v. 7.* idem dicitur exitio fore gentibus *v. 8.* juxta tuam expositionem. Exponis enim *v. 8.* de horrenda & crudeli gentium cœde. Hæc certe pugnant, nec possunt simul consistere. Age considera mecum textus verba paulo diligentius.

ligentius. Nota autem 1. idem utroqve in versu esse objectum, nempe populos multos, gentes à veritate DEI alienas, vero Israëli infestas. Hoc concedes facile. His 2. Israël dicitur fore instar roris. Ros sane benedictionem notat טל סימן ברכה כן והוו וישראל בעלם *Ros signum est benedictionis. Scilicet benedictio erit Israël mundo.* Abarb. in h. l. Qvamnam autem afferet mundo benedictionem? non externam aut civilem, sed spiritualem. Eam intelligit AbenEsra ולמד וישראל העמים לקרא בשם ה׳ והיו בקרבם כרוך אחרת כטל לישראל *Docebit Israël populos invocare nomen Domini. Erit itaqve inter ipsos roris instar, uti DEUS dicit se futurum rorem Israëli Hos. XIV. 6.* Scilicet doctrinam à DEO traditam impertiet Israël gentibus. Sed 3. qvibusnam gentibus? non pertinaciter reluctantibus, sed gratiam DEI sitientibus, abnegatis omnibus humanis præsidiis. Comparantur enim cum herba sitiente rorem divinum, nec expectante humanas rigationes. Porro 4. qvæ causa erit qvod gentes sitient rorem solatii divini? Ea est qvod actionibus Legis non possunt satisfacere, ut exponitur *v. 8.* Adverte hic Judæe probe, easdem Gentes qvibus versu præcedente Israël instar roris prodesse dicebatur, (nam טל אונו מזיק לכל בריה *ros nulli creaturæ damnum affert, Talk. Th. in Hos. XIV. 6.*) *v. 8.* virtuti Israëlis conculcatrici & raptrici negari posse resistere. Qvænam hæc est violentia, qvæ cum salute gentium possit consistere? Si inhonesta illa ac vindicavita est, qva grassabuntur Judæi על העמים ההם הצובאים על ירושלים שישמידום ויהרגום *in populos Hierosolymam obsidentes qva illos internecione delebunt* ut Kimchi exponit, qvomodo gentibus occisis & protritis poterunt saluti esse instar roris? qvomodo convenit illa crudelitas cum regula caritatis: *Diliges peregrinum sicut te ipsum Lev. XIX. 34.* Conf. *v. 18.* Erit ergo talis violentia qvæ non ex odio proficiscitur, sed ex pio zelo pro gloria DEI, ex amore in proximum ex pio desiderio proximum ad salutem æternam perducendi, ac sic hac figura innuetur convictio conscientiarum ex lege de peccato, cui homo non potest opponere propriam justitiam sed cogitur de-

sperare de suis viribus, seqve reum DEO confiteri. Hæc violentia non repugnat saluti gentium, sed ei svaviſſime ſubordinatur, ſiqvidem nemo poteſt ſolatii divini particeps fieri, niſi prius peccata ex lege agnoverit. Sed infer hinc 5. Judæe, gentem tuam non eſſe verum Iſraëlem. Iſraël enim qvi hic deſcribitur veram habet doctrinam, qva perfundere tq. rore dicitur omnes gentes. Vos Judæi propter contemtum veritatis cœleſtis exulatis: Proinde non eſtis verus Iſraël. Verus Iſraël omnium gentium deſiderat ſalutem etiam inimicorum ſuorum. Vos gentibus minamini extremam internecionem, qvæ vobis amica hoſpitia conceſſere. Hoc non eſt veri Iſraëlis. Deniqve 6. memento ſubactionem ſpiritualem gentium jamdudum fuiſſe perfectam ope Apoſtolorum & qvorumvis verorum CHRISTI diſcipulorum. Deſcribitur enim tanqvam opus Meſſiæ Bethlehemi naſcituri. Atqvi ille jamdudum natus, qvia Bethlehem jamdudum everſa.

12. *Tempore Meſſiæ Iſraël non indigebit armis bellicis, in pagis habitaturus, non in munitis urbibus, propter defectum hoſtium, uti eſt* v. 10. 11. 12. Conf. Zach. II. 4. *Neqve hoc adhuc obtigit Iſraëli E. nondum venit Meſſias.*

Reſp. 1. Urbi Jeruſalem & toti Reipublicæ toties indicitur כלה *finale excidium*, ad finem usqve mundi duraturum *Eſ. X. 33. Dan. X. v. ult. Amos. V. 2.* Fruſtra ergo ſperant Judæi reſtitutionem urbium vel munitarum vel non munitarum. 2. Idem Jeruſalem dicitur fore ſine muris Zach. II. 4. *Tanqvam pagi habitabitur Jeruſalem* i. e. juxta Salomonem מאין חומה כרי שיתישבו בה כל הבא ותגרל מיום עד יום *ſine muro, ut ita qvisqve advena in ea locum habitationis reperiat, atqve ita qvotidie magis magisqve extendetur.* Idem dicitur manſurum in loco ſuo à porta Binjaminis usqve ad locum portæ primæ, usqve ad portam angulorum & à turri Chananeelis usq; ad torcularia Regis. *Zach. XIV. 10.* Illic Jeruſalem non habet muros, hic habet muros & turres ſuas: qvomodo hæc conciliabis Judæe, niſi ſpirituale Jeruſalem intelligas, qvod etſi politicam munitionem non habeat, tamen ſatis tutum ſit futurum ab hoſtibus? 3. Cum Jeruſalem tanqvam pagi habitabitur, id non fiet ob defectum hoſtium, nec qvod ſalubrior aer eſt

aer est in pagis ac in munitis urbibus, ut insulse admodum scribit AbenEsra sed *propter multitudinem hominum & bestiarum qvæ erunt in urbe*, qvam rationem aperte addit Zacharias. Qvod si nulli tempore Messiæ hostes Hierosolymæ essent metuendi, qvare DEUS dicit sese fore Hierosolymæ pro igneo muro? Qvid hoc sibi vult? i.e. שלא יגע אדם בהם כמו שלא יגע באש שלא יכורח אתו *ne qvisqvam ad ipsum accedat ad ei nocendum sicuti nemo accedit ad ignem propter metum ne uratur*. Kimchi. Habebit ergo Jerusalem etiam tempore Messiæ inimicos, qvi ipsi possint malefacere, à qvibus tamen tutus esse potest qvisqvis vera fiducia in DEO recumbit. Hinc 4. inferimus *Israëli tempore Messiæ non deficient hostes: Israël tempore Messiæ non indigebit munimentis. E. non humana præsidia opponet hostibus sed divinam opem*, vera fiducia nixurus DEO per CHRISTUM sibi pacato *Rom. VIII. 31. seqq.* Ut rectius de his constet subjungemus brevem textus cohærentiam v. 9. *Tu o DEUS omnes hostes tuos tuæqve Ecclesiæ exscindes* v. 10. *Hoc qvomodo fiat exponam ipsis DEI verbis: Sic dicit DEUS ad populum suum Israël: Posteaqvam tibi ademero præjudicium de regno Messiæ politico, eversa funditus Republica tua* v. 12. 13. 14. *teqve à fecibus idololatriæ & qvidqvid sanæ doctrinæ repugnat repurgavero* v. 14. *Inimicis tuis, qvi hactenus tibi infesti fuerunt in omni gente, maledictionem per te annunciabo, v. 15. ea lege ut qvicunqz non crediturí sunt Evangelio, eis tandem æternas pœnas inferam.* Nulla hic 1. pagorum habitationis habetur promissio. *2. Zach. II. 4.* dicitur ut pagi habitabitur Jerusalem, sed hoc non fiet ob defectum hostium, sed ob multitudinem civium. 3. Non deerunt t. M. Ecclesiæ hostes, qvod vel inde patet, qvia DEUS promittit se murum igneum fore Jerusalem: qvæ promissio frustranea esset, si nullus foret hostis metus.

13. *Qvi egressum ac principium habet, ille non est DEUS. Atqvi Messias egressum ac principium habet: Dicitur enim egredi à seculo E.*

Resp. Qvi egressum habet temporarium, ille non est DEUS: Atqvi Messias non habet egressum temporarium, sed æternum: si æternum, erit DEUS. Est CHRISTUS αὐτόθεος, se ipso DEUS, etsi non à se ipso, nam à Patre procedit Conf. *Prov. VIII. 22.*

Usus ex versu 2.

COLLAPSA ERAT FIDES IN POPULO JUDAICO. ERGO MESSIÆ ADVENTU OPUS ERAT, QVI VERÆ PACIS RATIONEM IN TEMPLO MANIFESTARET. De hoc prædictum in Hagg. II. 10. *Maior erit gloria domus hujus posterioris, quam illius prioris, ait Dominus exercituum; & in loco hoc disponam pacem.* Ex hoc autem inferri potest: Messias venire debuit in templum posterius, illudq; suo adventu gloriosum facere. E. necesse est Messiam jam venisse, siqvidem Sanctuarium posterius jamdudum est exustum, & D. n. JESUM esse verum Messiam, cum ille in templo posteriori apparuerit & docuerit. Hoc ut clarius pateſcat tria notanda sunt.

I. Gloriam posterioris sanctuarii in nulla alia re consistere, qvam in FILII DEI incarnati præsentia. Major enim debuit esse gloria Sanctuarii Salomonæi. Salomonæum templum gloriosum reddebat præsentia FILII DEI in forma hominis typica. Ergo Salomonæum templum gloriosum reddidit præsentia FILII DEI in forma hominis antitypica & vera. Distingvit Rabbi *Cap. XXXIV.* in כבוד מרומה *gloriam apparentem* & כבוד אמתי *gloriam veram.* Illam ait esse divitias, hanc autem verum & legitimum DEI cultum. Ait ergo:

1. *Juxta qvorundam mentem gloriam poni in eo, qvod posterius Sanctuarium expers fuerit Idololatriæ, qvo prius fœde fuerit conspurcatum.*

Resp. 1. Amplectimur distinctionem inter gloriam veram & imaginativam, illa proficiscitur ex possessione veri boni, hæc ex possessione apparentis. Negamus autem DEUM Sanctuario apparentem gloriam promisisse. Si autem vera ei gloria competit, tribuenda ipsi qvoq; est inhabitatio veri boni, qvod DEUS. Nemo enim bonus nisi solus DEUS *Matth. XIX. 17.* 2. Etsi homines secundi Sanctuarii à crassa idololatria abstinuere, tamen subtili adeo non renunciavere, ut ope Sacerdotum ac Levitarum hujus posterioris Sanctuarii veritas doctrinæ & sanctitas vitæ penes omnes corruerit. Tradunt enim Rabbini qvod templum prius nonnisi octodecim summos Pontifices habuerit, at templum posterius trecentos.

centos. Id inde factum לפי שכהנים גבירת ראשון היו צדוקים גמורים והאריכו ימים והכהנים שבבירת שני קלקלו מעשיהם ולא האריכו ימים על כן מרובים כל כך *qvia Sacerdotes prioris templi fuere perfecte justi, unde & vitæ longævitate fuere donati: At Sacerdotes secundi templi scelleratam vitam duxere, ac proinde brevis ævi fuere. Hinc est qvod numerus eorum tantopere excreverit. Bech. f. 117. 1.* Qvod si Sacerdotes maximi tanta fuere mancipia pravæ suæ concupiscentiæ, qvod verum idolum est & omnis idololatriæ fons, qvis populum ab eorum moribus & ingenio declinatum fuisse dixerit? In ipsis initiis posterioris Sanctuarii jam qveritur Malachias de corrupta doctrina & vita Sacerdotum *Cap. I. 7. 8. 12. 13. Cap. II. 7. 8. 9.* Cum ergo ætas posterioris templi non fuerit immunis idololatriæ, in doctrinæ puritate constitui gloria ejus non potest. Alia ergo gloriæ prærogativa afferenda.

2. *Disputant Raf & Samuel. Raf prærogativam structuræ intelligit, qvod Herodes majores sumptus fecerit in templum posterius, qvam Salomo in prius: Samuel autem prærogativam annorum, qvod II. domus 420. annis duravit cum prior tantum 410. annos stetisset.*

Resp. 1. Incertum est utrum plus sumtuum Herodes in templum fecerit an Salomo. Prius probandum Rabbinis affirmantibus. 2. Si ponamus plus impensarum Herodem in ornatum templi fecisse, tamen in eo minime constitui potest prærogativa, siqvidem qvinqve aliis preciosis rebus templum prius prævaleret posteriori: nempe Arca fœderis, igne cœlesti, Urim & Thumim, Schechina, & Spiritu Prophetico, qvibus preciositatibus posterius templum caruit. Major certe in his gloria est, qvam vel in structuræ pulchritudine, vel templi duratione. 3. Major duratio prærogativam gloriæ inferre non potest: alias inanimata pleraqꝫ glorioſiora essent animatis, cum citius corrumpantur animata qvam inanimata. Cæterum

II. Notandum gloriam hanc promitti templo Serubabelis, qvod posterius dicitur, relatum ad Salomonis templum, qvod prius dicitur. Præter hæc duo templa nulla sunt alia. Proinde

cum templum Serubabelis, qvod ultimum est, jamdudum sit exustum, manifestum est Messiam jam esse exhibitum.

Obj. 1. *Loqvitur Propheta de templo Messiæ temporibus condendo. Conjungit enim promissionem ædificandi templi cum bellis Gogi & Magogi*, v. 7. 8. *qvod templum & apparentem gloriam habebit, magnificum sc. ornatum, & veram, inhabitationem perpetuam Schechinæ, & denique æternam pacem.*

Resp. 1. Loqvitur Propheta de templo, non futuro, & post aliqvot millenarios demum condendo, sed de præsente & jam condi cœpto. Dicit enim: *Implebo domum hanc gloria* v. 7. *gloria templi hujus posterioris major erit gloria prioris: Dabo in hoc loco pacem* v. 9. Atqve ita digito commonstrat domum præsentem. 2. Tria Judæi numerant Sanctuaria, primum, secundum & tertium, qvod Abarbenel vocat אחרון מכולם *postremum omnium.* Huic hypothesi clare contradicit textus, duorum tantum templorum mentionem faciens, prioris ac posterioris. Ubi enim prior tantum est & posterior, ibi non est locus tertio. Qvæ domus contemptui erat ædificantibus *v.* 4. eadem glorificanda, eadem postrema dicitur *v.* 10. Atqvi domus à Serubabele condi cœpta *v.* 5. Ergo. Nihil hic de templo tertio. 3. Bella Gogitarum seqvi templi exstructionem concedimus: at qvemadmodum Gogitarum bella spiritualia sunt, & impugnationem hostilem veritatis & Ecclesiæ notant profectam ab antichristianis ita qvoqꝫ templum qvod confecto bello gogitico exstruitur, spirituale est, instauratio nempe Ecclesiæ per Gogitarum bella depravatæ. At de hoc Gogitarum bello in textu qviqvam esse negamus. Commotio gentium, notat motus animorum excitatos in gentibus per præconium Evangelii. Rabbi Salomon commotionem hanc effectum miraculorum esse agnoscit, qvæ tempore Hasmonæorum patrata, Erit g. commotio mentalis non localis. 4. Ut templum tertium nullum datur, ita nec gloria ipsi competit, siqvidem non entis nulla sunt prædicata. Qvod si autem per templum Messianum Spirituale & ἀχειροποίητον intelligatur, verum est ipsi & Schechinæ inhabitationem & perpetuam tranqvillitatem competere. Non enim DEUS habitat nisi in mentibus secum reconciliatis.

2. *Pro-*

2. *Promittitur huic domui pax: At in templo secundo nulla fere fuit pax, prouti prædictum* Dan. IX. 25. *Minime omnium ætas Herodis habuit pacem. E. de templo Serubabelis est intelligendus locus.*

Resp. Amplectimur qvod docet in explicanda gloriæ prærogativa pacis memoratæ rationem haberi debere, & cum pax non unius generis sit, paulo studiosius inqvirendum, qvænam hic pax intelligatur. Legitur vox שלום in sensu abstractivo & in sensu concretivo. Si in abstractivo, vel politicam pacem notat, vel spiritualem. Politicæ pacis sensus merito hic rejicitur ex causa allegata. Spiritualis vero pax qvæ notat 1. reconciliationem hominum cum DEO 2. reconciliationem Judæorum cum gentibus per coitionem utrorumqve in unam Ecclesiam, gloriam Sanctuario afferre poterat vel dum annunciabatur, vel dum dabatur. Annunciata autem qvoad utrumqve sensum suum fuit in templo priore τῷ ac in posteriore. Data fuit non qvidem in templo, attamen tempore domus posterioris. Anteqvam enim everteretur templum posterius, Evangelium fuit in toto mundo prædicatum, Gentesqve in Ecclesiam collectæ *Es. LXVI. 7. Marc. XIII. 1.* Atqve hæc pax non fuit data aut exhibita in templi posterioris angulo, sed in theatro totius orbis. Si concretive sumitur, est formæ קרוב & notat vel *pace fruentem* ut *Gen. XLIII. 27.* vel εἰρηνοποιὸν *& pacem ferentem Mich. V. 4.* Jam si pacis promissæ donum in prærogativæ gloriam influit, aut politica pax intelligenda est, aut spiritualis, aut vox שלום in concretivo sensu accipienda pro εἰρηνοποιῷ. Jam vero politica intelligi non potest: Nec Spiritualis, qvia illa qvidem fuit annunciata in templo utroqȣ, at data in neutro. Ipsi enim res Sanctuarii posterioris tractantes Pontifices, Sacerdotes & Levitæ non passi sunt sibi applicari pacem à CHRISTO & Apostolis prædicatam, doctrinam CHRISTI supercilioſe spernentes, populumqve ejus crudeliter insectantes. Unde nec spiritualem cum Gentibus societatem amplecti potuerunt, utpote qvæ non nisi CHRISTI doctrinæ fundamento nitebatur. Ergo sumenda vox est concretive pro pacis autore: *Dabo in hoc loco Pacificum* i. e. exhibebo pacis autorem. Aut deniqve si qvis malit retinere abstractivam formam enallagen agnoscat abstracti

pro

pro concreto. Ita pax notabit pacis autorem, qvemadmodum exponit Paulus *Eph. II. 14.* Conf. *Mich V. 4.* Cum autem Pacis autor CHRISTUS sit *Es. IX. 6.* manifesta hic erit declaratio qvod in præsentia Messiæ Pacis autoris sit constituenda prærogativa gloriæ.

Obji. 3. *Domus tempore Messiæ condenda pari jure DOMUS HÆC dici potest atque Salomonæa dicitur* v. 4. *qvæ tamen tempore Serubabelis erat desolata.*

Resp. Domus Serubabelis & Salomonæa eadem est & non eadem. Eadem respectu finis. Non eadem respectu numeri. Diversos agnoscunt conditores, diversa tempora. Non esse eandem numero, inde patet qvia domus Serubabelis vocatur posterior, Salomonis prior *v. 10.* 2. Si Messiæ & Serubabelis templum idem numero est, erit & Serubabelis & Salomonis idem numero. Qvid ergo opus distinctione inter prius & posterius.

III. Notandum *Malach. III. 1.* per Dominum & Angelum Fœderis neminem alium intelligi qvam Messiam. Is enim 1. præcursorem habuit Eliam, qvi hic DEI Legatus dicitur, Johannem *Matth. XI. 14.* Is est 2. qvi ex promisso expectabatur, ὁ ἐρχόμενος *Matth. XI. 3.* Is 3. instar aurifabri defœcavit Levitas ut passim ex historia Evangelistarum clarum est.

Obj. *Per hunc Angelum Fœderis non Messias sed Elias intelligitur, qvi Zelo percitus ob neglectum ab Israëlitis Circumcisionis fœdus.*

Resp. 1. Is innuitur cujus est templum: Dicitur enim *veniet in templum suum.* Jam vero non Elias sed Messias est dominus templi *Matth. XII. 6. 8.* 2. Rabbini prudentiores consentiunt Messiam innui: Kimchius ait: אדון *est Rex Messias, idem qvoqve est Angelus fœderis.* Raschi per אדון intelligit *DEUM judicii* cujus *v. 17. Cap. II.* mentio erat facta. AbenEsra intelligit *Gloriam* seu Schechinam, qvæ Patribus freqventer apparuerat. Hinc manet argumentum firmum: Messias debuit venire in templum. Templum jam est exustum sine spe restitutionis. E. Messias jam venit.

Usus

Usus ex versu 3.

REGES AC PRINCIPES JUDÆORUM INSECTABANTUR VERAM ECCLESIAM: ERGO VENIRE DEBUIT IPSIS VINDEX MESSIAS, REX IPSORUM SPIRITUALIS, promissus Zach. IX. 9. *Exulta Sion: Ecce Rex tuus venit Tibi pauper, insidens asino &c.* Hinc ita inferimus. Veri Messiæ est, pauperem, asino insidentem, in urbem Hierosolymam invehi. JESUS Nazarenus, pauper, asino vectus est in urbem Jerusalem E. verus est Messias. Ac proinde tempus adventus Messiæ aliud non est expectandum. Majorem confirmant suo suffragio R. Salomon, AbenEsra, Kimchi, Abarbenel, Ben Melech, Abraham ben Isaac, qvi omnes uno ore de Messiæ temporibus locum exponunt. Minorem probat Historia Evangelistarum, qvæ hoc in D. n. JESU impletum esse docet. Anteqvam ad objectiones progrediamur operæ precium est brevem præmittere hujus loci paraphrasin. v. 1. Qvemadmodum omnibus gentibus propter suam idololatriam & Ecclesiæ persecutionem ira DEI ac æterna damnatio incumbit, ita nunc eam imprimis terræ Hadrach i. e. Syriæ & Damasco denunciat, super qva mansura est, donec seriam egerint pœnitentiam. Vult enim DEUS serio omnes populos ac imprimis omnes tribus Israëlis missis idolis ad se converti 2. Denunciat eam præterea Antiochenis, Sidoniis & Tyriis, qvi qvidem in sua sapientia 3. munimentorum robore ac divitiarum copia fiduciam ponunt, insuper habentes hanc iræ divinæ denunciationem 4. At enimvero brevi intelligent qvod humanna illa præsidia iram DEI minime aufferre possint, siqvidem DEUS ministerio Alexandri magni urbem ipsorum prorsus evertet. 5. idem eodem tempore intelligent fastuosi & obstinati Philistæi, siqvidem eversa Tyro paulo post & Ascalon & Gaza & Accaron 6. & Asdod alienum dominum accipiet Satrapis suis interfectis. His aliisqve subseqventibus judiciis præparati, cum tandem ex doctrina Evangelii viam salutis erunt edocti, agnitis peccatis suis fastum 7. odio in Ecclesiam, & impuritate animi serio abnegata, in Ecclesiam una cum reliqvis populis cooptabuntur, ac in ea Doctorum officio fungentur. 8

Atqve ita gentes qvæ prius Ecclesiam destruxerunt, eam colere & ædificare incipiunt. 9. O lætare Sion, siqvidem in proximo est Messias, qvi hæc tibi beneficia præstiturus, Rex tuus, justitiæ ac salutis autor, qvi in symbolum spiritualis regni sui pauper primo erit, asinoqve Hierosolymam invehetur. 10. Cujus tempore nullis externis præsidiis militaribus opus habebitis ad tuendum adversus gentium irruptiones Ecclesiam, siqvidem fracto intergerino pariete pax conciliabitur inter Israëlem & gentes, Messia per universum terrarum orbem dominante. Depravat hunc locum Abramides *Cap. XXXV.*

Obj. 1. *De eo intelligenda prophetia est, cujus tempore omnes Gentes Judaicam religionem amplectentur Syri, Tyrii, Sidonii, Philistæi &c.* Zach. VIII. 23. *Ituri sumus vobiscum, audivimus enim DEUM esse vobiscum. Atqvi tempore* JESU *NAZARENI non est facta gentium ad fidem Judaicam conversio.*

Resp. 1. Invertimus argumentum: Qvia Tyrii Sidonii Philistæi debuerunt converti, necesse est jamdudum fuisse conversos. Jamdudum enim Tyriorum Sidoniorum Philistæorum memoria interiit. Atqve nonnisi JESU NAZARENI temporibus sunt conversi. Porro qvia hæ gentes jamdudum deletæ cum urbibus suis, absurdum est ipsarum conversionem adhuc expectare. Abarbenel cum negare non possit Tyrum jamdudum esse eversam & æqvis submersam, fingit Venetias per Tyrum esse intelligendas, Venetos enim à Tyris originem trahere. Qvo ipso puerilem suam insciticiam in historia politica prodit. Sunt enim Veneti Itali origine, non Phœnices. vid. Læt. Hist. p. 128. 2. Ad Judæorum religionem debuere converti, dicitur enim loco citato: apprehendent decem alam אישׁ יהודי *viri Judæi* i. e. veri DEI cultoris. Atqvi hodierni verpæ non sunt Judæi, sed Synagoga Satanæ *Apoc. II. 9.* Non enim colunt verum DEUM sed illum potius continuata impœnitentia irritant. Ad eorum Judæorum religionem, apud qvos erat DEUS: ita enim dicitur in textu. Atqvi penes modernos Judæos non est DEUS. Ut enim propter contemtum verbi & præfractam impœnitentiam sunt patriis sedibus expulsi, ita ob eandem culpam usqve adhuc in exilio manent. Legitur *Deut. XXXI.*

XXXI. 18. הסתר אסתיר *abscondendo abscondam*. Hæc verba ita cabbalistice de se exponunt Judæi הסתר id est ה סתר *Quinque libri Legis sunt absconditi* אסתיו i. e. א סתיר *DEUS, qui unus est, est absconditus.* Scilicet in captivitate nec Legem habent, nec DEUM; hæc enim sunt connexa. Ubi non est salutaris verbi divini intellectus, ibi nec est gratiosa DEI habitatio. Jam vero ipsimet de se haut inviti exponunt qvod extat *Es. XXIX. 14. Periit sapientia Sapientium*. In qvod caput apte legi poterit Abarbenel. Si g. morderni Judæi ipsimet destituuntur vera Sapientia, qvomodo gentibus veram doctrinam poterunt suppeditare? Alios ergo oportet Judæos fuisse aliamqve doctrinam habuisse, à qvibus prædictæ gentes conversæ, ab Judæis modernis.

Obj. 2. *Christiani qvo locum hunc ad JESUM NAZARENUM transferre possint, locum hunc interpolarunt, & pro* נושע *SALVATUS, legunt* מושיע *SALVATOR. Id qvod malæ causæ indicium. Sic &* עני *non vertendum erat PAUPER, sed MANSVETUS.*

Resp. 1. Legit Vulgata versio *Justus* & *Salvator* pro *Salvatus.* Lutherus seqvitur ein Gerechter und ein Helffer. Non hæc est textus corruptio, sed explicatio. Messias Salvator esse non posset, nisi fuisset salvatus. Si enim in morte mansisset, nec ex ea extractus fuisset fortitudine dextræ divinæ, *Ps. XX. 7.* nulla potuisset fieri peccatorum expiatio, nulla generis humani redemtio. 2. עני Matthæus vertit *πραὺς mansvetus.* Qvi cum alibi de paupertate Christi testetur *Cap. VIII 20.* mansvetudinem paupertati subordinat, non opponit. Ait Rabbi Isaac Ben Abraham Messiam, cum omnis orbis dominium sit possessurus, non ob eqvorum defectum sed præ modestia usurum esse asino. At enimvero cum ex mente Judæorum sit usurus asino plane peculiari, prætextus modestiæ facile exspirat. Ita enim scribitur de hoc asino in Jalk. Thora in h. l. *Hic est asinus filius asinæ, quem DEUS creavit inter duas vesperas: Hic est asinus, quem instravit Abraham Pater noster filium suum Isaac oblaturus. Hic est asinus, quo vectus est Moses Magister noster cum in Ægyptum reverteretur,* Exod. IV. 20. *Hic idem est asinus qvo Messias invehetur in urbem Hierosolymam.* Preciosissimum

mum crte asinum, qvi sui similem non invenit in toto terrarum orbe, ac proinde summæ majestatis signum non modestiæ. Eundem centimaculum fore asserunt in Sanhedrin, ubi cum Sapores Rabbino cuidam promisisset, se Messiæ suo pro asino nobilem ac ferocem eqvum missurum, respondit, non ipsi esse eqvum centimaculum, qvalis sit Asinus Messiæ futurus. Si ergo Messiæ asinus longe præstantior erit ferocissimo eqvo, qvalem magni Reges in precio habent, usus ejus non poterit inferre modestiam. Qvam ergo ob causam Messias pauper dicitur, usurus asino, cum tamen sit Dominus orbis? Hæc ratio est, ut ostendat qvalitatem regni sui, id &c. non esse politicum sed spirituale, ad qvod conservandum non opus sit divitiis aut eqvorum multitudine. Eqvorum usus in bellis est, asinorum magis in pace. Signum ergo est asinus pacifici regni.

Usus ex versu 4.

JUDÆI VIOLANT LEGEM, DE JESU NAZARENO TESTANTEM, INSISTENTES MAJORUM SUORUM VESTIGIIS, AC PROPTEREA JURE SUNT A DEO ABJECTI. UT ERGO IN GRATIAM RECIPIANTUR, OPUS EST IPSIS POENITENTIA. Præeunt ipsis ex Judaismo conversi tempore Apostolorum Zach. XII. 10. *Effundam super domum Davidis & super cives Hierosolymæ spiritum gratiæ & deprecationum, & respicient ad me qvem transfixerunt, & plangent super eo tanqvam planctu de unigenito &c.* Negat Rabbi *Cap. XXXVI.* locum hunc agere de JESU NAZARENO. Ait:

1. *Agere de obsidione externa Solymæ, futuro tempore à Gogitis suscipienda.* v. 2. 3. 6. 9. *cui etiam primo ipse Juda sit interfuturus* v. 2. *DEUM Solymam obsidione liberaturum, hostes percussurum* v. 2. 3. 4. *Judæos ad meliorem mentem reducturum* v. 5. 6. 7.

Resp. 1. Hierosolyma, qvæ à Tito vastata adhuc in ruinis jacet, nunqvam instaurabitur *Dan. IX. 27.* Ergo multo minus à Gogitis obsidebitur. 2. Ex calce hujus capitis *v. 12. 13. 14.* patet hanc obsidionem fieri debuisse manente adhuc tribuum ac familia-

familiarum distinctione. At jam sunt tribus confusæ. Dudum ergo accidit hæc obsidio, nempe cum adhuc supereſſet antiqva Hierosolyma. At 3. de eo qværitur utrum externa an interna ac spiritualis Solymæ obsidio denotetur. Ea intelligi debet cui interfuit ipse Jehuda. *v. 2. Cap. XIV. 14.* Atqvi ille nunqvam interfuit Hierosolymorum obsidioni externæ. Proinde spirituali obsidione Hierosolymam pressit. Si ergo 4. Jehuda una cum reliqvis gentibus Hierosolymam Spiritualibus armis oppugnavit scandalis nimirum doctrinæ & vitæ, necesse est non politicam hic Hierosolymam intelligi, sed spiritualem, qvæ est cœtus fidelium, qvi sub tempora ingravescentium Hierosolymis Sectarum ingentia cepit decrementa, tempore nascentis CHRISTI ad incitas fere redactus. Hostes ergo 5. internæ aç superioris Hierosolymæ ita pressæ & captivatæ fuerunt primo omnes gentes, siqvidem illæ naturali odio feruntur in doctrinam à Prophetis prædicatam: deinde ipsi Judæi pharisaicis opinionibus & Antichristianis doctrinis occupati, inferior ac serva Hierosolyma *Gal. IV. 24.* Utriq; Hierosolymam superiorem & liberam obsidione spirituali cingebant, plurimis ipsius filiis ad societatem pharisaicæ doctrinæ abductis. At 6. Filius DEI ipsi tandem subveniebat, donis adversus impios oppressores roborabat *v. 2. 3. 4.* effuso in eam Spiritu gratiæ & precum *v. 10.* Hinc 7. factum, ut multi Judæorum, agnita Apostolorum ad sternendos spirituales suos hostes potentia, *v. 4.* de cœde in Messiam DEI filium commissa doluerint *v. 10. 11. 12. 13. 14.* aggregatiqve ad Hierosolymam superiorem *v. 5.* conjunctis viribus *v. 6.* gentes Idololatricas invaserint & regnum Satanæ in iis destruxerint *v. 6.* contra Ecclesias CHRISTI ubiqve terrarum plantaverint *v. 7.* præsidio divino contra qvorumvis hostium assultus firmatas, *v. 8.* Hæc ita evenisse historia N. T. evidenter docet. Qvia autem Judæi relationi Apostolorum omnem fidem derogant, svavia sibi de instauranda Hierosolyma & iterum obsidenda, ac occupanda *Zach. XIV. 2.* fingunt somnia, commiseratione digniores, qvam refutatione.

2. *Verborum: Et respicient ad me qvem transfixerunt: sensum esse: Si accidat ut qvidam etiam de plebe infima in prælio transfi-*

gantur, mirati ad me respicient, ut Jos. VII. 8. 9. *cum triginta homines de toto Israele cecidissent,* את אשר *enim positum est pro* בעבור *quoniam ut* Ezech. XXXVI. 28.

Resp. 1. Locus hic apertissimum continet testimonium de duabus CHRISTI naturis. Legitur enim: *Respicient ad me Jehovam quem confoderunt* Ergo Jehova est confossus. Assumsit ergo humanam naturam in qva confodi posset. Hinc non mirum est qvod hunc tam evidentem locum coneris depravare, Rabbi. 2. Falsum est את אשר loco Ezech. significare *quoniam.* v. 28. extat: *Dabo Spiritum meum in corda vestra, & faciam* את אשר *UT ambuletis in statutis meis.* Hanc analogiæ fidei conformem sententiam tu invertis, meriti opinione fascinatus: *Quoniam ambulastis in statutis meis, dabo vobis Spiritum S.* Tanus scilicet instructi estis abs natura viribus, ut sine Spiritus S. gratia ambulare in statutis DEI possitis. 3. את nota accusativi est: conjunctum ergo cum אשר notat *quem:* referturqve ad præcedens אלי *me:* Sic est *respicient ad me, quam confoderunt.* Hæc est genuina loci sententia. Eadem constructio reperitur *Lev. XXII. 15.* qvem locum recte transferunt Amstælod. Und sie sollen nicht verschwächen das Heiligt את אשר das die Kinder Israel abscheiden zu GOTT. Hic in sensu relativo vertunt. Qvare ergo causalem sensum urgent *Zach. XII. 10.* Und sie werden zu mir sagen / daß die Völcker durch gestochen haben? Qvam insulsa versio hæc est? Annon דקרו *transfixerunt* accusativum postulat, cum qvo construatur tanqvam verbum transitivum? Qvæ ergo insania est accusativum, qvi expresse additur, convertere in particulam causalem? Vident Kimchi, Salomon, Abarbenel, si planum sensum seqvantur, Deitatem nimis clare hic perspici, cum itaqve Deitatem Messiæ hostili odio impugnent, hic locus tanqvam nimis sibi adversans, erat corrumpendus. 4. Scribit R. Salomon רבותינו דרשוהו על משיח בן יוסף שנהרג *Antiqvos locum hunc explicasse de Messia filio Josephi, qui occidendus.* Status exinanitionis qvem Messiæ attribuit Scriptura fabulam peperit de Messia Josephide. Verus Messias intelligitur, qvem Judæi crucifixerunt *Joh. XIX. 37.* Qvod hunc crucifixerint multi ex Judæis postea dolue-

doluerunt, ad prædicationem Apostolorum vere pœnitentes. *Act. II. 23. 23. 37. 38. 41. Cap. III. 15. Cap. IV. 4.*

Obj. 3. *Ad JESUM NAZARENUM minime referri potest Prophetia hæc, quia 1. ejus temporibus non fuerunt recollectæ tribus dispersæ, 2. Gentes non fuere conversæ, 3. Gogitæ non sunt cæsi, 4. non fuit pax in orbe universo 5. JESUS NAZARENUS non dominatus est in omnem orbem: nec 6. Jerusalem reædificata & juxta scripturam ampliata.*

Resp. 1. Verum est hæc cum adventu Messiæ conjungi. At de eo qværitur utrum sint corporali an spirituali modo implenda. Illud Judæi, hoc Christiani affirmant. Habent autem firmissimum suæ assertionis fundamentum ex conditione Ecclesiæ & piorum, qvibus usq; ad diem novissimum parata crux est & militia cum impio mundo. Hinc ergo 1. non est piis promissa tranqvillitas & pax externa, sed promissiones de pace debent intelligi de pace conscientiæ & amicitia cum DEO reconciliato, item cum plurimis Gentibus post conversionem in Ecclesiam receptis. Hinc qvia manet crux & inimicitiæ cum mundo, CRISTI regnum non politicum est sed spirituale, regens animas & conservans eas etiam inter gravissima externa pericula, imo ipsa cruce ad fidei conservationem utens. Qvia g. 3. CHRISTUS non politicus sed spiritualis est Israëlis Rex, reductio Israëlitarum non erit externa, sed interna, notabitq; ipsius conversionem & reductionem in Ecclesiam. Unde 4. cadit & Hierosolymorum externa reædificatio & 5. Gogitarum, qvi Hierosolymam oppugnaturi, externa cædes. Elucet 6. gentium conversio, qvæ CHRISTI tanqvam spiritualis Regis doctrinam ubivis terrarum amplexæ. 2. Judæi dum promissiones Prophetarum de regno CHRISTI modo corporeo exponunt, nihil aliud agunt qvam ut ostendant sese esse qvam stultissimos. Sic non satis habent externam Solymorum reædificationem tradere, sed docent etiam eam ex parte septentionali ad Damascum, ex parte occidentali ad Joppen usqve extentum iri. Prius docent ex hoc loco, cum legitur v. 1. *Damascus erit requies ejus* עתודה ירושלים להיות מנעת ער דמשק שב ודמשק מנוחתו ואין מנוחתו אלא ורושלים שב זאות מנוחתי ערו ער

Future

Futuro tempore Jerusalem pertinget Damascum usque, ut dicitur v. 1. Damascum erit requies ejus. Requies nihil est aliud quam Jerusalem Psalm. CXXXII. vers. 14. Hæc est requies mea perpetua Jalk. Th. in h. l. Similiter in Nezach Israël scribunt *Cap. XLVI.* עתידה ירושלים שתגבהה שלושה פרסאות למעלה *Futurum est ut Jerusalaim tria millaria in altum elevetur.* Ac ne putes parum serio hoc ab ipsis dici, explicant ibidem qvod altitudo illa Israëlitis eo tempore non sit molesta futura, siqvidem tempore Messiæ ab ipsis sit aufferenda יצה"ר *prava concupiscentia*, ut etsi maneant materiales, tamen fiant leviſſimi inter columbarum.

Periocha XIV. 5.

EXaggerat contemtum longaminitatis divinæ. DEUM longanimitatem suam exserebat I. Prædicando intra Ecclesiam. Not. 1. Invitationem ad vitæ sanctimoniam tum exemplo suo suorumqve Prophetarum: JEHOVA JUSTUS IN MEDIO EJUS, NON FACIT INIQVITATEM, tum viva docentium voce: QVOTIDIE JUDICIUM SUUM IN LUCEM PROFERT, NON DEFICIT. Eventum invitationis inoptatum, qvi est impœnitentia, TAMEN NESCIT INIQVUS, PUDOREM.

Sensus Abarbenelis.

5. *DEUS justus est in omnibus viis suis: proinde non potest tolerare opera prava: Ut itaqve Israëlem ad resipiscentiam revocet, singulis diebus ipsis manifestat judicia, cum in gentes Idololatricas tum in Israëlem ipsum, dum ipsi finalem interitum denunciat. Nihilominus ille non resipiscit.*

NOTÆ.

2.

HÆc cum de Messia tum de typis ejus Prophetis intelligenda, qvi erant Zephaniæ tempore, ita tamen ut qvædam tantum Messiæ,

Messiæ, qvædam utrisqve conveniant. Jehovæ, justi, ἀναμαρτήτε nomen solius Messiæ est. *Singulis diebus judicium suum edit in lucem non deficit.* In Hebræo est: *singulis mane.* Hoc autem idem est qvod *qvotidie;* synecdochice enim בוקר ponitur pro toto die, uti apud Germanos vocabulum Morgen. Phrasis *judicium in lucem edere* de Messia adhibetur *Es. XLII. 1. Conf. v. 2. 4.* Judicii nomine tota salvandi ratio continetur. Hoc divinum judicium forensi simile est. Est hic Reus, qvi Homo, qvi perfectissimum debebat DEO obseqvium, nulli homini possibile. Est Accusator Moses, qvi perfectissimam abœdientiam postulat, & non præstantibus denunciat tam temporalem qvam æternam pœnam. Est Mediator, qvi obœdientiam suam tam activam qvam passivam omnibus exhibet. Est Judex absolvens eos, qvi agnitis peccatis pœnitentiam agunt, in Mediatore fiduciam ponunt; damnans eos, qvi in peccatis persistunt, & Messiæ meritum spernunt, secundum illam tritissimam Scripturæ normam: Qvi credit salvabitur: qvi non credit, damnabitur. Hoc judicium naturæ ductu pervestigari haut potest, unde in lucem edi dicitur. In solo ergo DEI populo manifestatum erat. Prophetæ illud proponebant intypis, Messias extra typos. Ad utrosqve respicit noster. Hujus prædicationis finis erat pœnitentia, qvæ sub voce בושת synecdochice innuitur.

2. Abarbenelis glossa in hunc versum talis est: שהוא ה׳ אדון כל הארץ הוא צדיק בכל דרכיו ולכן בקרבה לא ועשה עולה לסבול המעשים הרעים הנעשים בה והוא בכל בקר ובקר משפטו יתן לאור כל שיראה להם השם משפטו בכל יום בגויים שלא ועבדוהו ושהמה משחיתים את דרכם והוא על דרך מה שאמר המשורר לבקרים אצמית כל רשעי ארץ להכרית מעיר ה׳ כל פעלי און *DEUS qui Dominus omnis terræ est, justus est in omnibus suis viis, ac proinde in medio Hierosolymæ non facit iniquitatem tolerando opera mala qvæ in ea fiunt, ipse qvoqve singulis diebus judicium suum in lucem edit, qvasi dicat: Ostendit DEUS ipsis judicium suum qvotidie in gentibus, eo qvod DEUM non*

colunt sed suas vias corrumpunt juxta illud Psalm. CI. 8. *Singulis diebus exscindo omnes impios terræ.* Hunc versum porro versu subseqventi uberius exponi ait ולפי שאמר כל זה ברך סתום וקצר ביארו עוד באמרו הכרתי גוים *qvia autem hoc abscurius & brevius proposuit, exponit idem clarius* v. 6. *cum ait: Exscidi gentes.* Male hic, Abarbenel idem significare putat *non facere iniqvitatem, & non tolerare iniqvitatem*, cum iniqvitatem tolerare non sit iniqvitatis sed longanimitatis argumentum. Præterea experientia docet DEUM satis diu toleravisse gravissima Judæorum scelera, idqve eo consilio, ut hoc pacto ad pœnitentiam provocaret infideles. 2. Judicium minus recte hic restringitur ad gentes idololatras, de qvibus *v. 6.* qvia illæ non fuere omnibus diebus excisæ: Ipse qvoqve postea ab hac sua sententia resilit, sui immemor *Conf. per. XVI. §. 2.* Porro 3. impertinenter allegatur dictum *Psalmi CI.* qvia illud non de gentibus externis, sed de infidelibus qvi erant in populo Judaico, qvi sese membra Ecclesiæ Judaicæ jactabant, agere certum est.

Usus ex versu 5.

Judicium qvod Messias profert est, non posse hominum salvari nisi cruento suo merito nitatur. Habet hoc testimonium in Zacharia Cap. XIII. 7. *Gladie evigila contra Pastorem meum.* Genuinum Messiæ χριστήριον, cœdes: qvæ cum JESU NAZARENO acciderit, Messiam verum ipsum esse haut dubitandum. De Messia locus explicatur *Matth. XXVI. 13.* Pastor percussus CHRISTUS est patiens & moriens: Grex dispersus sunt discipuli scandalum ex morte CHRISTI capientes: Parvi, qvi manu DEI reducuntur, sunt discipuli è lapsu & scandalo ad fidem revocati. Objicit Abramides *Cap. XXXVII.*

Per Pastorem DEI non intelligitur CHRISTUS, sed Turcorum Imperator, cui DEUS pascendum dedit gregem suum, qvi vir DEO proximus dicitur non vere, sed sua opinione: Per oves non intelliguntur discipuli CHRISTI, sed moderni Judæi sub Turcarum imperio exulantes: Hi dispergendi dicuntur qvia uti dispersi sunt per plures Turcarum provincias, ita non uno agmine sed dispersi & dissipati per diversas vias

sas vias in terram Canaan remigrabunt. Per Parvos non intelliguntur CHRISTI discipuli sed Principes Christianorum, quos manu sua DEUS profligabit.

Resp. Insigne detorsionis exemplum. 1. Si Turca Pastor est Judæorum, aut bene ipsos pascit, aut male. Si bene, qvid eum ob pascendi operam cœde dignum judicas? Si enim officium boni pastoris implet, nullam meretur pœnam. Si male, qvid ipsum Pastorem vocas? Pastoris est gregem pascere & ab injuriis ferarum defendere. Sic boni imperatoris est, subditos honestis legibus regere, & malorum civium injurias ab ipsis propulsare. Si g. Turca Pastor Judæorum est, bene regit & defendit Judæos. Si non defendit ab injuriis, si ipse injurias infert, non pastor dicendus, sed latro. *Conf. Ez. XXXIV. seq.* 2. עמיתי notat *proximum*, ὁμοούσιον *Lev. XIIX 20. XIX. 15. 16.* Ergo עמית יהוה erit DEO ὁμοούσιος. Probandum Tibi est qvod Turcorum Imperator se unqvam Θεῷ ὁμοούσιον jactitarit. Si conditionis paritatem intelligis, ut videris, ob allegatum *Gen. III. 5. 22.* ea ὁμοούσιαν supponit. Negata g. naturæ paritate, negatur & cond itionis paritas. Si nihilominus conditionem divinam sibi adscribere Turcam existimas, explica in qva divinam sibi sumserit potestatem? Conscientiis imperare est arcem cœli invadere. Proba Turcorum Principem unqvam imperium in conscientias sibi rapuisse. Imo ille religionis libertatem cuivis populo permittit. Si talem potestatem sibi tribueret Judæos non pateretur in regno suo, nisi desinerent esse Judæi & fierent Muhammedani. Non g. Turca est DEO proximus, neqve vere neqve sua persvasione. 3. Bonum intelligi pastorem inde manifestum, qvia ejus remotionem comitatur ovium dispersio. Hoc sibi obstare videntes voci תפוצינה contrarium implantat significationem, volunt significari non, *dispergi è sua terra*, sed, *dispersum reverti in patriam.* At ea inaudita est in Scriptura, imprimis in locis ubi agitur de re pastoritia *Ez. XXXIV. 8. seq. Joh. X. 19.* in qvibus dispersio tanqvam effectus hostium latronum, leonum luporum exhibetur. 4. Si per צעירים Principes Christianorum intelligunt, danda ratio, qvare dicantur Parvi. Absolute non sunt parvi. Si comparate, ad qvemnam alium hostem majorem com-

parantur? Ad Turcamne? At illius nulla est in textu mentio, ut ostensum. Commodius ego hujus prædicati qværendum est subjectum, qvod aliud esse non potest qvam proxime præcedens *grex*. Hic parvulus vel afflictus dicitur ab dispensionem. Atq; adeo יען hic non est vertendum *contra*, sed *supra*: Reducet DEUS manum suam super parvum gregem dispersorum i. e. revocabit scandalo passionis fractos ad fidem & animi æqvitatem. Apparet ex his Turcam Subjectum textus esse minime posse, utpote cui neq; Pastorem piorum neqve DEO ὁμοούσιον esse competit. Aut ergo Judæi ostendant melius & commodius subjectum, aut acqviescant in Subjecto qvod S. Matthæus exhibet *Cap. XXVI. 13.* JESU NAZARENO, qvi Pastor verus idem est, idem qvoq; DEO ὁμοούσιος *Joh. X. 14. 30.*

Periocha XV. 6. 7.

PErgit axaggerare longanimitatem DEI in Judæos, qvam exseruit II. Prædicando extra Ecclesiam. Nota 1. Proposita excidiorum exempla: EXCIDI GENTES, DESOLATÆ SUNT ARCES EARUM, DESTRUXI PLATEAS EARUM, UT NON SIT QVI TRANSEAT, DESOLATÆ SUNT URBES EARUM, UT SINT ABSQVE HOMINIBUS, ABSQVE HABITATORIBUS. 2. DEI per hæc exempla ad pœnitentiam invitationem. DIXI, TAMEN TIMEBIS ME, SUSCIPIES DISCIPLINAM, NON EXSCINDETUR HABITACULUM EJUS, AUT QVIDQVID CONSTITUI SUPER EA. 3. Invitationis infelicem fructum. VERUNTAMEN MANE SURREXERUNT, CORRUPERUNT OMNIA OPERA SUA.

Sensus Abarbenelis.

Vers. 6. Proposuit ipsis in exemplum iræ excidia plurimarum gentium v. 7. ut ita postqvam iis admoniti pœnitentiam egissent, salvum

salvum conservarem ipsis templum, omniaqve alia ipsis exhiberem bona qvæ obœdientibus promiseram. At illi his exemplis nihil moti antiqvum hactenus obtinuerunt.

NOTÆ.

1.

JAm qvoqve Propheta in exemplum adducit excidium gentium exterarum, qvæ excisæ esse dicuntur, cum vastatæ sunt ipsarum urbes ac Respublicæ. Excisas autem necesse est fuisse propter eadem peccata, qvæ hic in Judæis damnantur nempe infidelitatem & injuriam in Ecclesiam, qvæ in populo Judaico fovebatur. Qvænam illæ sint gentes non dicitur; omnes autem ex intelligendæ sunt, qvæ seculo Zephaniæ, vel ante ejus qvoqve tempora fuere excisæ, e. gr. Sodomitæ, Cananæi, Scythæ, Ninivitæ, Israëlitæ, &c. & sub harum imagine omnes illi populi, qvorum excidium Judæos poterat ad pœnitentiam commonere. Ut enim sub figura Judæorum tempore Zephaniæ viventium omnibus reliqvis populi Judaici ætatibus prædicabatur, ita qvoqꝫ sub figura gentium excisarum, omnia reliqva gentium excidia populo Judaico exhibentur tanqvam causæ impulsivæ ad agendam pœnitentiam. Nec vero tantum externum excidium proponitur, sed & æterna damnatio includitur, qvia infidelitas non tantum temporalem, sed æternam qvoqꝫ pœnam commeruit, qvæ hic incipit per indurationem & excœcationem.

2. Hoc proposito exemplo Judæi ad pœnitentiam invitabantur. Pœnitentibus promittitur Reipublicæ ac urbis integritas, ac sub hac externa felicitate interna salus. *Non exscindetur habitaculum ejus.* Abarbenel intelligit Templum. Qvid opus est restringere ad solum templum? Omnes intelliguntur urbes, qvas populus Judaicus habitabat, imprimis Hierosolyma metropolis. Hujus excidium, qvod simul includit æternam populi abjectionem, cum conditione negatæ pœnitentiæ denunciabatur, ceu patet ex collatione *Mich. III. 10.* cum *Jer. XXVI. 18.* Qvæ sequvuntur כל אשר פקדתי עליהם אכן השכימו וגו׳ duas potissimum admittunt expositiones. Drusius ita exponit: *Qvanto magis animadvertebam in eam, tanto magis illi maturarunt, &c.* אכן pro כן poni putans.

Hanc expositionem alteri præferrem nisi me tria moverent; 1. Usus voculæ אכן ex אך & כן qvæ non habet similitudinis significatum. 2. Accentus athnach, qvæ πρότασιν ita divellit ab ἀποδόσει, ut magis eam cum superiori membro combinet. 3. Defectus locorum parallelorum, nam qvæ ex *Hoseæ Cap. IV. 7.* & *Cap. XI. 2.* adducit, haut qvadrant. Hanc tamen & Tremellius videtur seqvi. Altera est Raschii & Abarbenelis, qvorum hic ita textum παραφράζει ולא יכדת גם כן כל הטוב אשר פקדתי וצוויתי לבא עליה שרמז בזה על השכינה והנבואה שהיתה חלה באנשי בית שני אם הם היו מטובים דרכיה *neqve exscindetur omne illud bonum qvod constitui & præcepi venire super eam: Respicitur ad gloriosam DEI præsentiam & Prophetiæ donum, qvæ bona Judæis post-Babyloniis mansissent, nisi ipsi corruptis moribus sese deturpassent.* Hanc priori præferendam esse puto ob causas allatas.

3. Gentes excisæ sunt propter infidelitatem, propter qvam & Judæi exscindendi erant. Ergo & gentibus aditus ad revelatam veritatem patuit. Confirmant hoc Judæi אר״ל על ה׳ מסיני בא וזרח משעיר למו וגו׳ שחזר על כל האומות שיקבלו את התורה ולא רצו לקבלה *Scribunt Rabbini nostri f. m. ad verba: Jehova ex Sinai venit & exortus est ex Seir nobis, &c. qvod ad omnes gentes se contulerit eo consilio ut Legem reciperent. At non voluerunt eam recipere*, allegante Abarbenele in Maschm. Jesch. *fol. 3. col. 4.* Pertinet huc qvod legitur in Rabbot *fol. 145. col. 2.* א ר׳ אבהו בשם ר׳ יוחנן כשנתן הקבה את התורה צפור לא צווח עוף לא פרח שור לא געה אופנים לא עפו שרפים לא אמרו קדוש הים לא נזדעיע הבריות לא דברו אלא העולם שותק ומחריש ויצא הקול אנוכי ה׳ אלהיך כו׳ כדי שידעו הבריות שאין חוץ ממנו *Dixit Rabbi Abhu nomine Rabbi Juchanan. Cum DEUS daret legem, nec passer garriit, nec avis volavit, nec bos mugiit, nec rotæ volarunt, nec Seraphini dixerunt Sanctus, nec mare commotum est, nec humana gens locuta est, sed totus orbis universalis silento fuit obrutus. Atqve tunc prodiit vox*

EGO

EGO JEHOVA DEUS TUUS, &c. nimirum propterea ut totum genus humanum cognosceret nullum esse DEUM præter Jehovam. Præter hoc mirabile silentium, aliud qvoqve miraculum contigisse ajunt: nempe unamqvamqve gentem in sua vernacula intellexisse DEUM loqventem, ne qvam προφασιν haberet mundus ארי וחנן הוה הקול יוצא ונחלק לע קולות לע לשון כרי שישמעו כל האמות וכל אומה ואומה שומעת קול בלשון האומה ונפשותן יוצאות אבל ישראל הוו שומעין ולא הוו נזוקין *Dixit Rabbi Juchanan. Exiit vox & divisa est in LXX. voces* (tot enim gentes supponunt fuisse) *in XXX. linguas, ut omnes gentes audirent, & unaqvaqve natio intelligeret eam, in sua vernacula. Sunt autem gentes hac voce mortuæ, cum interea Israëli nihil mali accideret* Rabb. *fol. 123. col. 2.* In Jalkut ched. *pag. 170. col. 2.* clarius paulo exponitur qvid notet illa vocis in LXX. voces divisio אמרו חזל שהיו ישראל מצויין לכתוב תורה ער האבנים בע לשון *Dixerunt Rabbini f. m. qvod Israëlitæ jussi fuerint inscribere Legem lapidibus LXX. linguis.* Sic & fama fissi maris ad omnes gentes penetravit Bechai *fol. 88. col. 1.* ad verba *Exod. XV. 14.* Audierunt populi omnes והכוונה באומרו שמעו עמים ורגזון כל כאומרו האלו וכל מה שאחריהם שהם כוללים כל הישוב לד רוחות העולם נזרעזו בקריעת ים סוף ונתפרסם לכל הפלא הגדול הזאת *Sensus est, eum dicit: Audierunt populi, consternatæ sunt omnes nationes: qvod omnes gentes qvas qvidem terrarum orbis continet in qvatuor mundi plagis consternatæ fuerint fissi maris fama, qvodqve tam insigne miraculum innotuerit omnibus hominibus.* Scopus ergo erat tum datæ Scripturæ, tum patratorum miraculorum, ut ab omnibus gentibus JEHOVA cognosceretur, qvi unus verus DEUS.

4. Si pœnitentiam egisset populus Judaicus, non excisa fuisset Hierosolyma. Qvia ergo jam per XVII. secula excisa jacuit Hierosolyma, apparet Judæos nunqvam hactenus pœnitentiam egisse. Idem confirmat modernorum Judæorum superstitio, adventum Messiæ, reditumqve suum in avitam terram à pœnitentia & bonis operibus suspendentium. Ob qvam vero causam Solyma excisa

excisa est à Tito Vespasiano, ob eandem qvoqve tempore Michææ excisa fuisset, nisi pœnitentiam egissent incolæ, *Mich. III. 10. Jer. XXVI. 18.* Jam vero ob contemtum dogmatis Messiani excisa est *Luc. XIX. 42. 43. 44.* Ergo. Hinc autem sequitur pœnitentiam, qvæ inde usqve ad tempora Titi Vespasiani inhibuit plenarium Reipublicæ excidium, fidem in Messiam includere, ac proinde idem fuisse fidei ob ectum tempore Michæ, qvod hodie est. Si Judæis propter infidelitatem aut contemptum doctrinæ Messianæ omnibus seculis denunciatum fuit perpetuum exitium tam corporale, qvam æternum, maledictam esse oportet Judæorum doctrinam, contra vero Christianorum fidem unice esse veram & à DEO profectam. Soli enim Christiani Messiam, qvem Judæi crucifixerunt, recipiunt.

Usus ex versu 6.

Olim verus DEI cultus unice erat ad templum Hierosolymitanum restrictus. Qvia autem hodie Hierosolyma cum templo ad exemplum urbium Gentilium propter infidelitatem ac impœnitentiam funditus est eversa, aut plane cessat cultus DEI, aut ille pro vero DEI cultu agnoscendus est, qvi ubivis terrarum DEO à Christianis offertur in CHRISTI nomine, qvem sacrificia præfigurarunt; Prouti hoc Malachias prædixit, *Cap. I. 10. In omni loco offeretur nomini meo accepium munus, &c.* Objicit R. Isaac ben Abraham *Cap. XXXVIII. Mun. fid.*

1. *Loqvitur Propheta de cultu sui temporis: Jam vero tempore Malachiæ nondum erat in orbem invecta Christiana religio. E. non loqvitur de Christiana religione.*

R. 1. In textu Participium est מוקטר qvod non semper de præsenti exponendum esse, sed & de futuro, docet simile exemplum *Mal. III 1.* הנני שולח qvod de futuro exponunt qvicunqve per Angelum mittendum Messiam cum Abenesra intelligunt. Ut ergo hic שולח *mittsurus sum* notat, ita ibi מוקטר *adolendum* reddi debet. 2. Futuri temporis significatum extorqvet cultus conditio. Sacrificium de qvo Malachias loqvitur, gratum & acceptum erat DEO. Atqvi qvæ Gentiles Malachiæ tempore in orbe terrarum DEO offerebant, non erant DEO grata, E. illa intelligi non possunt.

Obj. 2.

Obj. 2. *Cum textus dicit: Munus gentium DEO gratum est, non ita intelligendum quod revera DEO sit gratum, sed quod tantummodo ex Gentium opinione DEO sit gratum. Erant enim gentes idololatræ.*

R. 1. Hoc χρησφύγελον facile rejicit accuratior textus inspectio. Dicitur 1. Nomen DEI magnum fore in gentibus. Nomen DEI est ipse DEUS verus, unus & Trinus. Is magnus erit & honoratus in gentibus. E. etiam ab ipsis agnoscetur. Si verus DEUS agnoscetur & coletur à gentibus, non jam amplius gentes erunt idololatræ. Si ergo verum DEUM colunt, vero DEO qvoqve erunt acceptæ. Suos enim DEUS amat. 2. Munus purum offeretur nomini DEI à gentibus. Per munus purum intelligunt Judæi preces. Hæ autem impuræ sunt ac profanæ, nisi proficiscantur ex animo cum DEO reconciliato. Reconciliatio cum DEO non nisi Messiæ ope fit. *Esa. LIII. 4. seq.* Si ergo preces a gentibus cum DEO reconciliatis funduntur, vere erunt DEO gratæ, & non κατὰ δόκησιν. 3. De Sacerdotibus Judæorum dicitur *vers. 12. Vos autem profanatis nomen meum.* Ut ergo Sacerdotes Judaici vere profanabant nomen DEI, ita è contrario Gentiles nomen DEI vere erunt culturi. Est enim manifesta hic oppositio inter Sacerdotum Judaicorum & Gentilium cultum.

Obj. 3. *Imo ne dicitur qvidem: Munus Gentium DEO gratum est, qvod de Israële* Cap. III. 4. *adhibetur: sed tantum: offerun DEO munus purum. Sua ergo tantum opinione DEO placent, non vere.*

Resp. 1. Frustra rem obscurare nititur Rabb. perversitas. Dicit DEUS: *Gentes offerent nomini meo purum munus.* Ipse ergo Israëlis DEUS agnoscit sacrificium gentium pro puro, qvi in suo judicio minime falli potest. Si ergo vere purum est, vere qvoqve ipsi placet. Non enim dicit: *Offerunt Idolis purum munus*, sed *offerunt mihi.* Certe dum dicuntur DEO Israëlis offerre munus purum, non possunt pro idololatris haberi. Neqve enim in & sub idolis DEUM Israëlis colere intenderunt, utpote qvem ignorabant, cujus verbum & Ecclesiam odiose impugnabant Gentes. 2. Idem infert oppositio. *Vers. 10.* de Judæis dixerat: *Non placet mihi munus vestrum. Vers. 11.* de gentibus dicit: *Afferent munus*

purum mihi. Ut ergo illi non placent munera impura offerentes, ita hi grati erunt munera pura offerentes.

Obj. 4. *Sensus dicti spectandus est ex loco parallelo*, Ps. CXIII, 3. *Ab ortu Solis usque ad occasum laudatur nomen Domini, &c.* id est, *Quamvis gentes extollant nomen DEI, eo quod est causa prima, tamen perversam tenent religionem: sunt enim Idololatræ*, Psalm. CXV. 4. CXXXV. 15.

R. 1. Rectissime confertur hic locus prorsus parallelus. Subjectum autem totius Psalmi est Jehova DEUS Israëlis, qvi se *vers. 5.* opponit omnibus Gentium idolis consveta Scripturæ oratione: *Qvis est sicut JEHOVA DEUS noster?* Si ergo Gentiles hunc colunt in omnibus terrarum locis tanqvam primam omnium rerum causam, non jam erunt Idololatræ: Si DEUM Israëlis habent pro creatore omnium, verbum ejus in Israële revelatum qvoqve amplectentur. Si hoc amplectuntur, non hostes Israëlis, sed socii. Unde 2. patet Psalmum non loqvi de qvibusvis temporibus, non de temporibus Davidis, qvibus adhuc jacebant Gentes profunda ignorantia tectæ, sed temporibus Messiæ, prout etiam versus ultimus infert: *Qvi habitare facit sterilem in domo.* Per sterilem autem intelligitur Ecclesia Judaica, qvæ sub Messiæ tempora sterilis erat, Spiritu Messiæ fœcundanda. Ita Raschi & Chaldæus de Sione sterili exponunt. Jalk. Thorah in h. l. עקרת הבית זו ציון שנ׳ רני עקרה לא ילדה אם הבנים שמחה ואמרת בלבבך מי ילד לי את אלה: *Per Sterilem innuitur Sion sterilis, de qva Esaias* Cap. LIV. 1. *Exulta sterilis qvæ non peperisti. Eadem per matrem filiorum lætantem innuitur. Ita enim de Sione scribitur* Esa. XLIX. 21. *Qvis genuit mihi omnes hos?* Probant loca allegata Psalmum de temporibus Messiæ agere. Si ergo Psalmi locus est loco Malachiæ parallelus, ut vere est, aget locus Malachiæ de Messiæ temporibus.

Usus ex versu 7.

Messiam venire oportuit salva adhuc Hierosolyma ac templo. Jam vero Hierosolyma una cum templo jam est eversa, qvod hoc versu futurum prænunciatur. E. Messias jam venit. Si Messias jam

jam est exhibitus, necesse est & præcursorem ejus Eliam jam fuisse exhibitum, uti promissum *Mal. III. 1.* & ut JESUS NAZARENUS verus est Messias, ita Johannes erit Elias *πνεύματι καὶ δυνάμει Luc. I. 17. Matth. XI. 14. Cap. XVII. 10. 11. 12.* Frustra ergo Judæi adhuc operiuntur Eliæ adventum. Ad hanc objectionem ita respondet Abramides *Cap. XXXIX.*

1. *In Malachia extat: Ecce ergo mittam vobis Eliam Prophetam. Promittit ergo Eliam non κατὰ πνεῦμα καὶ δυναμιν, sed κατ' ὀσίαν. Si parem Eliæ intellexisset, dixisset: Ecce ego mittam vobis virum qualis erat Elias Propheta: aut: Ecce ego mittam vobis Johannem.*

Itane igotum Tibi est, Rabbi, nomen proprium unias qvandoqve alteri imponi propter similitudinem vel typum? Annon eum loqvendi modum reperis in iis locis, ubi Messias vocatur David, Salomo, Serubabel? Hic par Davidi, par Salomoni intelligitur, qvod fatentut gentis tuæ interpretes. Ji ergo non censuerunt *Ezech. XXXIV. 23.* pro: *Excitabo ipsis Pastorem Davidem servum meum:* scribi debuisse: *Excitabo ipsis Pastorem qvi sit par Davidi servo meo.* Sic 2. Reg IX. 31. Jesebel Jehu vocat Simri, dicens: *Num pax, o Simri, occisor Domini sui.* Hic per Simri Jehu intelligi apparet, sine additione particulæ comparativæ. Kimchi ad h.l. לפי שהרג זמרי את אלהי בן בעשא אדוניו ויהוא הרג גם כן אדוניו לפיכך קראו אותו כן *Qvia Simri occidit Elam filium Baesæ Dominum suum, & Jehu similiter Dominum suum interfecit, propterea vocarunt ipsum Simri.* Qvam vanum ergo effugium tuum est, qvasi locus Malachiæ de eo qvi par sit Eliæ sine addita comparatione intelligi non possit? Non deest tacita comparatio, dum additur, *qvi convertat corda filiorum una cum Parentibus &c.* Comparatio ergo instituitur in conversionis negotio. Illustrandæ rei gratia adscribam verba Lichtfooti in Cap. I. Luc. v. 17. *Bis tantum*, inqvit, *si non fallor, est mentio de Elia Propheta, hoc est istis terminis in sacro codice, videlicet loco Malachiæ citato & 2. Par. XXI. 12. ἀτὰρ utrobiq́ (pariter si non fallor) non intelligitur Tisbites in persona sua, sed alivis in spiritu & Zelo Tisbitæ. Verba Malachiæ sic sumenda docent Gabriel & Salvator: atqve optime etiam sic sumi possunt verba loco Paralip. allegato Nobilissimus ille Propheta, qvi*

vixit in diebus Achabi, Tisbites vocatur per totam ejus historiam, Propheta nunqvam. Ut nec Luc. IV. 25. *ubi tamen Elisæus vocatur Propheta, nec* Jac. V. 15. *Nam ipsissima vox* תשבי *Tischbi, epitheton ejus, satis eloqvitur dignitatem ejus Propheticam, dum idem sonat, qvod CONVERSOR. A qvonam enim etymo vocem istam melius deduxeris? Qvo etiam alludi videtur à Malachia, Ecce mitte vobis Eliam Prophetam* והשיב *& CONVERTET etiam ille &c.*

2. *Qvid opus erat, si Johannes intelligitur, ipsi addi nomen Prophetæ?*

Resp. Propheta non semper talem notat, qvi futura prædicit, einen Vorsager / ut reddit versio Judæorum *Mal. IV. 5.* sed qvi populum docet, docendoqve convertit. Sic *Num. XI. 29. Utinam totus populus essent prophetæ* 1. Sam. X. 5. *Qvid Saul inter Prophetas?* Hic Chaldæus intelligit סיעת ספריא נחתין מבית אסחרותא *cœtum Scribarum descendentium domo consessus.* In eodem sensu nomen Prophetæ capitur, cum Johanni datur.

3. *Negat Johannes se esse Eliam, Jesus ait Johannem esse Eliam. Negat ille se esse Prophetam, JESUS affirmat ipsum esse Prophetam* Joh. I. 21. Matth. XI. 9. *Cum ergo sibi aperte contradicant, necesse est alterutrum falsa dixisse.*

Resp. 1. Apparentem contradictionem facile tollere posses Rabbi, nisi te tua excœcarent præjudicia. Majores tui qværebant de Elia, qvi dono patrandi miracula esset instructus, cujus ope uti possent ad abigendos aut interficiendos Romanos. At talem se esse negat Johannes. Interim JESUS asserit eum esse Eliam, nempe ratione doni prophetici, qvi convertat Judæos. Non erat Johannes talis Propheta qvalem Sacerdotes eum deputabant esse, qvi Messiæ adventum adhuc futurum prænunciaret, accuratiusqve patefaceret qva parente esset nasciturus, ut sese ad ipsum excipiendum mature præparare possunt. At JESUS affirmat eum esse Prophetam i. e. Doctorem talem qvi præsentem monstraret Messiam. Hæc si bene notaveris, videbis facile exspirare contradictionem.

4. *Interrogant JESUM discipuli dicentes: Qvid est hoc qvod Sapientes dicunt, oportere ut Elias primum veniat? Jesus resp. ac dixit: Sane necesse est primum venire Eliam & restituere omnia: At ego*

dico

dico vobis venisse pridem Eliam neque fuisse cognitum &c. Tunc intellexerunt discipuli eum de Johanne Baptista loqvi. Matth. XVII. 10. 11. 12. 13. *Prius dicebat, Necesse est venire Eliam: Post: venit pridem Elias. Unde apparet JESUM sibi non constitisse.*

Resp. 1. Viderant discipuli JESU Eliam κατ' ὀσίαν in monte. Hinc ita secum ratiocinabantur: Nos JESUM pro vero Messia agnoscimus: At eum Elias, qvem in monte vidimus, non præcucurrit aut annunciavit. Qvo ergo sensu accipiendum est effatum Sapientum, לפני ביאת בן דור יבא אליהו לבשר *qvod Eliam venire oporteat ante Messiam, ad evangelizandum de eo?* Eliam oportet præcurrere Messiam, qvod docent Sapientes. Elias non præcurrit Messiam: Ergo aut JESUS non est Messias, aut falsum est Sapientum effatum. JESUS respondet: Verum est qvod docent Sapientes de Eliæ adventu. Nam ea doctrina fundatur in *Mal. IV. 5.* At vos non recte accipitis Sapientum dictum. Non enim loqvitur de Elia κατ' ὀσίαν sed de Elia κατὰ χάριν. Atqve hic est Johannes Baptista. Moderni Judæi omnes Malachiæ dictum de Elia κατ' ὀσίαν reversuro intelligunt. At an veteres Judæi qvi Johannis erant σύγχρονοι de Elia Tisbite intellexerint, haut sine ratione dubites. Expediverant illi legationem ad Johannem, scischitantes num esset Elias. Annon insanivissent, si de Elia κατ' ὀσίαν hic cogitassent, cum Eliam vivum in cœlum translatum esse nossent, Johannis autem familiam, utpote qvi de genere Sacerdotali erat, non ignorarent? Nunqvam certe Johannem rogassent an esset Elias, nisi suppossuissent eum certo modo Eliam esse posse. At Elias κατ' ὀσίαν esse non poterat, cum esset Zachariæ & Elisabetæ filius. Ergo suppossuerunt eum esse Eliam ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει. At, inqvis, si talem eum esse suppossuerunt, qvare Johannes talem se Eliam esse negavit? Resp. Duplex donum Eliam faciebat spectabilem, donum miraculorum, & donum Zeli. Ordo Sacerdotum judicabat Johannem alterum esse Eliam imprimis ratione doni miraculorum; atqve adeo magnam sibi opem adversus hostes suos externos à Johanne pollicebantur, persvasi eum more Eliæ ignem de cœlo in hostes suos posse dejicere, ita se Johannis ministerio nullo negotio victores Romanorum fore existimantes. At

in eo negabat Johannes sese Eliæ parem esse. Interim se Eliæ parem esse asserebat ratione Zeli pro puritate doctrinæ Si locus Malachiæ inspicitur primo intuitu apparet Eliam venire debuisse salvis adhuc templo ac Republica. Præcurrere enim debuit Messiam, Dominum templi, qvi in templum suum venturus erat *Cap. III. 1.* Salvis adhuc officiis & ordine Levitarum. Nam illos Messias reformaturus v. 3. Salva adhuc politia: Nam eam exciturum se minatur DEUS, nisi Eliæ concionibus, verum Messiam monstrantis, paruerint *Cap. IV. 5. 6.* His ita collatis & expensis apparet Eliam jamdudum venire oportuisse. Qvam ergo misere eluduntur Judæi dum Eliæ adhuc futurum præstolantur adventum! In actu circumcisionis præsentiam Eliæ invisibilem sibi promittunt, sellam ipsi sternunt, clara voce ac verbis expressis eum qvasi invitant, dicentes: זהוא כסא אליהן *Hæc est sella Eliæ:* una cum Susceptore ipsum ad actum circumcisionis accedere credunt: Dum enim Susceptori venienti acclamant ברוך הבא *Benedictus qvi venit!* simul his verbis invisibilem Eliæ adventum ac præsentiam confitentur, in voce הבא, qvæ cabbalistice est, הנה בא אליהו *Ecce venit Elias:* vide Buxtorf. in Syn. *Cap. IV.* ubi etiam *p. 96. 97.* hanc historiam narrat: *Factum est aliqvando ut opulentus qvidam Judæus filium Ratisbonæ vellet circumcidere & Rabbi Judam cui chasid pio cognomen erat, in susceptorem eligeret. Puero allato cum omnes assurgerent & acclamarent, Baruch habba, Benedictus qvi venit, Rabbi Juda tacuit nec assurrexit. Omnibus itaqve mirantibus & tam insolitæ rei causam ab illo cognoscere cupientibus, respondit: Eliam mihi assidentem videre non potui, unde fit ut nihil boni de puerulo hoc sperare possim. Ibi autem ad fenestram qvendam senem conspicio, promissa & canescente barba, illum interrogate & rem omnem vobis expediet. Hunc itaqve cum interrogassent, respondit ille: Ideo Elias circumcisioni non interest qvia prævidit qvod puer isti à fide judaica ad Christianam aliqvando deficiet.* Addit Autor eventum postea prædictioni non defuisse. Testatur Lichtfootus ad *v. 10. Cap. XVII. Matth.* innumeras apud Talmudicos occurrere historias de apparitionibus Eliæ, hancqve ἐπίνοιαν addit: *Historias istas omnes ego certe pro fabulis habere non possum, sed in qvamplurimis earum præstigias & spectra*

spectra non possum non suspicari. Nam callide sic elusum est à Diabolo genti huic, decipi volenti, atque obliterata est vel capacitas observandi adventum Messiæ jam præteriisse, cum hinc illinc, hoc illo seculo appareret prodromus ejus Elias ac si inde denotaret eum adhuc adventurum.

Apparet ex his qvantis Satanæ illusionibus sese propinent Judæi, qvi rebus desperatis eo delabuntur, ut Eliæ adventum in ultima mundi tempora rejiciant, docentes Eliam paulo ante diem judicii extremi venturum.

Ita Manasse ben Israël in Conciliat. *Lev. ad Cap. XXIII. 31. Prophetarum ultimus Malachias* Cap. III. 22. *his verbis vaticinia sua clausit: Recordamini Legis Mosis servi mei, cui præcepi in Chorebo ad totum Israëlem statuta & jura. Quo loco de judicio extremo agens svadet Israëlitis ut Legem Mosis observent, donec ille dies veniat: sed prius venturum Eliam, qvi corda Patrum in filios & filiorum in Patres convertat, ut omnes perfecto corde ad Dominum convertantur. Atqve hinc probatur Legem æternam esse.* Ex historia Evangelica apparet Judæos Eliæ adventum ante Messiam expectasse, qvem par erat venire post elapsos qvatuor mundi millenarios, juxta illud effatum in Sanhedr. c. Chel. ששת אלפים שנה הוי עלמא שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח *Sex millenariorum ætate definitur orbis: Bis mille annos eum occupabit inanitas: Bis mille annos durabit Lex: ad bis mille annos extendent se dies Messiæ.* Moderni Judæi Messiæ adventum paulo ante diem extremi judicii expectant. Hi ergo illis contradicunt, Utrisnam fides habenda? Modernisne? Itane consentaneum est modernos Judæos sapientiores dici antiqvis illis, qvi in terra avita degebant, templo, sacrificiis ac Republica adhuc salvis? Magna vero foret insolentia, imo evidens stupiditatis argumentum si moderni Judæi antiqvis Patribus suis sapientia ac doctrina priores se esse præpostere venditarent, cum haut ægre fateantur in se ipsis impleri verba Esaiæ *XXIX. 14. Periit sapientia Sapientum.* Enimvero qvem in finem expectant adventum Messiæ? Ut res in orbe præparet, homines ad excipiendum Messiam disponat, & mille dubia, qvæ nulli Sapientes solvere potuerunt, exponat. Ita enim vulgo

literas

literas nominis תשבי resolvunt & exponunt: תשבי יתרץ קושיות ובעיות *Tisbites solvet objectiones & quæstiones.* Qvod si Eliæ adventus paulo ante diem extremi judicii expectanda, cui obsecro usui erit illa rerum intricatarum, qvam Eliæ adscribunt, expositio? Aut an bis venturus Elias? Aut an Judæi illi antiqviores adventu Messiæ indigni? Si impietas & morum perversitas Eliæ adventum sufflaminat, qvid de modernis Judæis dicendum, qvos præsens exilii pœna obdurati pectoris manifestissime damnat. Imo si olim adventum Eliæ Judæorum impietas impedivit, qvid ejus adventum propterea promittit textus, ut impios reducat ad pœnitentiam? Aut annon satis terribilis fuit illa Domini dies qvam Johannes Baptista Judæis denunciavit, qvamq; Eliæ tempora secuturam impœnitentesq; oppressuram Malachias prædicit? Qvid qvæso terribilius accidere potuit Judæis, qvam Solymæ excidium, totiusqve Reipublicæ finalis ruina, qvam Johannes ipsis verbis satis ponderosis prænunciavit? Matth. III. 10. *Jam securis ad radicem arborum posita est: omnis arbor non ferens fructum bonum excidetur & in ignem abjicietur.* Aut an Johanni defuit Eliana autoritas? Legite qvid de Johanne judicet Josephus vester: *Apud Judæos,* inqvit, *fuit opinio, justa ultione Numinis deletum fuisse Herodis exercitum propter Johannem qvi Baptista cognominatus est. Hunc enim Tetrarcha necavit, virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum studia & imprimis pietatis ac justitiæ, simulqve ad baptismi lavacrum, qvod ita demum DEO gratum fore ajebat, si non ab uno tantum alterove peccato abstineant, sed animis per justitiam prius mundatis addant puritatem corporis. Qvumq; magni concursus ad eum fierent, plebe talis doctrinæ avida, Herodes veritus ne tanta hominis autoritas defectionem aliqvam pareret, qvod viderentur nihil non facturi ex ejus consilio, judicavit satius esse, priusqvam novi aliqvid exorieretur, illum tollere, qvam rebus turbatis seram pœnitentiam agere.* Tantam vero autoritatem Elias Tischbi non legitur habuisse.

Periocha

Periocha XVI. 8. 9. 10.

CONfirmat Pios in fide. Notetur 1. Piorum in fide confirmatio QVAPROPTER EXPECTATE ME, INQVIT JEHOVA, DIEM QVO SURGAM AD PRÆDAM. 2. Confirmandi ratio, qvæ triplex est: 1. Impœnitentium persecutorũ judicium: NAM DECREVI CONGREGARE GENTES ET COLLIGERE REGNA, AD EFFUNDENDUM SUPER EA INDIGNATIONEM MEAM, OMNEM IRAM FURORIS MEI: NAM IN IGNE ZELI MEI CONSUMETUR TOTA TERRA. 2. Pœnitentium persecutorum ad Ecclesiam accessio TUNC ENIM VERTAM AD POPULOS LABIUM CLARUM, UT INVOCENT OMNES NOMEN JEHOVÆ, SERVIANTQVE EI HUMERO UNO. 3. Judæorum à vera Ecclesia exulantium revocatio: TRANS FLUMINA ÆTHIOPIÆ SUPPLICES MEI FILIA DISPERSORUM MEORUM, AFFERENT MUNUS MEUM.

Sensus Abarbenelis.

Qvapropter ob continuatam vestram impœnitentiam ferenda vobis erit diuturna illa sub Edom & Ismaële captivitas, donec tandem ab utraq; gente vindictam capiam occasione belli ob terram sanctam gesti. Eo tandem tempore aliam faciem induet orbis. Mortui resuscitabuntur, docebuntqve omnium terrarum populos, ut expedite possint lingva sancta pronunciare nomen JEHOVA. Tunc & exules Israëlitæ ex Æthiopia in patriam avitam remigrabunt.

NOTÆ.

1.

Connexio hujus Periochæ cum præcedentibus fit per לכן / *propterea*. Notandum autem omnino est, hic non compellari impios, sed fideles, qvi ab externa Solyma indignas patiebantur injurias: qvasi dicat; qvia oppressores vestri, non pii, nolunt ad frugem redire, in Jehova fiduciam ponere, regnumqꝫ ejus ornare, meum est vobis venire auxilio, & obtritis persecutoribus vestris vos in libertatem asserere. Ut ergo hactenus in me fiduciam posuistis, ita porro me expectate. Consummatum autem hic in infideles judicium describitur, qvod DEUS per Messiam deniqve tanqvam visibilem judicem in extremo die mundo inferet. Conf. *Apoc. VI 12. seq.* Id vero simul complectitur omnes prævias judicii inchoationes, tam verbales, qvales sunt Apostolorum comminationes legales, ad qvas pertinet induratio & excœcatio, qvam reales, qvale est Solymæ aliarumqve Politiarum excidium. Hæc omnia in una imagine tum instantis excidii Babylonici, qvod non Judæos solum, sed & plurimas alias gentes oppresserat, prævidit Propheta sine temporum ac graduum distinctione. Non enim solum judicium per Babylonios inferendum denunciari palam est. Nam per excidium Babylonicum non sunt omnes gentes vastatæ, non omnia regna excisa. Jam vero hic omnes gentes, omnes Reges in judicio sistuntur. Etsi enim non expresse apponitur signum universale, tamen illud subintelligendum esse manifestum est ex collatione locorum Parallelorum, *Joël. III. 7. Obad. vers. 16. Zach. XIV. 2.* Per Babylonios non effusa est omnis DEI ira. Nam illi tantum pœnæ temporalis inferendæ administri fuerunt. At hic omnis furor DEI effundendus dicitur. In excidio Babylonico non omnis terra vastata est, sed tantum Judæa & finitimæ regiones. Hic omni terræ exitium denunciatur, qvæ æqve late patere debet, ac omnes gentes, à vera DEI agnitione, qvæ in sola Judæa tradebatur, alienæ, qvæ per totum terrarum orbem se extendunt. Hinc manifestum est, in hac una Babylonici excidii imagine prophetari de judicio per Messiam exercendo. Qvanto intervallo distaret imago

imago hæc à suo antitypo, Prophetæ Ante-Babylonici non viderunt. Similiter nec hoc videbant, utrum denunciatio judicii, qvæ per Apostolos fieri debebat, longo an vero brevi intervallo disjuncta esset ab ipso judicii exercitio plenario. In imagine enim hæc non distincte proponebantur. Hinc illa est temporum ἔρευνα, de qva Petrus 1. *Epist. I. 10. 11.*

2. *Qvapropter expectate me.* Abarbenel putat in hoc versu non contineri comminationem pœnæ, suamq; mentem hac paraphrasi proponit: אחרי שהגליתי אתכם לבבל ופקדתי אתכם לימים מועטים בגאולה ותשובה בארצכם והוה כל זה כדי שתטיבו דרכיכם להביא את כל אחיכם מהגולה ואתם לא אבותם והשחתם את כל עלילותיכם לכן לא אעשה עולה כי צדיק אני ואתן לאור משפטי והוא בחרבן בית שני וגלות בני והודה על ידי מלכות ארום אבל לא אפקוד אתכם מיד אחרי ימים מועטים כמו שעשיתי בבבל כי הנה תחכו לי בגלותכם עד אותו יום שאקום לעד: *Postqvam vos in captivitatem Babylonicam deductos post breve tempus iterum visitavi, reduxique in terram patriam, eo fine ut vitam emendaretis, operamq; daretis, ut omnes fratres vestros ex captivitate reducerentis: vos autem ad frugem redire noluistis, sed gravissimis sceleribus me ad iram provocastis, proinde non faciam iniqvitatem, qvia justus sum, sed judicium meum in lucem edam, vastaturus urbem vestram, & filios Judæ in captivitatem Edomi venditurus. At hic vos non visitabo statim post breve tempus, ut feci in captivitate Babylonica, sed ecce expectabitis me usqve ad diem illum, qvo surgam.* Largimur (1.) Rabbino, hic promissiones inchoari Evangelicas. At si hoc est, necessario debet objectum mutari. Proinde hoc versu non amplius illa externa Solyma, cujus peccata supra perstringebantur, compellatur, sed interna & superior. Illa non ponebat fiduciam in Jehova, *vers. 2.* Hæc autem jubetur in fide & spe persistere. Est enim hæc vis in verbo חכה, qvæ notat ὑπομένειν, *Ebr. X. 5.* Compellantur itaqve fideles & pii. Neqve vero phrasis *expectare Dominum* ullo modo de impiis dici potest, cum illi non expectent DEUM liberatorem, sed timeant severum Judi-

cem. (2.) Etsi non negandum est, Prophetam pro omni ætate Judaicæ Reipublicæ scripsisse, tamen imprimis sui seculi homines compellat, & sub eorum imagine posteros. Qvod si hæc verba ad modernam Judæorum colluviem referenda sunt, qvid inde utilitatis redundare poterat ad pios, qvi tempore Josiæ erant consolandi, ad qvos missus Zephanias? (3.) Sui hic oblivisciturr Rabbi. Nam *vers. 5.* qvem supra de gentium excidio exposuerat, jam de excidio Hierosolymitano interpretatur. Judæos hodie esse sub captivitate Edomi, falsissimum est, si externum Edomum intelligas. Hujus enim Respubl. & omnis memoria jamdudum excisa est. Si vero spiritualem, concedimus assertum Rabbini. Spiritualis Edom secundum veterum Judæorum testimonium est concupiscentia prava, qvi Obadiæ *vers. 6.* de concupiscentia prava communiter exponunt. Vid. Ir Gibb. *p. 11. col. 2.* Hæc concupiscentia prava impedit Judæos, qvominus agant pœnitentiam. Impœnitentia Judæorum causa est, qvominus veniat ipsis Messias. Hinc infero: Si Judæorum Messias nondum venit, seqvitur Judæos nondum egisse pœnitentiam. Si nondum egerunt pœnitentiam, sunt adhuc sub dominio pravæ concupiscentiæ. Si sunt sub dominio pravæ concupiscentiæ, sunt sub captivitate Edomi, atqve ita ex concupiscentiæ pravæ remigio res suas gerunt, tanqvam vilia mancipia. Si pro imperio concupiscentiæ pravæ vitam suam instituunt Judæi, seqvitur, qvod veritatem perseqvantur, & mendacium tueantur. Hujus enim unicum studium est, לשקר האמת ולאמת השקר *infringere veritatem & stabilire mendacium.* Bech. *fol. 16. col. 2.* Penes qvos ergo est veritas, qvam Judæi perseqvuntur? Certe penes eos, qvi seqvuntur doctrinam JESU Nazareni, ob cujus cædem sese expulsos esse Judæi fatentur. Non ergo Christiani perseqvuntur Judæos, sed Judæi Christianos, vel Ecclesiam CHRISTI, & veritatem, qvæ est in Christianis. (4.) Debile admodum præsidium præconcepti erroris est, qvod Abarbenel ponit in voce חכו ad evincendum, qvod Propheta de diuturna hac Judæorum captivitate loqvatur, qvam captivitati Babylonicæ ratione durationis opponit. Qvasi vero in captivitate Babylonica non fuerint מחכים? Certe חכו expectationem opis divinæ & perseveran-

verantiam in fide significat, sive brevi, sive longo post tempore auxilium feratur.

3. Qvapropter pios hic fideles, qvi vivebant tempore Zephaniæ, compellari censemus, ita tamen, ut sub eorum imagine, omnes qvi usq́ ad prævisum Messiæ adventum secuturi erant comprehendantur, oppositi infidelibus, qvi tandem indurabantur. Atqve his promittitur liberatio, qvæ necessario cum ruina ac damnatione infidelium conjuncta est. Damnatio infidelium sub obscura Babylonicorum triumphorum, qvi imminebant, imagine adumbratur. Ad perseverantiam in fide instigantur pii, 1. qvia DEUS puniet hostes ipsorum. Liberator *Jehova* est, *surrecturus ad prædam.* Per deprædationem innuitur victoria triumphus & subactio hostium, qvam comitatur deprædatio. Abarbenel קימה נצחית, *surrectionem æternam* intelligi putat, cum עד *æternitatem* qvoqve notet. Inconcinne. Nam sic non לְעַד sed לָעַד scriptum fuisset. Hostes duobus nominibus insigniuntur גוים, *gentes*, & ממלכות, *regna*. Utraqve spectantur non simpliciter, sed qvatenus se populo DEI & veritati opponunt. Nam gentes DEO non sunt exosæ, qvatenus ratione sangvinis Israëli opponuntur, sed qvatenus ab eorum religione sunt alienæ. Nec regna qva regna DEUS punire ac exscindere minatur, ita enim sua ipsius opera destrueret, sed qvatenus potestate sua seculari, qvam ad promovendam veritatem DEI adhibere debebant, abutuntur ad opprimendam fidem & Ecclesiam, atq́ ad idololatriam & mendacia propaganda. Erant hi Idumæi, Philistæi, Ammonitæ, Moabitæ, Ægyptii, ac omnes ii, qvi in confiniis erant Judæorum, ipsi qvoq́ Babylonii, qvos per Cyrum DEUS devastavit. Neqve vero & Judaicum Regnum excludendum est. Hic enim omnibus DEI hostibus ac populi sui persecutoribus pœna denunciatur, Ergo simul & Judæis, qvorum peccata supra enarrantur. Sub horum autem hostium imagine cum universim, tum singulatim mundus, Satanæ civitas, sive illa sit intra Ecclesiam, sive extra ejus pomeria, exhibetur à Messia destruenda.

4. Abarbenel Christianos & Turcas intelligit, ita scribens: בזמן הגאולה העתידה יעלו הנוצרים ממלכות אדום

הרשעה עד ארץ ישראל לכובשה ויבואו עליהם מן
המזרח ומן הצפן עצומים מבני ישמעאל ושם תחזק
ביניהם מלחמה עצומה וינקום השם נקמתו מאלו ומאלו :

Sub tempora futuræ redemtionis Christiani impii regni Idumæi socii exercitum ducent in terram Israël ad eam occupandam. Contra illos autem proficiscentur robustissimi Ismaëlitarum (Muhammedanorum) exercitus cum ex oriente, tum ex septentrione. Hinc inter duos illos populos orietur ingens prælium, in quo DEUS vindictam ab utroque capiet. Futile hoc est figmentum. Pono Christianorum & Turcarum exercitum infestis armis in Palæstina concurrere, qvid inde salutis ad Judæos perveniet? Qvid solatii ex aliorum clade? An propterea se ex omnibus terris dimissum iri in avitam terram putant, qvod copiæ gentium funduntur in ea? Annon utrumqve populum, inter qvos habitant, magis hoc ipso ad odium erga se inflammabunt, Judæorum causa cladem sese accepisse cogitantium? Et vero, qvid ex hac cæde utilitatis promanare poterat, ad Judæos Zephaniæ συγχρόνος, qvi primum Prophetiæ objectum? sed de hoc figmento alibi fusius.

5. Modus puniendi ita proponitur: *Qvia decretum meum congregare gentes ad effundendam in eas omnem indignationem meam.* Per משפט intelligit Rabbi גזרה *decretum*. Non male. Haud scio, an & jus intelligi possit. Ita parallelus locus hunc explicaret, *2. Thess. I. 2.* δίκαιον παρὰ τῷ Θεῷ ἀνταπο δῶναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλῖψιν. At prior expositio tamen præferenda. Caterum congregare non semper connotat motum localem. Congregantur ea, qvæ unius imperio subjiciuntur, qvanqvam eodem loco manent. Ita parallelum verbum esset ἀνακεφαλαιῶσθαι, *Eph. I. 10.* Sic Nebucadnezar omnes gentes in unum rete colligere dicitur, dum eas suæ potestati subjicit *Chabac. I. 15.* Non itaqve necessario notat coitionem in exercitus, aut conventum in terra Israël, aut congregationem in valle Josaphat, cum nec terra Israël, multo minus vallis Josaph t omnes omnium gentium exercitus capere possit. Hac autem potestate seculari, sub qvam colligentur gentes, utetur DEUS ad vindicandam injuriam populo suo illatam:

Ad

Ad effundendam in eas omnem indignationem meam, &c. Sensus ergo est, DEUM puniturum proxime esse omnes eos, qvi Ecclesiam suam, & veritatem, qvæ in ea prædicatur, persequntur, tam internos hypocritas, qvam externos Ecclesiæ hostes, judiciumqve suum partim Nebucadnezaris, partim Cyri ope executurum.

6. Hæc imago est, judicium Messiæ adumbrans, at valde imperfecte, cum multa hic sint, qvæ non conveniant in hoc judicium umbratile, & propterea manu nos qvasi ducunt ad sublimius judicium. Remota ergo imagine verum judicium sistemus. Hoc est judicium Messiæ. Rei hic sunt non tantum finitimi Israëlitarum hostes, sed omnes qvoqve Reges & populi, qvatenus Ecclesiam persequntur. *Omnis terra*, ac simul etiam totus exercitus diabolorum, qvorum instinctu gentes in veritatem DEI armantur, *Esa. XXIV. 21.* Pœna non tantum corporibus infligetur, sed animabus, nec tantum corpora morti & putrefactioni subjicientur sed resucitata æternis tormentis, nec tantum animæ excœcatione & induratione prementur, sed & æternis angustiis & doloribus. Hoc enim est *effundam iram omnem.* Profert autem hæc Propheta, qvasi eodem tempore nullis interpositis spatiis hæc sint exhibenda. Ut enim in typo videt, ita enunciat. Discrimen alias est inter judicium inchoatum & consummatum, inter revelatum & illatum. Revelatur per verbum, *Rom. I. 18.* eo fine, ut animo conteratur homo, & Mediatorem qværat. Infertur per desertionem, abjectionem, excœcationem, indurationem, excidia Rerumpubl., pestes & calamitates, cum præfracte animus resipiscendi gratiam respuit. Consummatur cum in die noviissimo resuscitata damnatorum corpora æternis pœnis adjudicantur. Hos gradus non distincte proponit, sed nobis cogitandos relinqvit.

7. Ad perseverantiam pii in fide commonentur 2. qvia hostes per pœnas emolliti desistent ab Ecclesiæ infestatione. *Tunc enim vertam ad populos labium clarum.* Duæ hæ propositiones: *omnes gentes damnabuntur*, qvæ sententia est in *v. 8.* & *Omnes gentes salvabuntur*, qvæ est in *v. 9. 10.* simul consistere non possunt. Utrobiqve ergo subintelligenda est conditio: Ac ibi qvidem impœnitentiæ finalis, qva negata non ponitur damnatio: hic pœnitentiæ

tentiæ finalis, qva negata ponitur converſio & ſalus Conf. *Joël. III. 5. Obad. v. 17. Mich. V. v. ult.* Hac autem poſita conditione expirat utrobiqve univerſalitas.

8. Hujus gentium converſionis imago erat illa Jehovæ celebratio, ejusqve populi ſublevatio, qvæ gentibus per expeditiones Babylonicas ſubactis à Nebucadnezare, Cyro & Dario injungebatur. *Dan. III. 29. 32. 33. Eſr. I. 4. 6. 7. C. VI. 8. - 12. C. VII. 11. 26.* Ab hac imagine pertenui & plane imperfecta phraſin ad deſcribendam futuram gentium converſionem petit Propheta. Sepoſito ergo involucro rem ipſam, qvæ eſt gentium Meſſiæ tempore futura converſio, perpendemus. Ipſe Abarbenel & pleriqve omnes Judæi ad Meſſiæ tempora hæc referunt, ſatis ſignificantes in typo & umbra hæc impleta non eſſe. Unde & Abarbenel reprehendit R. Moſen Haccohen, qvi teſte Abeneſra hæc de templo ſecundo expoſuerat, cum tamen iis temporibus maxima fuerit etiam inter ipſos Judæos religionum diverſitas. Et manifeſtum profecto diſcrimen eſt: Nam ibi paucæ gentes ad cultum Jehovæ vocabantur: Hic vero omnes: *Convertam labium ad gentes, ut omnes invocent Jehovam.* Sic *Joël. II. 28.* omni carni aperitur aditus ad dona Spiritus Sancti. Ibi qvædam gentium individua proſelyti fiebant, *Act. II. 5. 8. 9. 10.* Hic integri populi & Reges cum Gentibus ſacram fidem ſuſcipiebant.

9. Cæterum ut verba ponderemus, in iis vel ſiſtitur Evangelica prædicatio: *Convertam ad populos labium clarum.* Per *labium clarum* intelligitur lingua & oratio clara ac intelligibilis, notatqve lingvam claram ad gentes convertere, gentes per verbum regenerare ac illuminare. Cum dicitur אהפוך, *mutabo* aut *vertam labium clarum ad gentes*, manifeſtum eſt, gentes ante Meſſiæ tempora fuiſſe cœcas, nec myſteria divina capere potuiſſe: Unde hæc converſio linguæ claræ ad gentes eſt vera converſionis gentium ratio. Habet enim verbum DEI vim conterendi & ſanandi. Ut adeo non opus habuerit Abarbenel hic aliam converſionis rationem fingere: יהוה זה בסבת תחיות המתים שיהיה בזמן ההוא שתקמים בתחויה בכל פלך ופלך מהוז ומהוז יקראו בשם ח ומפיהם ילמדו רל העם לקרא כך

Cauſa

Causa quod gentes convertantur: est mortuorum resurrectio, quæ in hæc tempora incidet. Nam resuscitati in omnibus oris & terris efferent nomen Jehovæ. Ab iis autem discent omnes populi. Hos miracula præstituros ait, mundumqve docturos, ut ita gentes convertantur. ℟. 1. De mortuorum resurrectione nihil explicite est in textu. Per consequentiam qvidem erui potest, eo qvod Prophetæ, cum de Messia loqvuntur, de toto negotio salutis conjunctim loqvuntur; ad salutem autem hominum pertinet qvoqve resuscitatio ad vitam æternam, tanqvam ultimum complementum: At cum talis fiet, non amplius doctrina erit opus 2. Non concedendum Rabbino est, pro lubitu fingere resurrectionis finem, sed finis ejus ex scriptura discendus est. Jam vero de resurrectione in nulla Scripturæ parte clarius testimonium legitur qvam in Daniele, *c. XII. 2.* At in hoc dicto resurrectionis finis esse dicitur piorum æterna gloria, impiorum æterna infamia, non vero doctrina aut conversio gentium. Qvod si vero 3. Rabbi resuscitationem spiritualem admittit, eam & hic concedere possumus, & includi dicimus in phrasi, *convertere labium clarum ad gentes.* Nam DEUS per Doctores & Episcopos Apostolorum successores ubiqve Evangelium Gentibus prædicari curavit. Deinde putat Abarbenel hac voce אהפוך respici ad ea tempora, in qvibus una lingva dominabitur, nempe sancta. ℟. Non legitur: אהפוך שפת עמים להיותה אחת *Mutabo labium gentium, ut sit unum;* sed: אהפוך אל עמים שפה ברורה *Mutabo ad populos labium purum.* DEI enim labium intelligitur, qvod antea à gentibus non intelligebatur, cum eas antea per Prophetas ad resipiscentiam commoneret. Diversa certe sunt labium purum, & unum.

10. Sistitur 2. gentium fides: *Ut omnes invocent nomen Jehovæ.* Invocare nomen DEI est credere in CHRISTUM, *Rom. X. 9.-13.* Dicitur: *Confident in nomine DEI.* Jehova de alio Jehova loqvitur, qvi Messias esse non obscuris characteribus agnoscitur ex *v 5 12. 15.* Abarbenel hic inepte asserit, omnes gentes nomen Jehovæ pronunciaturas, atq; hoc significare phrasin, qvæ hic extat: לעתיד לבא יהפוך אר עמים אותה שפה ברורה שהיה להם מקורם לרבר בלשון הקודש אך אמנם לא נאמר כאן שהעמים

ההם ידברו בלשון הקודש בשלימותו כבני ישראל אלא שיהפוך לבבם לקרא כלם בשם ה בשפה ברורה רל שומצא שנור ומלומד בפיהם השם הנכבד ושם אלקים אחרים לא יזכירו וזה בלבר ידברו בלשון הקודש כלומר שם האר ויתברך השם ה׳: *Futuro tempore reducet DEUS gentibus labium illud clarum, quod ipsis antehac fuerat ut loquantur lingva sancta. Veruntamen non dicitur hic, quod Gentiles usuræ sint lingva sancta perfecte ut Israëlitæ, sed quod mutaturus sit corda ipsorum, ut omnes pronunctent nomen Jehovæ claro labio, quasi dicat, expedite pronunciabunt nomen gloriosum, non autem idolorum nomen amplius recordabuntur. Atq; hoc solummodo lingva Hebræa proferent: Nomen DEI benedictum est nomen Jehova.* Ita ergo videtur inferre Rabbi, DEUS reducet lingvam claram. Lingva clara, qvæ ab omnibus intelligi possit, una tantum est: Una illa lingva ante ædificationem turris Babylonicæ fuit Hebræa: Ergo DEUS reducet lingvam Hebræam. R. 1. Textus non loqvitur de mutatione lingvæ objectiva, sed subjectiva, vid. §. præc. 2. Si DEUS reduceret lingvam sanctam, oporteret omnes homines ea æqvali perfectione uti, ut ante turrim Babylonicam. Æqve ergo perfecte ea loqverentur Gentes ac Judæi. 3. Si lingva illa universalis esset, omnia animi sui sensa illà expressuri essent Gentes, & non tantum unum hanc propositionem prolaturæ, DEUS VOCATUR JEHOVA. 4. Sola illa nominis Jehovæ pronunciatio nulla est veræ conversionis nota. Pessimus Hypocrita potest illud apte pronunciare, imo Atheus, qvi corde & opere DEUM negat: Christiani, qvos Judæi pro impiis gentibus habent, expedite satis enunciant hanc Propositionem: *Schem haël jithbarech haschem Jehova; Verum nomen DEI benedicendi est Jehova;* Nec tamen à Judæis pro conversis habentur. Denicq; 5. qvalis sensus phrasi inest, cum à Joële adhibetur, *Cap. II. 32.* talis qvoq; inest hoc loco. At ibi inest sensus credendi & confitendi, כל אשר יקרא בשם ה׳ ימלט הוא רמז וישראל אשר יאמר להׄ אני *Qvi invocat nomen DEI, eripietur, i. e. populus Israël, qvi dicit: Jehova ego sum. Es. XLIV. 5.*

11. Sistitur 3. fidei unitas, *ad colendum illum humero uno.* Sumta est metaphora ab iis, qvi una subeunt humeris onus. Denotatur itaqve

itaqve fidei unitas, & cum vera fides non possit destitui operibus, simul & charitas animorumqve concordia innuitur. Abarbenel ויטו שכמם לסבול על התורה *Inclinabunt humerum suum ad portandum jugum legis.* Aut intelligit jugum Mosis, aut jugum Messiæ. Non Mosis, illud enim ἀβαςάκλον: tum Typicæ leges cessabunt Messiæ tempore, משיח במקום הקרבנות *Messias erit loco sacrificiorum.* Jalk. Chad. *p. 142. col. 4.* Messias justitia nostra, à Jeremia dicitur, eo qvod pro nobis legem moralem implet. *Jerem. XXXI. 6.* Si autem Messiæ jugum intelligitur, ferri potest explicatio, nam Messiæ jugum ἐλαφρὸν dicitur, *Matth. XI. 30.* Cæterum nec hic Propheta distincte proponit regenerationem inchoatam & consummatam, sed utramqve simul comprehendit.

12. Porro & Judæorum reductio promittitur. *Trans flumina Cusch, Atharai, Bath Puzai afferent mihi munus.* Ita Abarbenel multiq; alii voces has faciunt propria nomina, qvibus certæ qvædam Æthiopum familiæ designentur. At Rabbenu Schelomo Jizchak verbis his innui Israëlem putat; שהם מתפללים ועותרים עליו בת פוצי כנסת נפוצותי *Eo qvod ipsi supplices invocent Me, Bat-Puzai significare Ecclesiam exulum meorum.* Neq; hæc qvidem allegorica, ut Abarbenel vult, sed literalis est expositio. Æqve enim commode ex עָתַר *oravit* fit עָתָר *supplex*, atq; ex יָשַׁר formatur יָשָׁר *rectus.* Sic & ex פוץ *dispersus fuit*, commode formatur פוּץ *exul*, uti ex אור *lucidus fuit* אור *ignis.* Cum igitur hæc verba optime describant pios exules, optime ad Judæos dispersos referri possunt. Hanc itaq; explicationem præfero priori. Nam cum versu superiori de gentium fuerit actum salute, concinne jam hoc in versu agitur de salute Judæorum. Nechonis bello multa Judæorum millia capta, & ab Ægyptiis Æthiopibus vendita erant. Hos Cyrus facto cum Æthiopibus fœdere liberandos curavit, & in Palæstinam reducendos, ut ibi cum cæteris Judæis munus Jehovæ offerrent. Hæc est imago. At sub hac imagine prævidet ac prænunciat Propheta omnium Judæorum, qvi à vera patria, i. e. Ecclesia exulabant, sive intra terram, sive extra eam habitarent, à Messia & Apostolis oblatam convertendi occasionem. Uti vero versu superiori de gentibus, ita in hoc de Judæorum vocatione vaticinatur Propheta.

13. Cæterum discimus hinc (1) Si DEUS effusurus est fervorem in omnes gentes & regna, in Judæos eum præcipue effundet, qvorum vitia ac scelera superius taxavérat. Nam hoc postulat connexio, qvæ hæc est: Qvia itaqve Judæi tantis scandalis grassantur in Ecclesia mea, expectate me, ô pii, expectate diem, qvo surgam: Nam decrevi omnibus impiis regnis inferre pœnam. Et qvid verbis aut probatione prolixa opus est? Ipsi Rabbini non obscure fatentur Judæos modernos in captivitate sua primitias æternæ damnationis capere. Ephraim in Ir Gib. *fol. 59. col. 2.* manifeste asserit, sex esse res qvibus jam careant Judæi. Primus defectus est DEUS, qvi ab ipsis recessit, (2) SAPIENTIA juxta illud, *Esa. XXIX. 14. Periit sapientia sapientum.* Conf. *Esa. XXXIII. 18. 1. Cor. I. 20.* (3) REGNUM DAVIDIS, qvod etiam cessat. (4) TERRA ISRAEL qvæ etiam ipsis est erepta. (5) TRIBUTA, à qvibus Israëlem oportebat esse immunem, tanqvam filium DEI, Regis primogenitum. Qvæ tamen ipsis à gentibus jam imponuntur. (6) MERITUM ABRAHÆ, qvod etiam cessat in captivitate. Idem *fol. 125. col. 2.* Tres defectus recenset. SCHECHINÆ, seu gratiosæ præsentiæ DEI. 2. SAPIENTIÆ, qvam dicit in impletione Decalogi consistere. 3. SANCTUARII, qvod sacrificia complectitur. Ac primo qvidem sese à gratiosa DEI cura abjectos esse fatentur, qvæ certe est ingens calamitas, damnationis præguſtus. Qvod ira divina ipsis incumbat, colligere possunt ex regni regaliumq; ablatione, ex terræ vastatione. Hæ enim pœnæ impiis Judæis erant denunciatæ. Qvid ergo in DEI misericordia ipsis solatii supereſt? Non habent Sapientiam seqve plane ineptos esse sciunt ad præstandam Legi obœdientiam. Mitto peccati originalis reatum. Qvam multa sunt actualia peccata, qvæ ipsi pro peccatis non agnoscunt. Eminet inter ea hypocrisis, & inter hypocriseos species hæc, qvod licitum sibi esse putant initiari sacris Christianis per Baptismum, dummodo Judaicæ superstitioni animo adhæreant. Abarb. Maschm. Jesch. *pag. 21. col. 3.* הרושם ההוא לא ויציאם מכלל דתי כאמרם ז"ל *Hoc signum nempe Baptismus eos non deturbat de Lege, juxta antiqvorum sententiam.* Nec habent Sanctuarium cujus sacrificia typice expiare solebant peccata contra Legem commissa לא הוי יכולים לעלות עולות בחוצת הארץ

הארץ *Abarb. Esa. XLIII. 10. Non poterant offerre sacrificia extra terram.* Nec in Patriarcharum meritis possunt reponere fiduciam, cum qvod ea non sint à DEO ordinata salutis media, tum qvod ipsimet desperant de eorum ope Abarb. *Esa. XLIII. 10.* אין לך בכל המליצים שאתה סמוך על זכותם: *Nihil in omnibus Patriarchis præsidii invenis qvo nitaris.* Si itaqve nec in DEO, nec in se ipsis, nec in aliis fiduciam ponere possunt Judæi, annon semet ipsos damnationi subjiciunt?

14. Deinde patet hinc universalitas gratiæ & vocationis divinæ. Omnes gentes invocabunt nomen Jehovæ. Ergo ad omnes qvoqve convertetur labium vocationis purum ac intelligibile. Nemo enim propriis viribus potest converti, sed verbum DEI organon conversionis est: Id qvod eleganti apologo exprimitur in Schemot Rabba *fol. 143. col. 4.* ubi ita DEUS loqvens introducitur: אם יפול אדם מראש הגג כו' גופו לוקה והרופא נכנס אצלו ונותן לו רטיה בראשו וכן בידו וכן ברגלו וכל איבריו נמצא כולו רטיות אני אומר כן אלא רמ"ח אברים באדם הזה והאוזן אחד מהם וכל הגוף מלוכלך בעבירות והאוזן שומעת וכל הגוף מקבל חיים שמעו ותחי נפשכם: *Cum homo de summitate tecti decidit, totum corpus ejus conqvassatur, ita ut opus habeat adducto chirurgus omnibus membris ejus emplastra applicare, capiti, manui, pedibus; totus apparet emplastris obsitus. Ego non ita soleo; sed cum 248. membra homo habeat, ac inter ea auris unum sit, totum autem corpus ejus transgressionibus sit coinqvinatum, ita ordinavi, ut audiente aure tota hominis substantia accipiat vitam. Hoc est, qvod dicitur* Esa. LV. 3. *Audite & vivet anima vestra.* Eadem gratiæ universalitas asseritur *fol. 136. col. 1.* אין הקב"ה פוסל לברוה אלא לכל הוא מקבל השערים נפתחים בכל שעה וכל מי שהוא מבקש ליכנס וכנס לכך הוא אומר בחוץ לא ילין גר: *DEUS neminem excludit, sed omnes accipit: Porta patent omni tempore, & qvicunq; vult ingredi, ingreditur. Adeo verum est, qvod dicit* Job. XXXI. 32. *foris non pernoctabit hospes.* Hanc universalem gentium vocationem sæpius inculcat Abarbenel. *In Cap. Esa. LI. 6.* scribit: ודעו שראה השי"ת בגזרתו שקודם

שיפסד העולם ובא כל המין האנושי לשלמותו ומגיע לתכלית אשר בעבורו נברא מידיעת השם והכרת אלהיותו כו׳: *Scimus DEUM decrevisse ut antequam intereat mundus omne genus humanum perveniat ad suam perfectionem, finem suum attingat, ob quem creatus est, nempe ut agnoscat DEUM & apprehendat ejus divinitatem, &c.* Atqve ut claritas verbi prophetici hanc assertionem ab ipso expressit, ita contra odium in Christianos hominem transversum agit, ut cum alibi tum hoc in versu doceat Edumæos, i. e. Christianos non conversum iri. Verba ejus sunt: לא אמר אל כל עמים לפי שלא תוכלל אומת אדום ביועוד הזה כי הם אויבי ה׳ ותורתו וכל׳ וראו נאות ה׳: *Non dicit Convertam labium ad omnes populos: Non enim continetur gens Edumæa in hac promissione, siqvidem illi tanqvam infensissimi hostes Jehovæ & Legis ejus nunqvam videbunt excellentiam Jehovæ.* Nihil profecto nobis hoc asserto nocet Rabbi, qvi non desideramus aliam conversionem, qvam qvæ per CHRISTUM nobis contigit. Interim notamus hic, qvam turpiter sibi contradicat Rabbi. Asserit notanter in *Esa. XLIII. 18.* שכל העולם וכל ושביו כל יושב תבל *omnem mundum & omnes ejus incolas, totum terrarum orbem* tempore Messiæ conversum iri. Hic autem negat Christianos, qvos Edumæos vocat conversum iri, cum tamen Christiani dimidiam incolarum terræ partem constituant, qvod ipse asserit Maschm. Jesch. *pag. 30 col. 4.* כל׳ האומות היום נכללות באדום וישמאל *Omnes gentes hodie comprehenduntur sub Eaumeis, i. e. Christianis & Ismaëlitis, i. e. Musulmannis.*

15. Porro si tempore Messiæ offerentur sacrificia, necesse est dari non tantum externa sed & interna sacrificia, siqvidem externa sacrificia à Messia abolebuntur, *Dan. IX. 27.* Pertinet huc antiqvorum Judæorum dictum כל׳ העוסק בתורת עולה כאילו הקריב עולה וכן מנחה וחטאת כולם כן: *Qvi meditatur in lege de holocausto, idem facit ac si offerat holocaustum. Idem de Mincha & chatthat reliqvisqve sacrificii generibus dicendum.* Tantumne positum est in lectione aut meditatione sectionis de holocaustis? Allegat hoc dictum Autor Ir Gibb. & hæc verba subjungit: וסתם מזבח נקרא מזבח החיצון שחוא חוץ לבוח

לגוף אבל מזבח החיצוני נקרא מזבח הפנימי שבהיכל
הוא זבח וצרו ומשכר לבו שם: *Absolute misbeach dicitur altare externum quod est extra corpus hominis. At altare legis vocatur altare interius, quod in verbo DEI est. Hoc mactat concupiscentiam pravam & conterit cor hominis, Ps. LI. 19.* Hinc apparet qvod studere in Lege sanioribus Judæis non significet nude legere, sed ex verbo DEI peccata sua agnoscere, & de iis serio dolere. Etsi autem hæc contritio minime salutaris est, nec DEO placere potest, nisi accedat fides meritum CHRISTI sibi applicans, tamen ex hoc apparet Judæis distinctionem inter sacrificia externa & interna minime improbari. Scimus autem typica fuisse externa V. T. sacrificia, qvod non obscure affirmat Bechai *in Leg. fol. 138. col. 4.* ubi dictum supra allegatum ita explicat:
חכונה כי מתוך שמתבוננ כמה שיורו הפסוקים ואל מה
שירמזו אז יכיר ויבחין נפלאות תמים דעים ויתחזק לבו
באמונת חשי ועבודתו ובזה יורש חיי העולם הבא:
Sensus dicti est, qvod si qvis intelligit qvid innuant hæ pericopæ & qvem antitypum significent, is demum agnoscat ac percipiat mirabilia, perfectamq; possideat scientiam, ejus animum vere confirmari in fide & cultu veri DEI. Atqve hoc est qvod ipsum hæredem facit vitæ æternæ. Idem non obscure docet, qvod sacrificia fuerint typus sublimioris cujusdam sacrificii, *fol. 32. col. 3. ad Gen. Cap. XXII. 2.* ubi DEUS legitur Abrahamo mandasse, ut filium suum offerret לעולה qvod Bechai explicat במקום עולה *loco holocausti* additq; יתכן שירמוז על סוד הקרבן *recte dicitur hoc ipso respici ad mysterium sacrificii.* Hinc ergo fluit sacrificia in V. T. loco sublimioris sacrificii fuisse oblata. Atqve illa tandem abrogata sunt cum in temporis plenitudine Messias officium sacerdotale occuparet, & in vicariorum suorum locum succederet הוא משיח במקום הקרבנות שהיו בזמן שבית המקדש קיום: *Messias est loco sacrificiorum, qvæ antea in Sanctuario solebant offerri.* Jalk. Chad. *pag. 144. col. 4.* Messias ergo est sublimius illud sacrificium, cujus loco offerri solebant sacrificia externa ac typica. Ergo qvi verum fructum sacrificiorum vult indipisci, qvi est peccatorum expiatio, illum non tantum oportet nude legere, nec tantum peccata sua

inde

inde agnoscere & de iis dolere, sed & antitypum sacrificiorum intueri, in illo fiduciam reponere, nempe מלך משיח הוא הוא זכה מכולם לבער חרע הכולל *Regem Messiam, qui solus omnium tantam habet sanctitatem, ut possit aufferre peccatum originale.* Neve schal. *l. 9. c. 5.*

Usus ex versu 8.

QVI DOMINABITUR GENTIBUS EST JEHOVA: MESSIAS DOMINABITUR GENTIBUS, ERGO EST JEHOVA. Major est v. 8. Cap. III. Zeph. Minor est Ps. CX. 1. 2. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos meos scabellum pedum tuorum.* Hunc Psalmum antiqvitas Judaica de Messia exposuit, cujus hoc tritissimum dictum אמר רבי יוחן בשם רבי חמא בר חנינא לעתיד לבא הקבה מושב משיח מימנו ואברהם משמאלו כו *Dixit R. Jodan nomine R. Chamma filii Chanina: Futuro tempore collocabit DEUS Messiam sibi à dextris & Abrahamum à sinistris, &c,* At R. Isaac Ben Abraham Cap. XL. Munim. fid. negat de Messia agi Psalmum, de Davide exponens.

Usus ex versu 9.

CONVERSIO GENTIUM JAM EST FACTA. ERGO MESSIAS JAM EST EXALTATUS. Major est in textu qvem Judæi de temporibns Messiæ interpretantur. Minor experientia nititur teste. Cæterum exaltationis ratio descripta extat, Dan. VII. 13. 18. 27. *Videbam visionibus nocturnis, & ecce filius hominis &c.* Hic per בר אנש *filium hominis* R. Salomo, Abenesra, Saadia recte intelligunt Regem Messiam. R. Isaac Ben Abraham itidem de Messia exponit, sed in JESU Nazareno impletum esse varicinium negat, Cap. XLI. Munim. fid.

Usus ex versu 10.

CONVERSIO JUDÆORUM OPE MESSIÆ ERAT PERAGENDA. ERGO JAM EST FACTA. Ratio, qvia Messiam venire oportuit in fine septuaginta Hebdomadum. Major patet ex hoc versu qvem de Messiæ temporibus omnes exponunt. Ratio Majoris est in Dan. XI. 24. *Septuaginta hebdomadæ præcisæ sunt, &c.* Abramides Cap. XLII. terminum LXX. hebdomadum ait esse exilium Judæorum, non adventum Messiæ.

Tria hæc loca à Rabbini depravationibus vindicabuntur in con-

Peri-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863437893/phys_0264
DFG

Periocha XVII. 11. 12. 13.

SIstit reformationem Ecclesiæ Hierosolymitanæ, cujus notamus I. promissam peccatorum remissionem, justitiam ac salutem TEMPORE ILLO NON PUDEBIT TE ULLIUS OPERUM TUORUM QVIBUS PRÆVARICATA ES IN ME. II. Causam promissi, qvæ est Pœnitentia cujus principalis pars fides in CHRISTUM: TUNC ENIM AUFFERAM E MEDIO TUI EXULTANTES IN SUPERBIA TUA, NEQ; SUPERBIES AMPLIUS MONTE SANCTO MEO: ET RELINQVAM IN TE POPULUM HUMILEM ET TENUEM, ET CONFIDENT IN NOMINE JEHOVÆ. III. Fidei concomitans pietatis studium: RELIQVIÆ ISRAELIS NON ADMITTENT INIQVITATEM, NEC LOQVENTUR MENDACIUM NEQ; INVENIETUR IN ORE EORUM LINGVA DOLI. IV. Sanctitatis causam qvæ est CHRISTI protectio. NAM PASCENTUR ET CUBABUNT NEMINE DETERRENTE.

Sensus Abarbenelis.

v. 11. Tempore illo eris sanctissima, Tunc enim ex vobis omnes superbiæ species removebo. v. 12. Cives in Hierosolymam collecti, uti propter exantlata exilia pauperes erunt opum, ita è contrario divites erunt agnitione DEI & fide vera, v. 13. neq; re neq; verbis alios læsuri. Tanta erum felicitate & pace abundabant, ut nulla fraude opus sint habituri ad alios circumveniendos.

NOTÆ.

1.

ADhuc compellat Propheta Solymam ex piis & impiis constantem, eiqve reformationem promittit, cujus tenuis qvædam

imago exhibebatur tempore Serubabelis, sub qva tamen beneficia Messiæ & sæpe qvidem in sua excellentia & perfectione describuntur. Promittitur ergo, Remissio peccatorum & Salus tam inchoata qvam consummata. *Tempore hoc non erubesces amplius omnium peccatorum qvæ in me perpetrasti.* Phrasis est metonymica, adjunctum ponitur pro Subjecto. Qvia remissa sunt tibi peccata, non amplius erubesces. Cæterum tota Solyma compellatur, etiamsi tantum pars nempe impii, qvi cum se membra Ecclesiæ profiterentur, DEUM sceleribus offenderunt, intelligantur. Abarbenel ita hæc exponit: אין הכוונה שתחטא ולא תבוש ולא תכלם אלא שאז תתישר במעשיה באופן שלא תקבל בושת וחרפה ממעשיה כאלו אמר לא תהיה כמו בזמן הזה שהיית צריכה ליבוש ולהכלם מהמעשים הרעים שחיית בושה: *Non est sensus, qvod peccatura tum sis Solyma sine nota pudoris & probri, sed qvod tunc sis tam pia & recta in actionibus suis futura, ut nemo ipsi propter eas ruborem incutere possit: qvasi dicat: Non ita tecum comparatum erit tunc, ut hoc tempore qvo opus habes rubore suffundi ob mala opera qvæ perpetrasti.* R. I. Non est periculum ne qvis incidat in sensum, qvem Rabbi removet. Hoc enim ratio sana docet, peccatum sine probro aut ignominia esse nullo modo posse. Et qvis, nisi Epicureus, in libertate peccandi felicitatis rationem poneret? Proinde hac remotione tanqvam frustranea supersederi poterat. 2. Neqve alter sensus, qvem ponit, textui inest. Non enim dicit: Non erubesces propter peccata, qvæ committis, sed, non erubesces propter peccata אשר פשעת בי *qvæ commisisti in me.* Respiciuntur itaqve peccata superius *v. 1. ad 7.* allegata. Qvorum qvidem dum Hierosolymam non amplius pudet, indicio est ea ipsi esse remissa. Pono præsens verbum extare אשר פשע *qvibus prævaricaris*, tamen non seqvitur sensus datus. Qvis enim ex hac propositione: *Non pudebit te operum, qvibus prævaricaris in me* elicere posset operum innocentiam & vitæ sanctimoniam? Nam vox עלילה qvæ alias μέσος est, ad malam partem expresse determinatur per adjunctum verbum prævaricandi. Proinde cum à malis illis operibus pudor removetur, remissio innuitur. 3. Accipimus

cipimus confessionem Rabbini, qvi gentem suam, dum exulat, mancipium esse malorum operum confitetur, qvam tamen alibi sanctam & inculpatam vitam ducere ambitiose affirmat. Nam tempora hæc & tempora Messiæ sui opponit in eo, qvod Judæi in his tam sanctam vitam sint acturi, ut nemo ipsos culpare possit: in illis autem pravis operibus sint coinqvinati, qvæ probrum comitatur. Dum ergo Judæi impie sese vivere fatentur, sciant se juste ferre, si qvas ferunt pœnas.

2. Causa justificationis est vera pœnitentia, cujus duæ sunt partes Contritio & fides. כי causale est, & causam det, qvare peccata remittantur. *Nam tunc removebo è medio tui superbientes in excellentia tua.* Superbia pro objecto habet גאוה *excellentiam*, qva denotatur qvidqvid ab homine irregenito magni æstimatur, imprimis illa ὑπεροχὴ qva Judæi reliqvis populis eminebant, qva superbiebant, confidebant, cujus respectu ἰσραὴλ κατὰ σάρκα dicuntur *Rom. IX. 3.* Remotio ejus fiducia fit per verbum Legale, iram ac æternam damnationem superbis & carne confidentibus denuncians, qvæ ira non qvidem manet super iis qvi se fide in CHRISTUM erigunt, sed manet super incredulis. Utriqve tolli ex Ecclesia dicuntur, illi substantialiter, qvatenus excommunicantur, tandem cum corpore & anima perituri; Hi vero accidentaliter, qvatenus superbia ac fiducia in rebus externis in ipsis comprimitur, mortificatur, tandem funditus exstirpanda. Additur: *& non addes amplius te efferre monte sanctitatis meæ.* Alias Hierosolyma & mons sanctus seu mons Sion conjunguntur, ut *Joel III. 16.* & sic Ecclesiam notant extra qvam nulla salus. At hic mons sanctus Solymæ opponitur, tanqvam damnandum fiducia objectum, unde apparet proprie accipi pro Templo qvo Judæi olim præpostere gloriabantur. Qvæ hic Abarbenel habet, ea non sunt contemnenda. Per superbos enim intelligit האנשים שוהיה להם גאה וגאון ורוך רע וגם אותם מתגאים בעבור היותם וושבים בהר קדשו כי כל מיני הגאוה אסור מקרבך: *Vivos elatos & impios, imprimis illos qvi magnifice sese efferebant, eo qvod habitabant in monte sancto. Nam omnes superbiæ species removebo.* Confitetur ergo non obscu-

re damnandam esse superbiam in templo, Leviticis cultibus, aliisq; rebus externis fiduciam ponere. Seqvitur autem ex hoc esse hanc prophetiam ad ea tempora referendam, qvibus adhuc viguit cultus Leviticus, qvi per montem sanctum metonymice intelligitur.

3. Compressa superbia prodit sui agnitio & vera humilitas, & fiducia in solo Messia Mediatore. *Et relinqvam in te populum pauperem, qvi fiduciam ponent in nomine JEHOVÆ.* Uti superbi erant, qvi in carne ponebant fiduciam, ita pauperes sunt, qvi renunciant carni. Hæc renunciatio supponit veram sui mundiqve agnitionem, qvod nempe homo propter peccatum iræ divinæ sit reus nihilqve habeat, qvo placare iram DEI possit. Hinc recto tramite itur ad Messiam: *Confident in nomine JEHOVÆ* i. e. Messia. Abarbenel ita exponit: ולפי שרוב מבני אדם מתגאים בעשרם או במעלתם וכבודם לכן אמר והשארתי בקרבך עם עני ודל *Et qvia multi homines gloriantur divitiis suis & dignitatibus, proinde dicit: Relinqvam in te populum pauperem ac tenuem.* Hic censet Rabbi per pauperem populum intelligi, qvi nullas habet divitias. Verum 1. ex oppositione patet non tam privationem opum innui, qvam privationem fiduciæ in carne & rebus externis. Opponitur enim paupertas superbiæ. Superbia autem erat fiducia in carne. Remota hac fiducia præsto est humilitas, qvæ probe consistere potest cum possessione multarum opum. 2. Non præcise paupertatem opum inferunt verba textualia. Nam עני non *pauperem* tantum notat sed & *mansvetum* ac *humilem*. Sic ipse Rabbi scribit in *Zach. c. 9. v. 9.* אפשר לפרש עני מלשון ענוי כאלו אמר ענוי *Potest τῷ* עני *inesse significatus humilitatis, ut idem sit qvod mansvetus & humilis.* Similiter nec דל semper opum tenuitatem innuere, sed & spiritus paupertatem, manifestum est ex *Ps. CXVI. 6.* & *CXLII. 7.* confer ipsum Abarbenelen in *Es. C. XLI. 17.* ubi mentem R. Salomonis probat, qvi spiritualem paupertatem hic agnoscit. 3. Qvia ipse fatetur sub voce superbiæ damnari כל מיני גאוה *omnes superbiæ species*, non tantum hic intelligi potest renunciatio fiduciæ in opibus, sed cujusvis generis fiducia, qvæ qvidem fidei in Messiam opponitur.

Porro

4. Porro paupertati externæ opponit Abarbenel divitias internas, qvas constituit in agnitione vera DEI: אין ספק שבזאת חבול הגאולה העתידת מגאולת מצרים ר ל שבגאולת מצרים במקום שהיו רלים וענוים שם נתעשרו ביציאתם בשלל המצריים ששללו אבל לעתיד לבא במקום שהיו רבים מהם עשירים בגלותם הנה מפני טלטולם והליכתם מגוי אל גוי ממלכה אל עם אחר בקבוץ גליותם גם כספם גם זהבם לא יעמרו להם ולכן ישארו עם עני ורל מהממונרת אבל יהיו עשירים ברעת והאמונות האמתיות ובמדות חמשובחות והוא אמרו כנגד הרעות יחסן בשם ה: *Nullam dubium est qvin per hoc distinguatur redemtio futura à redemtione Ægyptiaca. Scilicet in redemtione Ægypti cum primi Israelitæ essent pauperes ac tenues, diteſcebant ſpoliis Ægyptiorum cum Ægyptum relinqverent: At tempore Messiæ cum primi plures inter ipsos essent divites dum extra patriam ſuam viverent, propter perpetua exilia & ejectiones ex una terra in aliam, item cum colligentur captivi & exules, neqve argentum neqve aurum ipsis manebit, ac proinde fient populus tenuis & pauper opum. At e contrario divites erunt cognitione & fide vera & virtutibus excellentiſſimis. Reſpectu itaqve virtutum intellectualium ait, confident in nomine* JEHOVÆ. Hic 1. dissimilitudinem ostendit inter redemtionem Ægyptiacam & Messianam, cum tamen alibi asserat, בכל הצדדין *ex omnibus partibus* similem fore Messianam liberationem Ægyptiacæ. Si qva est difformitas, ea hæc est, qvod Ægyptiaca corporalis est, hæc autem spiritualis. Sic in Messiana liberatione etiam spiritualia spolia aufferuntur, quæ sunt qvævis bona terrena, qvorum abusus tollitur in regno Messiæ. 2. Causam paupertatis externæ allegat, exiliorum freqventiam, & calamitatum concursum. Putant enim Judæi paulo ante Messiæ sui adventum gravissimis malis pressum iri Judæos omnium gentium in ipsorum ruinam facta qvasi conspiratione. Atqve has postremas calamitates vocant חבלי משיח *dolores Messiæ.* At cum ostensum sit, non corporalem sed spiritualem paupertatem hic intelligi, negato effectu qvid causam inqvirere necesse est?

Qvod si divitias spirituales hic agnoscit, admittat etiam spiritualem paupertatem. Hæc enim qvam commodissime illis opponitur. 3. Fidem in sola scientia collocat. At חסה cum ב constructum significat proprie *recepit se, latibulum qvæsivit.* Hoc loco *recipiens se ad nomen DEI* id est, *fiduciam ponens in Messia.* Hoc verbum itaqve etsi veram DEI agnitionem non excludit, cum omnis fiducia supponat scientiam, tamen eam non formaliter notat. Si ergo 4. fiducia in Messia vi phraseos intelligitur, non potest illi opponi divitiarum copia, sed fiducia in carne, qvam Messias tollit. 5. Dum ait populum fore pauperem opum, divitem vero scientiæ DEI, ita agnoscit spirituales divitias, ut externas opes tollat: hoc ipso vera fassus; non enim corporales sed spirituales divitias nobis afferet Messias.

5. Fidem seqvitur bonorum operum studium qvod *v. 12.* describitur verbis negativis, qvæ contrariam affirmativam ponunt. In genere *Reliqvi Israel non facient iniqvitatem*, sed potius omni virtutum generi impense studebunt. Comprehenditur & hic simul inchoata & consummata vitæ innocentia. 2. in specie & qvidem cum pietas erga DEUM, *Non loqventur mendacium* i. e. verum cultum vero DEO exhibebunt abnegata Idololatria & omnis generis superstitione: tum pietas erga proximum, *neqve invenietur in ipsis lingva doli*, qvæ est cum contra conscientiam falsa profert in fraudem alterius. Atqve ita phrases hæ duæ æqve videntur differe ac latinæ *mendacium dicere* ac *mentiri.* Qvanqvam si qvis phrases has velit pro synonymis habere, etiam id facile pati possimus. Sic Abarbenel ולענין המרורית אמר שארית ישראל לא יעשו עולה במעשיהם ולא ידברו כזב בדבריהם ולא ימצא בניהם לשון תרמית רל רבוי שיהודית בגלהו טוב והגון ויהודית מרומית בתוכו *Porro respectu virtutum moralium dicit: Reliqviæ Israelis non facient iniqvitatem sc. operibus, neqve dicent mendacium sc. verbis, neqve invenietur in ipsis lingva fraudis, qvæ talem notat orationem cujus exterius est bonum & pium, interius autem fraus*, qvi tamen in eo non probatur qvod hoc ad officia in proximum restringit.

6. Pix hujus vitæ causa conservans est Messiæ gratiosus ductus & pro-

& protectio. *Nam illi pascent & cubabunt, & nemo deterrebit.* כי causale etiam h. l. est. Ut ergo priori propositione pietas morum & vitæ sanctimonia sistitur, ita in hac convenientem ejus causam contineri necesse est. Qvapropter hic non externa tranqvillitas promittitur & opum affluentia, siqvidem illa non pietatis fomentum, sed vitiorum nutrimentum esse solet juxta illud וישמן ישרון ויבעט *Israel pingvefactus recalcitrat.* Idcirco pascere notat carpere bona nutriendæ vitæ spirituali apta, qvæ qvidem per verbum & Sacramenta in animum hominis devehuntur. Talem pastum seqvitur tranqvillitas ab hostibns spiritualibus carne, mundo, Satana. Qvia autem redemti non possunt pascere nisi habeant pastorem, qvi in pascua ducat, & feras bestias abigat, nullus alius pastor erit, qvam is ad qvem cum spirituali pauperate premerentur, confugerunt, nempe Messias. Agnoscit & Rabbi particulæ כי causalitatem sed ita connectit: וגם הם לא יצטרכו לדבר מזה לפי שהמה ורעו ורבצו ואין מחריד: *Neqve enim opus habebunt lingva dolosa, pascent enim nemine deterrente.* Satis innuens cujus generis felicitatem hic promitti censeat nempe corporalem. Ea enim ipsi intelligitur tranqvillitas, ad qvam comparandam ante liberationem opus habebant lingva dolosa. Atqvi ad temporalem felicitatem comparandam opus habebant lingva fraudulenta. Atqve hoc ipso simul prodit suorum ingenia, qvibus non est religio dolis circumvenire Christianos, dummodo ab iis auferant, qvæ vitæ corporali serviunt.

Periocha XVIII. 14. 15.

INdicitur Ecclesiæ lætitia ob redemtionem. Notetur 1. Lætitia, qvæ spiritualis est: CANTA FILIA SION, VOCIFERARE ISRAEL, LÆTHRE ET EXULTA OMNI CORDE FILIA JERUSALEM. 2. Lætitiæ causæ, qvæ sunt 1. Reatus ablatio: REMOVIT DEUS JUDICIA TUA: 2. Peccati compressio REMOVIT HOSTEM TUUM. 3. Re-

3. Regis Messiæ regenerantis, justificantis, renovantis, protegentis, glorificantis præsentia, REX ISRAEL JEHOVA IN MEDIO TUI, NON VIDEBIS MALUM AMPLIUS.

Sensus Abarbenelis.

v. 14. Postquam ergo Juda & Israel in unum populum erunt recollecti, maxima lætitia pupulum occupabit, v. 15. eo quod DEUS captivitatis mala ab ipsis auferet, cæso Edomo, captivatorum Principe. Imprimis quia DEUS gratiosam suam præsentiam in iis perpetuo figet, unde nunquam illis malum porro erit formidandum.

NOTÆ.

1.

AD exaggerendam hanc lætitiam plures voces conglomerat Propheta, qvibus partim interna partim externa lætitia exprimi solet. Talis intelligitur lætitia, qvæ omnem curam ac solicitudinem animo excludit. Sic & subjectum lætitiæ diversis nominibus appellatur, non sine singulari amoris significatione. Rationem hujus variationis talem dat Rabbi: ותחברו מלכות יהודה ומלכות ישראל ויהיו לגוי אחד ועל זה אמר רני בת ציון כנגד מלכות יהודה ואמר כנגד מלכות ישראל הריעו ישראל ומפני שעתידה ירושלים להתחלק לכל השבטים כמו שזכר יחזקיאל אמר שמחי ועלזי בכל לב בת ירושלים: *Conjunguntur regnum Juda & regnum Israel ut fiant populus unus. Ac propterea dicit exulta filia Sion respectu regni Juda, & respectu regni Israel dicit Vociferare Israel. Quia autem Jerusalem commune fiet duodecim tribubus, uti Ezechiel prænunciat, ideoque dicit: Lætare & exulta omni corde filia Jerusalem.* Verum 1. si regnum Israel & regnum Juda compellantur distinctim, necesse est ad ea tempora hanc prophetiam pertinere, qvibus illa distinctio adhuc viguit, & proinde jam est impleta, qvia hodie tribus sunt confusæ. 2. Si de duobus populis in unum coactis

&

& jam constitutis loqvitur Propheta, qvomodo *v. 19.* polliceri potest reductionem X. tribuum & dispersorum Judæorum, qvos ipse Abarbenel per claudicantes & disjectos intelligi ait. Sensus ergo foret: Gaude Jerusalem, qvæ ex Judæis & Israele iterum coiisti: nam ego decem tribus & Judæos dispersos colligam. Nec 3. ob urbis communionem vocari potest populus Jerusalem, cum manifestum sit Hierosolymam nunqvam instauratum iri confer usum *v. 6.* Proinde 4. intelligi hic debet Ecclesia Judaica, cui inter varias ruinas partim ab externis partim ab internis hostibus allatas promissio datur, fore, ut ipsa aliqvando spirituali modo instauretur.

2. Rationes gaudendi jam subjunguntur, qvæ sunt, Abstulit DEUS sua judicia. Intelligitur reatus ablatio, salutis collatio. Hæc promittitur non omnibus Hierosolymæ filiis, sed tantum pœnitentibus: non Judæis κατὰ σάρκα sed κατὰ πνεῦμα. Abarbenel הסיר ד' משפטיך ענשיך ויסוריך שהוריית סובלת בגלות *Abstulit DEUS abs te pœnas & plagas tuas qvas in captivitate exantlasti.* Recte exponit משפט per ענש pœnam. Si pœnæ aufferendæ à Judæis, reatum habent; Si reatum, sceleribus sunt oppleti. Merito ergo in exilio afflictionibus gravantur, nec se gratiosos esse apud DEUM jactare possunt. Cæterum ut corporale exilium intelligit, ita & corporalium plagarum ablationem tantum hic promitti putat. An autem talem externam felicitatem tam insigne gaudium, qvod hic describitur comitari potest? Enimvero externa felicitas non potest animo tranqvillitatem parare, aut curas eximere, imo sæpe curas auget juxta illud tritum: מרבה נכסים מרבה דאגה *crescentibus divitiis crescunt curæ.* Qvomodo ergo Judæi, etiamsi pristinæ suæ felicitati restituentur, lætari poterunt talem lætitiam, qvalis hic promittitur, qvæ omnem molestiam ac sollicitudinem excludat animo, cum fieri expresse dicatur בכל לב *omni corde*? Necesse ergo est æternam felicitatem intelligi qvæ est reconciliatio cum DEO, qvæ sola tumultus animi compescit.

3. Ratio 2. est: *Removit Hostem tuum.* Lætitiæ qvalitas non patitur externum tantum hostem hic intelligi. Libertas enim

ab externo hoste non excludit animo omnem metum ac solicitudinem. Denotatur ergo hostis internus, nempe Peccatum & qvidqvid illum externus adjuvare potest, ut finem suum esseqvatur, qvi est hominis in spiritualem captivitatem conjectio. Hic hostis hic removetur qvoad dominatum; ibi qvoad substantiam. Utrumqve innuitur conjunctim. Rabbi Judæos lætaturos esse ait מפני הנקמה אשר ראוה שעשיתי באויבך כי ישמח צדיק כי חזה נקם ואפשר אמר אויבך בלשון וחיל וחיל ורמז אל אויב ראש מאויבים: *propter ultionem qvam videbunt Jehovam capere ab hostibus. Gaudet enim justus cum videt ultionem. Forte etiam singulari numero respexit ad Edomum caput hostium.* R. 1. Si de justis hic sermo est, qvomodo in Judæos hodiernos conveniet, qvi propter injustitiam suam pœnas dignas ferunt? Cum justi gaudent ultione divina, gloriam DEI spectant, qvæ per justitiam ultricem manifestatur, & insuperabilem hominum pœnitentiam, qva nihil magis divinæ gloriæ adversari potest. Hoc autem justorum gaudium minime Judæis applicari potest, utpote qvi optant DEUM iram suam effundere in innocentes Christianos, qvi Judæis hospitia præbent, eosqve ab injuria defendunt suis armis, nunqvam nisi in fontes & probe merentes animadvertunt, neutiqvam eos retenturi, si suis terris abire velint. Fundamentum gaudii qvod justi ex divina ultione capiunt est vera regeneratio & justitia coram DEO. Hæc enim facit ut, qvod DEO placet, etiam ipsis placeat: qvo DEUS gaudet, eodem & ipsi gaudeant. At Judæi non sunt cum DEO reconciliati: alias enim non ferrent pœnas exilii. 4. Si removentur hostes externi, qvid tum? an propterea Judæi ita gaudere poterunt, ut nullas sentiant animi curas? 5. De duorum hostium injuria qveruntur Judæi, Ismaelis & Edomi. Per illum Turcas, per hunc Christianos intelligunt. Hunc illo potentiorem & crudeliorem uti alibi, ita & hic affirmat Rabbi. Nihil hac sententia cogitari potuit absurdius. Si Christiani sunt Edomitæ, aut propterea sunt, qvod ab iis sangvinem ducunt, aut qvod eosdem mores habent, aut qvod pari religioni dediti. Non primum. Qva enim ulla veri

veri ſpecie aſſeri poteſt tot nationes qvæ Chriſtianam religionem profitentur, Germanos, Gallos, Hiſpanos, Italos, Anglos, Danos, Norwegos, Svecos, Muſcovos, Ungaros Græcos vel ſaltem Reges ipſorum originem referre ad Edom? Non ſecundum: nam Edumæi nulla dabant hoſpitia Judæis, ſed ipſos tradebant hoſtibus & maximis injuriis afficiebant, leg. Obad. Chriſtiani tuta Judæis hoſpitia concedunt, & prohibent, ne qva ipſis injuria oriatur à plebe, ſæpe multo gratioſioribus apud Magiſtratum qvam ipſimet Chriſtiani. Nec tertium: Qvis enim dicet Chriſtianos eidem religioni eſſe addictos, cum Idumæi fuerint Idololatræ?

4. Ratio 3. eſt: *Rex Iſrael Jehova in medio tui, non videbis amplius malum.* Juſtificationem & renovationem comitatur gratioſa DEI inhabitatio. Domito hoſte, qvi prius ſuperbe dominatus erat in impœnitentis animam, opponitur Rex Iſraelis qvi Chriſtus, cujus non minus eſt ſpirituale dominium qvam hoſtis ſuperati fuerat. Reatui opponitur Jehova gratioſus. Hoc nomen לשון רחמים *habet ſenſum miſericordiæ.* Dicitur eſſe in medio piorum cum viſibiliter, tum inviſibiliter, conf. *Matth. XXVIII. 20.* Utrinqve per gratioſiſſimam operationem: & in hac vita qvidem per regenerationem, juſtificationem, renovationem, protectionem; in altera vero per glorificationem. In hac vita in medio noſtri eſt, & cognoſcitur mediate; in altera immediate. Præſentia ejus tanto palpabilior eſt, qvanto purius media ſalvandi adhibentur. Præſente & protegente Chriſto nullum ad nos malum penetrare poteſt: *non videbis amplius malum.* Qvanqvam ei, qvi in DEO eſt, nihil mali accidere poteſt, cum omnia qvæ accidunt in bonum finem convertantur *Rom. VIII. 28.* tamen ponderoſior eſſe videtur hæc locutio, qvam ut in hujus vitæ imperfectionem cadere poſſit. Proinde hac phraſi ad conſummatam beatitudinem reſpici potiſſimum cenſemus הנ לפי שזאת בשורה שלא יגרך עוד רעה כי הנה השכינה שתדבק בך לא תסתלק עוד מעליך: *Tertia ratio eſt, qvia promiſſionem habes, nunqvam amplius ad te perventurum malum. Nam ecce Schechina, qvæ adhæreſcet tibi, nunqvam amplius abs te tolletur.* Per Schechinam intelligunt Rabbini majeſtatem divinam qvæ inde à promulgatione Legis ad vaſtationem templi primi fuit

apud Judæos sensibiliter præsens, postea sublatam, reversuram esse docent temporibus Messiæ. Et tamen Schechinam Israeli in omnibus suis deportationibus affuisse audacter prædicant, qvo pertinet vulgatum hoc גלו ישראל שכינה גלה עמהם *qvocunqve deportati sunt Israelitæ, eo qvoqve Schechina cum ipsis migravit.* Unde colligi licet, ipsos distingvere inter præsentiam sensibilem qvæ in sensus incurrit, & insensibilem qvæ tantum mente percipitur, qvarum illa fuerit tempore domus Salomonææ, hæc vero post ejus tempora. Male autem concludi à sensibili majestatis divinæ præsentia ad remotionem omnium malorum qvamplurimæ Judæorum calamitates probant, qvæ ante destructionem templi secundi ipsis incubuerant. Unde, dum hic omnis mali remotio à DEI præsentia suspenditur, non certe ea intelligi potest, qvæ oculis aut sensibus percipitur, siqvidem sensibilis perceptio DEI piis cum sceleratissimis erat communis, sed talis, qvæ vera cordis fide percipitur. Fides enim sola est, qvæ sibi appropriat Jehovam, qvo præsente, tanqvam summo bono, omne malum fugere necesse est.

Periocha XIX. 16. 17. 18. 19.

PRæter alia beneficia, qvorum jam mentionem fecit, etiam collectio Judæorum deportatorum hic promittitur. Nota 1. Lætitiam: TEMPORE ILLO DICETUR HIEROSOLYMÆ, NE TIME, ZIONI, NE DEFICIANT MANUS TUÆ. 2. Lætiæ causas, qvæ sunt 1. DEI Messiæ operosa præsentia: JEHOVA DEUS TUUS IN MEDIO TUI, FORTIS SALVABIT, GAUDEBIT TE IN LÆTITIA, SILEBIT PROPTER AMOREM SUUM, EXULTABIT TE CANTU. 3. Judæorum fidelium ab oppressorum manu liberatio. DOLENTES OB SOLENNITATEM CONGREGABO, EX TE SUNT, FERUNT PROPTER EAM OPPROBRIUM. 4. Judæo-

dæorum Apostatarum conversio : ECCE CONFICIAM OMNES OPPRESSORES TUOS HOC TEMPORE ET SALVABO CLAUDICANTEM, ET DISPERSAM COLLIGAM, PONAMQVE ILLOS IN NOMEN AC LAUDEM IN OMNI TERRA PUDORIS EORUM.

Sensus Abarbenelis.

v. 6. Qvamprimum illud tempus advenerit, nulla porro Hierosolymæ vobis extimescenda erit occupatio. v. 17. Propitio enim semper Deo utemini, qvi peccatorum vestrorum nunqvam amplius recordabitur : v. 18. qvi omnes Judæos, qvotqvot adhuc in luctu & sqvalore versantur propter nimis diu protractum liberationis tempus, congregabit, omnemq; tristitiæ occasionem ipsis adimet; v. 19. Congregabit tam decem tribus Israelis, qvæ claudicantes dicuntur, qvam Judæos, qvi dispersi, & utrosqve ponet in laudem, ita ut in iis sibi benedicturæ sint gentes : Atqve ita pudor hostium in omni terra manifestabitur.

NOTÆ.

1.

Hic lætitia phrasibus negativis indicitur. *Dicetur Sioni*, nempe ab Apostolis & qvibusvis Evangelizantibus : neqve excludi possunt ii qvi prius Sionem hostiliter infestaverant, qvos qvidem Abarbenel hic facit subjectum. Timor non hic tantum habet pro objecto malum aliqvod corporale aut speciem qvandam mali, sed omnem malorum complexum, qvem continet damnationis status. Refert enim se hoc ad superius, *Non videbis malum amplius.* Per hoc itaqve omnis timor, cura, molestia, angor, sollicitudo ex animo tollitur, & è contrario lætitia intemerata in ea ponitur. *Ne remittantur manus tuæ.* Remittere manus dicuntur ii, qvi ab opere cessant, sese illud effecturos esse desperantes. Tales sunt, qvi ad Legis trutinam suis operibus expensis ita gravia Legis postulata comperiunt, ita leves esse vires suas, ut sese eo

qvo Lex vocat, perventuros esse desperent. Hi jubentur non desperare, qvia adest, qvi pro ipsis Legem implevit. Abarbenel וכעבור שאומם וישמאל היו עולים פעמים רבות ללכוד וירושלים מפני קדושתה והיו מושלים עליה לכן אמר שלא יהוה עוד כן והיו ביום ההוא ואמר לירושלים: *Propterea qvod Christiani & Muhammedani aliqvoties hactenus exercitum duxerunt adversus Hierosolymam ad eam occupandam propter sanctitatem suam, atqve in eam dominium obtinuerunt, proinde negat hoc porro Solymæ eventurum. Atqve hoc est qvod dicit: Eo die dicetur: Ne time.* ℟ 1. Ergone hic nihil præter externam pacem ac tranqvillitatem promittitur? Qvid animæ peccatis turbatæ præsidii est in externo bono? 2. qvomodo hæc & qvæ *v. 8: 11. 14.* dicuntur, ad Judæos modernos trahi possunt, cum in his versibus talibus solatia dicantur, qvi à sua infestantur gente *v. 1. 2. 3. 4. 5.* moderni Judæi autem de suorum contribulium injuria non qverantur? 3. Nulla fit in textu mentio hujus, qvam Abarbenel somniat, tranqvillitatis. Ergo eam aut temere infert, aut eam per bonam consequentiam eruit. Si hoc, aut ex prædicato eruitur, ex aut subjecto. Non ex prædicato: Nam hoc non determinatur ad ullam mali speciem, *Ne time.* Neqve ex Subjecto: Nam Jerusalem qvæ hic gaudere, non timere, non desperare jubetur, minime notare potest urbem qvæ obsideri possit. Ergo temere infert. 4. Abarbenel in *Capit III. 10.* Michæ, hodiernam Hierosolymam non agnoscit pro vera, siqvidem non est posita eo loco qvo prior Hierosolyma fuerat collocata: Tempore Messiæ autem veram ædificatum iri Solymam. Ergo qvæ nunqvam fuit à Christianis & Muhammedanis occupata, ea qvoqve metuere non potest ne rursus ab iis occupetur.

2. Argumenta fiduciæ desumuntur 1. à Christi præsentia operosa, qvæ sese exerit per hostis infestantis repressionem. *Jehova in te, fortis salvabit.* Fortis respectu hostis ἰσχυρῶ, qvo ἰσχυρότερος Jehova: respectu hostis animo timorem imo desperationem incutientis, habentis potestatem veri boni intervertendi, mortis & æternæ damnationis inferendæ. *Hebr. II. 14.* Hic hostis itidem

itidem spiritualis est Satan, peccatum, mors, infernus, mundus. Hi enim soli desperationem inferre possunt. Ab his salvabit, salvatos amabit, amatis condonabit, condonatis gaudebit Jehova. Illustrare hæc possunt verba Abarbenelis: ה׳ הגבור אשר עשה את כל הגבורות וכל הנוראות האלה הוא יושיע אותך ואין לך שתאמרי שיחרה אפו עליך על עונך כי הוא ישוש עליך בשמחה ויחריש באהבתו ר ל וישתוק ולא יזכור לך עונות ראשונים ולפי שסבלו שני גלויות אמר עליהם שני לשונות של שמחה: *DEUS ille fortis est, qui fecit omnia illustria ac tremenda facinora, ille te salvabit. Non est quod dicas, quod DEUS propter tua peccata in te sit exarsurus. Nam ille te lætabitur & silebit amore suo i. e. silebit & non recordabitur pristinorum tuorum peccatorum. Et quia duas captivitates tulerunt, propterea duabus phrasibus lætitiam exprimit.* Notamus tamen, fortem dici hoc loco non tam respectu præteritorum facinorum, qvam illius illustrissimi operis, qvod Satanam & infernum devicit, qvod reliqva illa opera tanqvam antitypus respiciebat. 2. Indulgentem DEI misericordiam non tantum respicere pristina sed & præsentia peccata. Qvos enim jam salvavit, regenuit, justificavit, renovavit, ad eorum peccata conticescet. 3. Cephel qvod hic orrurrit emphasin habet & exaggerat, non autem duas captivitates respicit. Si enim hic duo exilia innuuntur quia duplici phrasi lætitia describitur, versu 14. qvatuor exilia respici necesse est, qvia ibi qvatuor voces idem significantes habentur.

3. Argumentum lætandi secundum est, promissa Ecclesiæ amplificatio reductis Judæis. *Mæstos ob conventum collegi, ex te sunt.* Multi ab Assyriis & Babyloniis deportati inter idololatras detinebantur, qvi tamen vehementer dolebant qvod solennitatibus Judæorum interesse non possent. Qvanqvam autem exulabant extra terram, tamen dicebantur esse de Ecclesia. Unde apparet multos qvoqve in exilio veram in CHRISTUM fidem retinuisse. Accedebat opprobrium, qvod ab infidelibus pati cogebantur: *onus* eorum *propter eam* pro propter te, Jerusalem, per enallagen personæ,

personæ, *est opprobrium.* Abarbenel rejecto prius Raschii interpretamento qvi נוגי falso derivat ex הנה *removit* אספתי autem ait idem esse qvod כלותי *consumsi*, ita scribit: ויותר נכון לפרש נוגי מגזרת יגון מלשון בתולותיה נוגורת ואספתי הוא מלשון אסף אלהים את חרפתי ומועד הוא מועד קץ הגלות ואמר ואנשים הצדיקים שהיו בגלותך תמיד ביגון ואנחה על מועד הקץ שהיה מתארך הנה תבא גאלתך אספתי אותם שלא יהיה להם עוד יגון כלל: *Melius est exponere verbum* נוגי *in sensu tristitiæ, ut* אספתי *in sensu congregandi, &* מועד *accipere pro statuto tempore captivitatis, q. d. Homines justi qui in captivitate tua (Jerusalem) in perpetua versantur tristitia & anxietate propter tempus finis, qvod nimis diu producitur, eos ecce ego, cum advenerit tempus redemtionis, congregabo, ne ipsis qvidqvam amplius sit doloris.* Bene facit Rabbi qvod priores duas voces vindicat à detorsione. At in eo peccat qvod cum Kimchio aliisqve מועד hic de tempore adventus sui Messiæ accipit. Nihil enim solatii hic dicitur modernis Judæis Cæsareis, sed Mosaicis. Non dubium & qvin in verbo אספתי solatium contineatur. Jam vero hoc verbum notat *collegi, congregavi.* Ex promisso ergo spectanda est lugentium conditio. Si enim congregandi sunt, necesse est eos fuisse ante dispersos. Ergo per מועד qvod alia qvoqve significata habere non negamus, hic qvam commodissime intelligitur *conventus* nempe Ecclesiæ, à qva erant propter exilium exclusi.

4. Argumentum tertium est promissa Ecclesiæ amplificatio reductis Judæorum asportatis. Vocatur illa turba non tantum dispersa, sed & הצולעה *claudicans.* Hæc ergo turba illis opponitur qvi dolebant, propterea, qvod excluſi erant à conventu. Illi in fide manebant; Hi vero in fide non recte incedebant ad idola abstracti. Dum ergo hos salvaturum se promittit DEUS, non ipsis offert corporalem liberationem, siqvidem eam, jam assveti sacris alienis, non multum morabantur. Porro tam illos qvam hos conjungit. Illi passi erant חרפה *opprobrium v. 8.* hi בושה *pudorem.* Utrisqve ergo è contrario promittit laudem & hono-

honorem: ושמתים *ponam illos.* Suffixum ם omnino ad utrosqve trahi debere puto. Abarbenel hic 1. per *claudicantem* intelligit X. *tribus Israelis*, per *dispersam* autem, *regnum Judæ.* Qvo fundamento? Certe prædicata h. l. non distingvunt subjecta, æqve apta in Judæos ac Israelitas dici. Neqve enim Israelitæ libertate fruuntur ultra flumen Sambathion, qvod vulgus Judæorum fingere coactum fuit, ne necesse haberent concedere eos jam tempore Apostolorum esse spiritualiter revocatos. Sane cum claudicare & liberatione indigere dicuntur, aut corporali modo prementur aut spirituali. Non vero corporali, ex Judæorum opinione. Si autem spirituali, ubi est ipsorum decantata pietas? 2. Rejecta mente R. Salomonis & R. D. Kimchii ait de duobus hic agi, de gentium clade, (qvos DEUS dicitur עושה *confecturus*, ex eo qvod dicitur *Ezech. XXIII. 3.* עשו דדי בתולהן *contuderunt mammas virginitatis ipsarum*) 2. de Judæorum salute לכן נתן משפט בכל אחר מהם כי הנה ערי התשועה אמר ושמתים לתהלה כלומר הצולעים והנרחים שזכרתי אשימם לתהלה שותברכו בהם גוים ובהם יתהללו ואמנם עלי נקמת האויבים אמר ולשם בכל חארץ בשתם רבי שיהיה בושת אויביהם מפורסם בכל הארץ: *Proinde utriusque judicium hic exhibet: Ac de Israelitis qvidem dicit: Ponam ipsos in laudem, qvasi dicat Claudicantem & dispersam, cujus memini, ponam in laudem, ita ut in ea sibi benedicant gentes & ea glorientur. De gentium ultione autem dicit: in nomen in omni terra erit pudor eorum: qvasi dicat: Erit pudor hostium manifestatus in toto terrarum orbe.* Hic 3. male rumpit duas voces per munach combinatas, לתהלה qvod Israelitis dat, & ולשם qvod gentibus assignat. 4. Blaspheme verba Jeremiæ *c. IV. 2.* applicantur ad Judæos, desperatæ perfidiæ populum. Nam ea ibi in Jehovam dicuntur: *Jurabis per Jehovam in veritate, in qvo omnes gentes sibi benedicent & gloriabuntur* conf. *Gen. XII. 3. c. XVIII. 18. c. XXII. 18. c. XXVI. 4.* Nam nemo in carne gloriari debet *Jer. IX. 23. 24.* 5. לשם qvod à לתהלה male Raschi divulserat, pejus conjungit cum: *in omni terra pudor eorum.* Nam uti per munach

cum præcedente voce conjungebatur, ita per sakephkathon à seqvente divellitur. Taceo qvod לשם in bonam partem accipiatur, uti *vers. 20.*, ubi duæ hæ voces iterum conjunguntur.

Periocha XX. 20.

TAndem Propheta, qvæ hactenus promiserat beneficia sub uno reductionis vocabulo ἀνακεφαλαιοῖ. Notetur 1. Ecclesiæ collapsæ restitutio TEMPORE HOC ADDUCAM VOS, TEMPORE HOC, INQVAM, CONGREGABO VOS. 2. Ecclesiæ restitutæ celebritas: IMO DABO VOS IN NOMEN ET LAUDEM INTER OMNES POPULOS TERRÆ, CUM AVERTERO STATUM VESTRUM SERVILEM IN OCULIS VESTRIS, DICIT JEHOVA.

Sensus Abarbenelis.

Eo tempore X. tribus Israelis, qvæ olim cum Judæis non redibant ad avitas possessiones, in patriam reducentur, una cum Judæis, qvi in omnes terræ partes dispersi, ita ut non tantum vivi sed & mortui ipsorum in vitam revocati sint reversuri.

NOTÆ.

1.

TEmpore illo adducam vos &c. Notat Ben Melech esse h. l. infinitivi קבצי enallagen pro futuro אקבץ. Id qvod probare qvoqve videtur ה emphaticum qvod in בָּעֵת. Ita ergo reddenda verba: *Tempore illo adducam vos, imo tempore illo congregabo vos.* Videtur autem hic compendiose & qvasi per ἀνακεφαλάιωσιν sepe-

repetere beneficia ſuperius promiſſa. Hactenus ſpecialiter de Solyma locutus erat, Matrem filiis opponens. Mater vaſtata ac ſterilis erat, filii abducti à templo & ſacris, qvorum qvidam adhuc deſiderio tenebantur redeundi in amplexus matris, qvidam vero ei ſpei ac promiſſis jam renunciaverant. Matri liberatio, ſalvatio, peccatorum remiſſio, malorum omnium remotio promittitur: filiis vero collectio, reductio. Nunc in genere de Solyma loqvitur, Matrem & Filios concludens. Hæc ergo prædicata ſuo ambitu continebunt ea beneficia, qvæ prius in ſpecie matri ac filiis erant promiſſa diverſis verbis. Terminus ergo reductionis à qvo uno verbo dici poteſt Servitus ſeu Malum, qvod comprehendit tam culpam qvam pœnam, eamqve cum temporalem tum æternam, cum corporalem tum ſpiritualem. Terminus ad qvem Libertas ſeu Bonorum omnium complexus.

3. Cum hac Judæorum ſpirituali reſtitutione cohæret cum eorum celebritas, tum gentium converſio, qvæ duo bona his verbis exhibentur: *Imo dabo vos in nomen & laudem apud omnes populos cum avertero &c.* Notamus כי h. l. non ſignificare *qvia*, ſed *qvinimo* ut *Pſ. X. 14.* ראית כי תביט *vides, imo ita intueris moleſtiam, ut ponas in manu tua.* Ita autem h. l. accipi debere docet verſus antecedens, ubi congregatio & celebritas ſimpliciter per ו conjunguntur ושמתים אקבץ *colligam & ponam eos &c.* Idem apparet ex hoc commate: *ponam vos in laudem, cum avertero.* Ut adeo reductio videatur cauſa eſſe celebritatis, non celebritas reductionis. Proinde nec כי cauſaliter notare poteſt. Dum autem Iſrael apud omnes populos in celebritate verſaturus eſſe dicitur, ſimul hic innuitur populorum apud alios Prophetas decantatiſſima converſio. Non enim magni facerent Gentiles Iſraelem, niſi ipſorum ſacra ſimul amplecterentur. Porro qvid ſit avertere ſtatum captivum aut ſervilem, ex præcedente §. manifeſtum eſſe poteſt, ubi diximus qvid notet, *congregare.* Tam inchoata qvam conſummata felicitas innuitur. Conſummata imprimis beatitudo & gloria reſpici videtur per לעיניהם *in oculis veſtris.* Ut enim tempore Cyri oculis aſpici poterat typica Judæorum reſtitutio, ita tempore Meſſiæ ad judicium venientis cum

justorum, tum omnium aliorum oculis patescet verorum fidelium gloria.

3. Abarbenel hic iterum objecta reducenda distingvit, nam prius membrum: Tempore hoc adducam vos, respicere putat: לו חשבטים מלכות בית ישראל שהולכם מלך אשור לחלח וחבור נחר גרזן וערי מרו: *decem tribus qvas abduxit Rex Assyria in chalach, chabor, ad flumen Gosan & civitates Madai.* Posterius autem, *tempore hoc congregabo vos*, respicere בני יחודה שנתפרדו בגלותיהם מקצות הארץ כו׳ *filios Judæ, qvi dispersi in suis exiliis usqve ad extremos terræ fines.* in eos dici verbum *colligere* כי לחותם מפוזרים ומפורדים בין העמים הוצרך לומר בהם לשון קבוץ *in qvos necesse fuerit dici verbum* קבץ *eo qvod dispersi & divisi inter populos.* Judicat ex prædicatis de subjectis. Aliqvibus simplex reductio promittitur. Ergo aliqvi non fuere dispersi. Hi ergo sunt Israelitæ qvi אל פעה אחת *in unum angulum* expulsi. At 1. nihil solidi est in hac illatione, siqvidem & Israelitæ *Es. XI. 12.* vocantur נדחי ישראל *dispersi Israelis*, qvibus etiam promittitur אסיפה *collectio*, conf. *Mich. IV. 7.* vid. & Abarb. in utrumqve locum. Infero: Qvibus tribuitur collectio, illi sunt dispersi. Atqvi Israelitis. Ergo. Major est Abarbenelis: Minor Esaiæ & Michæ. 2. Qværit idem in שבותיכם *captivitates vestræ.* Plurali numero respici ad duplex regnum Israelis & Judæ, vel ad duplicem Judæorum deportationem, qvarum altera per Nebucadnezarem, altera per Titum facta. R. Notandum est discrimen inter שבי & שבות. Illud notat *deportatos.* Hoc autem *deportatorum servilem statum.* Hoc discrimen vel ex hoc loco clarum est, in qvo Judæis שבות tribuitur. Nam si שבות *deportatos* notaret, non posset dici *avertam deportatos vestros*, cum ipsi essent deportati, qvibus præcedente commate collectio & reductio promittebatur. Notat ergo statum servilem deportatorum, qvem DEUS aversurum se promittit. Invenitur vox שבות h. l. cum Jod pluralis numeri, & qvidem semel in tota Scriptura. Qvod si qva necessario pluralitatis significatio captanda est, duplex respici-

ſpicietur ſervilitas Typica & Antitypica, corporalis & ſpiritualis. Qværit 3. emphaſin in לעיניהם qvod dicit ורמז לעיניהם עד המתים בגלות שושיב גם כן השם את שבותם ויקומו או בתחיה כדי שיראו או גאלתם לעיניהם שהוא גם כן תכלית מיוחד בתחיית לחסידו ישראל: *reſpicere mortuos in captivitate, qvorum captivum ſtatum etiam DEUS avertet. Illi enim reſurgent in reſurrectione mortuorum, ut videant ſalutem ſuam oculis ſuis. Id qvod tanqvam peculiare bonum Juſtis Iſraelis in reſurrectione expectandum eſt.* ℟ Si & mortui in terram Sanctam tempore Meſſiæ deducentur, hui qvam innumerabilis verporum multitudo ibi conſtipabitur! Vivorum Judæorum omnibus in regionibus tanta eſt copia, ut numerari non poſſit. Scribit Rabbi qvod tempore R. Levi Ben Gerſom ex ſolo Galliæ regno כפלים כיוצאו מצרים *bis tantum Judæorum excluſum ſit, atqve ex Ægypto egreſſum eſt*, adeoqve duodecies centena millia in *Eſ. XLIII. 27.* Qvid non multitudinis erit Judæorum ſi ipſi ex omnibus terrarum regionibus colligantur? Si tantum eſt viventium, qvanto plus erit mortuorum, qvi inde ab Aſſyriorum & Babyloniorum temporibus e terra ſancta fuerunt expulſi? Vel hinc apparet, qvam inſulſa ſit hypotheſis de externa reductione populi in terram Cananæam.

Cæterum ſubjungendus nunc uſus eſſet verſuum explicatorum adverſus reſtantia octo capita prioris partis Muniminis fidei. At qvia Rabbi in Capitibus illis VIII. ea fere repetit, qvæ jam ſatis ſunt tractata, ideoqve hæc præterimus, & uſus loco ſubnectimus trium Prophetæ capitum cohærentiam.

Vaticinium Zephaniæ.

Cap. I.

1. 2. Inſtat vobis, ô impii Judæi, politiæ ac regionis
veſtræ plenarium excidium, typus Judicii extre-
3. mi. Tollendos DEUS dabit de terra homines
cum pecudibus, qvibus in ignominiam ejus abuſi;

4. Idqve propter idololatriam Baalis & aliam id ge-
5. nus impietatem, propter hypocrisin ac aposta-
6. siam summam, & in officiis vero Israëlita dignis
7. oscitantiam. Agite obsecro pœnitentiam: E-
nimvero in proximo est tempus, qvo hostibus in
8. prædam dabuntur & Principes populi, ob levitatem
in imitandis peregrinarum gentium moribus, &
9. Ministri Principum, qvi Dominorum suorum
10. facultates injustis modis augere student: una
11. cum omni populo Hierosolymitano, Cananæo-
12. rum mores & studia præpostere sectante, DEUM
externo cultu confitente, corde vero ac operi-
13. bus negante. Horum possessiones, domus, vi-
14. neæ hostibus in prædam dabuntur. Procul
abest hoc tantum malum, æternæ damnationis
prodromus, cujus vim ac rigorem ne audacissi-
15. mus qvidem sustinebit: Tempus calamitatum ple-
16. nissimum: qvo anima impœnitens excœcanda
spiritualibus, corpus cœdendum politicis hosti-
17. bus exponetur. Nihil hic cuiqvam in externis
opibus erit præsidii ad evertendum DEI furorem,
qvo tota terra depascetur.

Cap. II.

1. O matura ergo seriam agere pœnitentiam, ô im-
2. pia gens! Vos vero pii, qvi contra mundi scan-
dala mascula fide adhuc decertatis, perstate in
sectanda justitia ac humilitate, præsentiaqve ma-
la vestra spe gloriæ Messianæ solamini. Ita enim
& iram DEI effugietis, & mundi, qvi se in Phi-
listæis, Moabitis, Cuschæis & Assyriis hoc tem-
pore qvammaxime nobilitat, tandem spirituales
eritis

3. eritis deſtructores. Nam Gazæi, Aſcalonitæ,
4. Aſdodæi & tota Philiſtæorum regio, poſtqvam
5. freqventibus externorum hoſtium armis erunt
6. labefactati, tandem exhibito ſub mundi veſpe-
7. ram Meſſia, ſub ſpiritualem Sionis dominatum
cedent, qvo tempore excidii ſui cauſas in vera
animi pœnitentia humillime diſcent & deplora-
8. bunt. Similiter & Moabitæ tandem ſub ſanctæ
Sionis ditionem redigentur, qvorum jam oppro-
9. brium illa ferre cogitur. Oſtendet enim Moabi-
10. tis qvod talis opprobrii pœna ſit æternus ignis,
11. per antegreſſa excidia ſua figuratus. Hoc per-
terrefacti cum reliqvis gentibus ad veri DEI a-
gnitionem adducentur, qvarum omnium ſacra
idololatrica per conciones Apoſtolicas deſtruen-
12. tur. Idem accidet Cuſchæis, qvi & ipſi vi ſpi-
ritualis gladii ſubacti ad caſtra ſanctæ Sionis tran-
13. ſibunt: Idem Aſſyriis, qvibus eo tempore clariſſi-
14. me patefiet idololatriæ ſuæ fœditas, qvamqve
15. ſpurcum ſint Dœmonum habitaculum, qvi jam
omnium generum ſceleribus læti indulgent, iræ
DEI ſecuri. Ut enim jam Ninives opprobrium
omnium oculis expoſitum eſt, ita & illi tum pecca-
torum ſuorum probra ac pœnas ex verbo Apoſto-
lico exacte diſcent.

Cap. III.

1. Sed & externam Solymam eadem fata manent,
2. qvæ pervicacis impœnitentiæ crimine per omnes
3. ſtatus, œconomicum, politicum & Eccleſiaſticum
4. profundiſſime eſt deformata. Heu! qvoties illa
5. non eſt invitata ad reſipiſcentiam tam verbali
6. prædicatione, qvam reali, propoſitis aliarum ur-

bium

bium & regionum excidiis! At omnia ista infeli-
cem habuerunt eventum. Proinde, ô Sancta Sion,
qvæ scandalis impiorum premeris, ut fiduciam
in DEO hactenus posuisti, ita porro in ipsum
spera. Certissime enim veniet DEUS ad te libera-
dam, ac omnibus per orbem terrarum gentibus pœ-
nitentiam & remissionem peccatorum prædican-
dam curabit. Qvo facto infinita & gentilium &
dispersorum Judæorum multitudo convertetur,
etiamsi ad extremam usqve Æthiopiam fuerint
deportati. Plurimi etiam ex iis ipsis qvi te jam
captivam tenent suis scandalis, audita Evangelii
prædicatione, resipiscent, abnegataqve in operi-
bus fiducia in solo DEO fiduciam ponent, fidemq;
suam per opera novæ obœdientiæ probabunt.
Ita Tibi nunqvam deerit vera lætandi materies;
lætandi perpetua præsentia Regis Messiæ rege-
nerantis, justificantis, protegentis, glorificantis,
Solatores mittentis: in te sola se oblectantis: di-
spersos acta pœnitentia ad te reducentis: Genti-
lium sacrorum fœditatem damnantis, Sionem
suam inter omnes omnium terrarum populos
glorioſissimam reddentis.

*Sphalmata, qvæ irrepserunt, æqvus Lector bene-
vole corriget.*

(o)



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863437893/phys_0292
DFG

ɔcha XVI. 8. 9. 10.

ıt Pios in fide. Notetur 1. Piorum onfirmatio QVAPROPTER EXPE- E ME, INQVIT JEHOVA, DIEM URGAM AD PRÆDAM. 2. Con- qvæ triplex eſt: 1. Impœnitentium cium: NAM DECREVI CONGRE- ES ET COLLIGERE REGNA, AD UM SUPER EA INDIGNATIO- OMNEM IRAM FURORIS MEI: ZELI MEI CONSUMETUR TO- 2. Pœnitentium perſecutorum ad Ec- TUNC ENIM VERTAM AD PO- UM CLARUM, UT INVOCENT EN JEHOVÆ, SERVIANTQVE UNO. 3. Judæorum à vera Eccle- evocatio: TRANS FLUMINA UPPLICES MEI FILIA DISPERSO- M, AFFERENT MUNUS MEUM.

Senſus Abarbenelis.

ontinuatam veſtram impœnitentiam ferenda illa ſub Edom & Iſmaële captivitas, donec ente vindictam capiam occaſione belli ob ter-

Eo tandem tempore aliam faciem induet uſcitabuntur, docebuntqve omnium terrarum e poſſint lingva ſancta pronunciare nomen & exules Iſraëlitæ ex Æthiopia in patriam t.